


MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART  
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

ACTA ERUDITORUM  
LEIPZIG 1728

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT  
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK  
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 612 Y 4<sup>0</sup>

1

1

ACTA  
ERUDITORUM,

ANNO  
MDCCLXXVIII

publicata.

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol.  
atque Electoris Saxoniae Privilegiis.*

---

*LIPSIÆ,*

Prostant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,  
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

ET

JO. CHRISTIANUM MARTINI

---

Literis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.



No. I.

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Januarii Anno MDCCXXVIII.*

---

*INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM, GRÆ-  
carum & Romanarum, quæ exstant in Etruriæ urbibus,  
Pars prima, eas complectens, quæ sunt Florentiæ: cum no-  
tis ANTONII MARIÆ SALVINII: cura & stu-  
dio ANTONII FRANCISCI GORII, Presb. Flor.  
Baptisterii & Ecclesiæ S. Johannis. Accedunt LXII anti-  
que gemmæ literatæ, aliæque prisca monumenta in  
XX Tabulis, quæ explicantur &  
illustrantur.*

Florentiæ, typis Josephi Manni, 1727, fol.

Alph. 6 pl. 1, exceptis tabulis æneis.

**O**pus producimus, in quo nihil non est dignum eruditæ  
oculis, summa cum voluptate lustraturis eximias hæc  
sepulcorum jamdudum seculorum reliquias. Scilicet  
Cl. Gorius, patriæ suæ amore permotus, statuit eo exemplo, quo  
alii certarum Italiæ urbium Inscriptiones ediderunt, ipse Floren-  
tiæ, talibus monumentis omnium post Romam refertissimæ, pu-  
blicare Inscriptiones. Prorsus autem satis facturus lectoribus,  
quantam potuit, fidem, laborem, diligentiam vetustis his lapidi-  
bus exscribendis adhibuit, ut & versus versus exacte responderet,  
& a lapidum auctoritate veritateque ne latum quidem unquam  
unquam descisceretur. Hoc effecturus, non solum ipsemet om-  
nia vetusta illa marmora descripsit manu oculata, verum etiam  
singula typographi ægrapha rursus contulit cum archetypis, ut  
quic-

quicquam remanere posset vitii. Parem diligentiam præstitit gemmis & aliis monumentis, quæ viginti in tabulis hic exhibet. *Usque adeo*, inquit, *ad ipsarum gemmarum fidem sunt calata, ut hic ipsas illas gemmas ob oculos habere & manibus contrahere videaris.* Inscriptiones, quæ priorè hoc Tomo exhibentur, Florentinæ sunt mille trecentæ & triginta, exque maxima ex parte non antea editæ. Quæ vero jam reperiuntur in Gruteri, Reinesii, aliorumque operibus, ex amicorum schedis descriptæ, eas noster Gorius testatur tot tantisque mendis inquinatas publicum in conspectum prodiiisse, nova ut earum editione omnino operæ pretium sibi videatur fecisse. Subjectæ sunt singulis & gemmis & Inscriptionibus annotationes cum Salvinii, viri clarissimi, (qui p. 467 a quodam librorum censore appellatur *Illustrissimus Abbas Antonius Maria Salvini, Patricius Florentinus, ac in universali Florentina Academia Græcarum literarum Publicus Professor*,) tum doctissimi Editoris: in quibus difficiliora monumentorum istorum loca explicantur, ac simul mendæ Gruterianæ Reinesianæque accurate annotantur.

Inspiciamus nunc tum gemmas, tum Inscriptiones, hic oblatas nostro conspectui, & inde quædam quasi oculifera exhibeamus nostris lectoribus. Ac inter gemmas quidem *Tab. I n. 2* conspiciendum se præbet Apollo, citharam manu tenens, tanquam Præses Musarum. Eodem modo *Tab. IV n. 1* Hercules *Μεσσηγιότης*, citharam pulsans, exhibetur. *Tab. X n. 1* occurrit *Δημήτρη ἑυελπίς*, hoc est, *Ceres bona spei*. *Tab. XI n. 1* rarissima gemma representat Numen aliquod Ægyptiorum una cum pluribus hieroglyphicis figuris, quæ paucis explicantur. *Tab. XV* exhibetur marmoreum vas elegantissimum, furorem continens Bacchantium. *Tab. XVI* tres magnæ æneæ pateræ nunc primum in lucem proferuntur, quarum prima exhibet Medeam, quæ exanimem fert Æsonem, ipsa exornata duplici nimbo, cœlestis majestatis insigni, deinceps in Christiana quoque ecclesia circumdato sanctorum virorum mulierumque capitibus; altera tres saltatrices habet cum calceis & raro capitis tegumento, manu tenentes crotala; tertia Ulyssus & Circes historiam describit nitidissime adumbratam. *Tab. XVII n. 1 & 2* vetusta duo simulacra *μεσσηγιότης* deorum

rum

rum Ægyptiorum licet cernere, alterum e silice subnigro, alterum e jaspide Æthiopico viridantibus maculis. *Tab. XVIII n. 1* matmoreum anaglyphum Uraniam Musam refert, cœlestem globum, quem Atlas humeris sustinet, contemplantem: & *n. 2* exquisiti artificii anaglyphum ejusdem materiæ Bacchum representat barbaturum & sinistra thyrsum gerentem comite Baccha aliqua saltante. *Tab. XX* ænea exstat galea, Phœniciis insignita literis, apud Cannas, Romana clade nobile oppidum, reperta, & nunc primum æri incisa. Conspicere item hic, cui libet, licet plures gemmas Basilidianas sive Abraxeas. Sed nobis quidem ad *Inscriptiones* properandum est. Hic *p. 116 n. 9* occurrens *C. Vergilius* ab iis jucunde spectabitur, qui poetarum regem male nominari *Virgilium* contendunt. Grammatici *p. 111 n. 89* offendent *M. Annium Priscianum*, & alios duos *Priscianos p. 218 n. 16 & p. 225 n. 1*. Aliquis etiam *Cerintus* prodit *p. 150 n. 65*. Etiam *Aprilis* quidam exhibetur *p. 394 n. 165 & p. 430 n. 6 & p. 442 n. 7*. Quibus ex *Actis Apost. cap. IX, 36* nota est mulier nomine Δορκάς, ii gaudebunt, hic *p. 437, n. 46* monumentum conspicientes, in quo legitur nomen muliebri *ROCIA DORCAS*. Pari modo, qui *p. 408 n. 221* videbunt *T. Roscium Tertium*, illius *Tertii* facile recordabuntur, qui nomen suum subscripsit Paulinæ ad Romanos epistolæ. *P. 33 n. 11* nominatur *Constantinus Maximus semper Augustus*. *P. 119 n. 1* hic versus occurrit: ἤλυθα τὴν Φοιτὴν εἰς αἰδέο πάλιν, quod ita reddidit Salvinus: *Et veni horribilem Ditis ad usque domum*. Vulgo scilicet post εἰς Ἄδης subaudiunt grammatici δόμον. Hic vero alia ratione expletur ellipsis. Latinis quoque grammaticis hic *p. 145 n. 54* discere licebit, *tucatis* priscos dixisse pro *tusamini*. Quem loquendi morem docte illustrat subjecta Cl. Salvinii annotatio. Iisdem grammaticis ob veterem vocum divisionem haud ingrata erit, quæ *p. 172 n. 147* occurrit, *Inscriptio*. En eam:

D. M.  
CAS. TI. NI. VS. PRE. SES  
M. CAS. TI. NI. O. OC. TA. BI. A  
NO. FRA. TRI. B. M. V. A. XVIII.  
Talis altera exstat *p. 351 n. 44*. De *Jove Sabazio* occasione In-  
A 2 scri-

scriptionis, in qua is memoratur, docte disseritur p. 331 sq. Quidam corpore custos laudatur p. 397 n. 179. Animadversione singulari dignus est, qui p. 391 n. 155 occurrit *servus Diaconus*, hoc est, mensæ sive convivii minister: quo sensu vox *διακονῶν* in N. T. obvia est, e. g. *Joan. XII, 2* & *Lucæ VIII, 3*. Similis est, qui p. 406 n. 216 producitur, *servus ab cyatho*. Ac videtur ejusdem generis serva fuisse, quæ *ministra* vocatur p. 415 n. 258 & p. 420 n. 274. Quæ p. 441 n. 66 profertur, HELVIA LIBRARIA, in memoriam nobis revocat *librarias*, hoc est, mulieres libris describendis operam navantes, ab Eusebio commemoratas *lib. VI Hist. Eccl. cap. 23*. Cum Cl. Salvinius p. 454 censet, apud Ovidium in fine *Metamorphoseon* pro *nomen indelebile* scribendum esse *nomen indelebile* ex membranaceo veteri codice manuscripto bibliothecæ Medicæ, *pulcherrimam* vocans hanc *lectionem atque optimam*, id arbitrandum Criticis permittimus. P. 444 n. 76 vetustæ cuidam Inscriptioni subiecti sunt septem versus, quos Cl. Salvinius putat spurios esse & sequiori ævo additos. Nos vero facile credimus, etiam bonis seculis mixtos fuisse Virgiliis atque Ovidiis Baviis Mæviosque, hoc est, poetis versificatores: adeoque non audemus lapidem hunc ad diversas referre ætates. Ecce versus istos:

*Hic lapis & tutamen erit post morte sepulchri,  
Et dabit indicium, obitos hic esse sepultos,*

*Si tamen ad (a) manes credimus esse aliquid.*

*Vivere quid prodest, nisi si post morte (b) habemus*

*Nomen? Fama volat, tantum corpusque crematur,*

*Æternamque domum petimus & sine laborum.*

*Dum legis hoc, disce ponere & ipse tibi.*

P. 257 n. 45 eximium exhibetur æneum monumentum, A. 1688 in regno Neapolitano forte repertum in prægrandi quodam sarcophago, quod totum hic repræsentamus:

SER. GALBA. IMPERATOR. CAESAR. AVGVST  
PONTIF. MAX. TRIB. POT. COS. DES. II  
VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. LECIONE

(a) Fortasse scribendum & *Manes*.

(b) Sic legendum videtur pro *cavemus*.

MENSIS JANUARIII A. MDCCXXVIII. 5

I. ADIVTRICE. HONESTAM. MISSIONEM. ET  
CIVITATEM. DEDIT. QVORVM. NOMINA. SVB  
SCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE  
EORVM. ET. CONVIVVM. CVM. VXORIBVS  
QVAS. TVNC. HABVSSENT. CVM. EST. CIVITAS  
IIS. DATA. AVT. SIQVI. CAELIBES. ESSENT. CVM  
IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVM. TAXAT  
SINGVLIS. SINGVLAS. A. D.

XI. K. IAN.

C. BELLICO. NATALE. COS  
P. CORNELIO. SCIPIONE  
DIOMEDI. ARTEMONIS. F  
PHRYGIO

DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA. AE  
NEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAЕ. IN. CAPITOLIO  
IN. ARA. GENTIS. IVLIAE  
TI. IV. IVS. PARDALA. SARD.  
C. IVLI. CHARMI. SARDIAN  
TI. CLAVDI. QVI. FIDINI. MAONIAN  
C. IVLI. C. F. COL. LIBON. SARD  
TI. FONTEIVS. CERIALIS. SARD  
P. GRAITI. P. F. AEM. PROVINCIAL. IPESIVS  
M. ARRI. RVFI. SARDIAN

Copiose Cl. Gorius tabulam hanc interpretatur & illustrat, inter alia observans, *connubium* hic scribi uno *n*, quod & fieri testatur in Virgilio Mediceo majoribus literis exarato; *dumtaxat* scribi interjecto punctulo, quod etiam factum docet in alia Tabula honestæ missionis apud Gruterum *p. 574, 2*; literam *G* hic sæpius representari, ut in Duilliana columna, per *C*. Eximæ quoque elegantiae monumentum est, quod *p. 316* conspici licet, exhibitum quidem a Grutero, sed nec satis accurate. In eo scilicet Florentinorum colonia Augusti & Tiberii Cæsarum, ac Livæ Augustæ, natales in perpetuum quotannis celebrare statuit, decretis divinis honoribus. Tabulam hanc marmoream doctissimis annotationibus ornavit Cl. Gorius. *P. 373* marmor superiori parte mutilum cernitur, quod primus edidit *Diar. Ital. p. 361* Mont-

faucibus. Hic vero exhibentur etiam notatu dignissimæ figuræ, huic marmoris annexæ. In sinistra quippe parte exhibetur puella Alexandrina, Bacchi ancilla, & Isis castæ Thalamifera, aperto rasoque capite, dextra manu gestans Pastophorium longiori hastæ subnixum, & palmæ foliis superne velut radiatum. Infra sunt capita duarum mulierum velis obducta, Isis, ut videtur, ministrarum. In exordio hocce marmore Isis vocatur *dea Nilotis*, uti apud Propertium *IV, 8* occurrit *Nilotes rubicem*, hoc est, Ægyptius. Eadem hic vocatur *Θεὸς ἀγνή*, *dea casta*, quod cognomen Isis in nullo jam editorum saxonum offenditur. Ex hoc monumento discimus, quid fuerit *Pastophorium*. Fuit scilicet tabula lignea bifrons, utrinque sive picta sive cælata, cum Deorum, qui colebantur, effigie. Indidem cognoscimus, Pastophororum dignitatem non fuisse virorum propriam, sed iis communem cum feminis. Sed manum de his tabulis. Accendere namque sitim nostrum est, non restinguere.

*SARDONYX A NOVO ARTIFICE TRIUMPHO Bacchi representando aptatus.*

TAB. I. **C**um sæpe in his Actis veterum reliquias conspiciendas desideramus, lubet nunc novæ quoque & adhuc splendentis artis specimen producere. Habes enim hic Sardonychem, iusta, qua constat, magnitudine representatum, cuius ea pars quæ nullas monstrat figuras, albi coloris est; cetera vero, quæ rubicundi vel subflavi sunt coloris, figuris tam apte excogitatis destinavit Artifex, ut non incommode lapis exprimeret Triumphum Bacchi; quod tam facile omnibus patet, ut eo explicando superfedere plane queamus.

**JOANNIS GEORGII WACHTERI, REG. Societ. Scient. Berolinens. Consortis, Glossarium Germanicum, continens origines & antiquitates linguae Germanicæ hodiernæ specimen ex ampliori farragine decerptum.**

Lipsiæ,

TABI ad A 1728 M Ian. pag 6.



Andreas Sohn Jantz

1

1



Lipsiæ, sumptibus Jacobi Schusteri, 1727, 8. maj.

Alph: 1 pl. 5.

Non prætermittenda erat utique in annalibus nostris mentio libri hujus, & ab ipso autore, variis pridem reconditæ doctrinæ monumentis non vulgarem famam adeptæ, & ab argumento denique, paucis hæcenus tentato ac Germano simul nomini perhonorifico, commendatissimi. Antequam vero ad ipsius *Glossarii* inspectionem lectores admittat Autor doctissimus, præfationem exhibet ad Germanos, de lingua primigenia Germanorum, & primis Germanicæ colonis; quæ, quum non postrema integri operis pars sit, & plurima doctrinæ nequiquam proletariæ argumenta contineat, ut summa illius capita a nobis delibentur, operæ omnino pretium existimamus. Scilicet, postquam in vestibulo statim hujus Commentationis monuisset Vir clarissimus, studium illud, quod in vocabulorum originibus indagendis eruendisque collocatur, *Ετυμολογίαν* Græci dixerunt, quantumvis molestum admodum sit atque difficile, minime tamen homine sapientis indignum esse, idque *Clementis* partim *Alexandrini* auctoritate, partim *Stoicorum*, & qui inter hos principes fuerunt, *Zenonis* maxime, *Cleanthis* atque *Chryssippi* exemplis confirmasset, quos præ ceteris Philosophis hanc doctrinæ humanioris partem diligenter excoluisse constat; duplicem linguæ nostræ originem spectari jubet, naturalem unam, civilem alteram. Et de naturali quidem vix est ut dubium alicui subnascatur, qui largam illam vocabulorum segetem considerat, quæ non idearum solum nostrarum, sed rerum ipsarum etiam imagines perfecte exprimunt: qui ad primos puerorum loquendi conatus attendit, secreto quodam naturæ instinctu sonos aliquos proferentium, in omnibus fere linguis, antiquissimis etiam, adoptatos: qui denique nomina per *ὀνομαστικοποιεῖν*, quam ex re naturæ vocem repercussam dixeris, efficta curatius expendit. Quid? quod tantam natura hac in re vim esse agnovit *Plato*, ut ab una illa origines linguarum repetendas esse crediderit, & naturam præformasse quosdam oris sonos affirmaverit, certis conceptibus exprimendis ita accommodatos, ut ad alios significandos plane inepti essent. A qua tamen sententia, uti a plurimis præceptoris sui aliis, insigne divor-

tium

tium fecit *Aristoteles*, mero hominum arbitrio, nulloque plane heic vocum cum rebus naturali ac necessario nexu intercedente, vocabula primum facta esse contendens. Sed pessime, quod ait Autor noster doctissimus, opposita sibi invicem constituerunt duumviri hi acutissimi, quæ amice in hoc negotio componenda fuerant; quum manifestum sit, non ejusdem singulas humani sermonis partes conditionis esse, sed alias naturæ, rationi alias, plurimas denique consensui atque instituto hominum videri tribuendas. Ut adeo vere dixisset *Quintilianus* lib. I cap. VI, *sermonem constare ratione, vetustate, autoritate atque consuetudine, si naturam* addidisset. Proximas tamen post hanc partes sibi *ratio* vindicat, in nominibus compositis atque derivatis, particulis item, maxime conspicua; quæ profecto neququam cæco aliquo casu atque impetu, sed cum optima ratione facta esse luculenter patet. His tamen inter linguarum fontes accedit *utilitas*, quæ, quod ait *Lucretius*:

— — — — *expressit nomina rerum,*

& homines in unum nomen consentire fecit; atque inde consuetudo, ex consuetudine antiquitas, ex antiquitate denique autoritas origines suas acceperunt.

Prælibatis ita, quæ de linguæ nostræ origine naturali monenda fuisse videbantur, ad *civilem* indagandam progreditur Vir celeberrimus, tam *proximam*, quam *remotam*. Et de *proxima* quidem extra omnem dubitationem positum existimat, a *Francis* illam atque *Alamannis* derivandam esse utique; *remotam* vero non adeo liquidam eruditus hæctenus fuisse arbitratur. Non heic audiendos putat, qui Germanicam linguam ex campis Sinear immediate progressam, statimque post hominum dispersionem in his terris auditam fuisse, sibi persuadent; quum scilicet natura saltum, quod ajunt, non faciat: credit potius, ex una illa atque primitiva lingua varias ortas esse dialectos, singulis familiis peculiare, quæ successu temporis in singulares linguas abierint, novis inde dialectis, atque ex his aliis denuo linguis sensim sensumque propullulantibus, pro variis temporum, locorum, migrationumque vicissitudinibus itidem variis: ut adeo nulla sit superflua Occidentis lingua, cujus radices in Orientis populorum aliqua non

non debeant requiri. Quæ si observeatur, deprehensum iri affirmat, Germanos genus pariter atque linguam a vetustissimis Asiæ atque Europæ colonis ac dialectis, *Scythis* nempe, *Phrygibus* atque *Celtis*, una propemodum olim lingua usis, quorumque voces plurimæ proxime ad idioma nostrum accedant, atque adhuc in illo conserventur, accepisse. Huic asserto ut sua fides ac auctoritas constaret, per singulæ gentis idiomata eundo, cujusvis illorum vestigia in nostra adhuc dum superesse, luculentis exemplis ostendit. Primi omnium sunt *Scythæ*, quos male aliqui, *Hornium* autorem sequuti, cum *Kitkis* ad mare Caspium atque *Getis*, Sarmatiæ incolis confundunt, generis vetustate vel ipsos Ægyptios superantes. Hos, si cum *Julio Polluce Onomastic.* lib. VIII cap. X *Sagittarios* interpreteris, & ab antiquissimis scriptoribus primis illis *jaculandi artem* tributam esse consideres, vel in ipsa hac gentis appellatione, vocis septemtrionalibus usitatæ *skiotan jaculari*, quod Galli *jetter*, Germani hodierni *schieffen* dicunt, origines jucundissimo spectaculo deprehendes. Non vacat jam reliqua, quæ ex *Herodoto* maxime deprompta simili ratione illustrantur, *Scythica vocabula* ordine percensere; id tantum addimus, exhiberi hęc simul luculentum *Vocum Persicarum Catalogum*, cum Autore a Cl. *Clodio*, Arabicæ linguæ apud nos Professore, communicatum, quarum ex consideratione admirabilis plane cum nostris concentus ad oculum patebit. Ut adeo, quum in confesso sit, multa *Persarum* gentem a *Scythis* derivavisse, linguæ, & *Persica* & *Germanica* nostra, communem matrem *Scythicam* abunde loquantur. Neque magis de *Phrygibus*, vetustissimo itidem populo, obscura res est. Quos quum, *Herodoto* ac *Strabone* testibus, *Thracica* dialecto *Beyyes* vocatos noverimus, quæ vox, *Hesychio* interprete in v. *Beyyes, ελευθέρες homines liberos, ingenuos*, notat; si veteres vernaculæ nostræ dialectos consulamus, ecquis est, qui non *Gothorum frije*, *Anglo-Saxonum freo & frig*, *Keronis friger*, & nostrum *frey* inde repetendum esse agnoscat? ut de pluribus aliis arctioris, quæ inter *Phrygium* nostrumque sermonem intercedere artissimis indicis deprehenditur, cognationis exemplis, tam ex hac præfatione, quam ex ipso Glossario passim decerpendis, nihil dicamus. Succeedunt denique *Celtæ*,

utrisque, *Scythis* pariter atque *Phrygibus*, ætate inferiores; nomen profecto ante Ilium a Græcis eversum nunquam auditum. Tum demum enim, factis tot populorum inter barbaros migrationibus, Græci *Celtarum* vocabulo omnes illos appellare cœperunt, qui patriis arvis *profugi* domesticas sedes reliquerunt; licet, quod ait Autor eruditissimus, non ex suo sed ipsorum migrantium idiomate denominationem confecerint, radice hodie adhuc inter *Cambros* superstite, quibus *Cil secessum*, *recessum* & *fugam*, ac conjugatum *Ciliad* sive *Cyllid* (quod omnino nomen *Celtarum* est,) *profugum*, item *fugatorem*, *συμψύχω* atque teste *Boxhornio*, denotat. Posthæc etiam discrimen gentium inter *Scythas*, *Celtas* ac *Celto-Scythas*, cujus *Strabo* conceptis verbis meminit, constitui a Græcis cœptum est; *Scytharum* titulo populos septemtrionales, *Celtarum* occidentales Europæ incolas, reliquos denique, *Germanos* scilicet, *Celto-Scytharum* nomine appellantis. Sunt itaque veri nominis *Celta* *Galli* atque *Britanni* veteres, a quibus quasi hæreditatem *Celticam linguam* acceperunt *Armorici* atque *Cambri*; *Celto-Scythæ* autem dicti fuerunt primævi illi *Germaniæ* incolæ, *Ingvones*, *Istævones* atque *Herminvones*, *Gothorum*, *Anglo-Saxonum*, *Francorum*, *Alamannorum*, & qui plures sunt alii, indubii parentes. Utramque tamen gentem & *Celtas* scilicet atque *Celto-Scythas* uno ore, dum a Græcis pellentur, loquutos, a *Scythico* illo atque *Phrygio* pene indiscreto constare Autori nostro videtur, qui fusius aliquando peculiari dissertatione *de origine gentis & lingua Germanicæ* hoc ostensurum se promittit. Atque hæc quidem sententia, licet nova plane, nullique antehac sit defensa, ex parte tamen pridem placere cœpit viris eruditis, *Scythicam* originem linguæ nostræ *Boxhornio* & *Stiernhelmio*, *Phrygiam* *Baxtero*, *Celticam* denique *Cluverio*, cumque ipso centum aliis tuentibus: *Katenio* contra, nupero illo *de Belgicæ linguæ originibus* scriptore famigeratissimo, *quartum* ac novum plane hominum genus aliquod comminiscente.

At vero, quamvis ab excessu *Celtarum* ad occiduas terras per aliquod tempus una eademque omnium lingua permanserit, factum tamen post hæc est, ut insignes illa mutationes pateretur, & pro tribus, in quas secessum fecerunt illi, partibus *trilinguis*  
fieret

feret *Germania*. Tunc enim nomina *Ingævonum*, *Istævonum* atque *Herminvönorum* primum audita, a voce *wonen*, quæ *manere* antiquitus significabat, derivata, & quæ simul *mansionis sedisque fixæ locum* significarent designarentque. Ita *Ingævones* a voce *wng prope*, hodiernum apud *Cambros* eodem sensu usitata, quod *proximi* Oceano habitarent; *Istævones* quasi *Eastivones* dicas, ab *East*, quæ *Orientis* plagam *Anglo-Saxonibus* denotat, quod, quæ *Orientem* versus *Vistulam* ac *Viadrum* interjacebat, terram occuparent, *Herminvones* denique, *Tacito medii*, *Plinio mediterranci*, *Mela ultimi* vocati, a *menn locus* & *bir prolixus*, *Celticis* dictionibus, quasi *prolixè habitantes* lateque dispersi appellati fuisse deprehenduntur. Singulæ vero hæ gentes singulas novas dialectos condiderunt, quæ, licet communis matris vestigia aliquantum fervarent, in plurimis tamen mire discrepant. Sic ab *Ingævonibus* habemus linguam *Anglo-Saxonicam*, ab *Istævonibus* *Gothicam*, ab *Herminvönibus* *Francicam* & *Alamannicam*. *Anglo-Saxonica* fororibus suis non tantum ætate prior, sed & simplicitate sua commendabilior, nullis peregrinis ex Græcia Latiove dotibus superbiens, quidquid videatur aliis, fecunda post hæc mater *Anglicanæ*, *Belgicæ*, *Norwegicæ*, *Islandicæ*, *Danicæ* atque *Suevicæ* exstitit. *Gothica*, varia admodum pro variis autorum suorum migrationibus facie conspicua, ita tamen, ut semper aliquid de pristina formæ vestigiis retineret, cujusque monumentum in *Evangelio Gothico* adhuc superest, a Cel. Autore peculiari commentatione *MSta de Lingua Codicis Argentci* illustratum, improlis quidem decessit, multa tamen ejusdem *λεῖψονα* tam in *Oriente* apud *Præcopenses*, quam in *Occidente* apud *Gallos*, *Italos*, *Hispanos* & *Latinobarbaros* ab eruditis deprehenduntur sagacioribus. *Alamannica* tamen & *Francica* novissime omnium ex variarum Germaniæ gentium, quæ in sociale fœdus ac bellum sub *Alamannico* ac *Francico* nomine contra Romanos pro asserenda libertate coiverunt, idiotismis natæ; hæc *Palatinam*, *Franconicam* atque *Saxonicam*, illa *Suevicam* & *Helveticam* dialectos, qualibus hodie utimur, progenuit. Atque ex his quidem, quæ prolixius de *primigenia Germanorum lingua* exposita sunt, facile cuivis constare confidimus, vehementer falli illos acturpi-

ter, qui, quod hodie nobis in ore est, idioma idem esse cum primævo illo primortan Germaniæ Colonoium arbitrantur.

Neque vero ubi jam *præfationem* hanc legendo absolverit lector, aditus ipsi ad *Glossarium* conceditur, sed inspicienda prius adhuc, utilissimo instituto, exhibentur *prolegomena de Particulis præpositivis & postpositivis Germanorum, earumque causis ac virtutibus*. Harum enim cognitionem, quamvis nemo fere illam hactenus attenderit, aut explicare tentaverit, necessario præmitti debere, existimavit Autor doctissimus, insignem quippe ipsi operi lucem fœneraturam. Illis *duodecim* subnectuntur *regula etymologica* generales, variis observationibus condecoratæ, quæ, quum maximam partem univèrsam Etymologiæ in unaquavis lingua negotium dirigere debeant ac illustrent, meruisse nobis vitæ sunt ut huc transcriberentur. Sunt vero hæc: I *Nova pendent ex antiquis: non vice versa.* II *Origines, quæ domi haberi possunt, non debent peti ab exteris.* III *Lingua, in qua vocis alicujus ratio & causa redditur, ejusdem vocis genuina mater est, etiam si vocem ipsam non agnoscat.* IV *Derivata debent referre & exprimere sua primitiva.* V *Veritas derivationis ex similitudine soni & sensus dijudicanda est.* VI *In sono non tam ad vocales quam ad consonantes attendendum est.* VII *Quædam substantiva oriuntur a verbis, quædam verba a substantivis.* VIII *Verbum a verbo regulariter non oritur.* IX *Particula solent esse veræ radices.* X *Absque particulis nihil derivari, nihil componi potest.* XI *Figuræ Grammaticorum in negotio Etymologico recte adhibentur, quoties opus est.* XII *Orthographia pendet ab Etymologia.*

Jam vero & de ipsa *Glossarii* constitutione paucis quædam nobis dicenda restant, quod ita adornavit Vir clarissimus, ut selectis ex amplissima prolixioris operis farragine, veluti occurrerant, vocabulis, eorundem *origines* explicaret, ac quasi *Genealogiam* aliquam, secundum varias linguæ nostræ ætates atque dialectos, supra a nobis ex dissertatione præliminari indicatas, traderet. Qua in re quum ita se gesserit, ut *leges* illas, quas diximus, *etymologicas* religiose servaret, nihilque plane de vocum causis absque sufficienti antiquitatis suffragio, & non nisi consultis studiose

MENSIS JANUARII A. MDCCLXXVIII. 3

diſe cujuſvis gentis moſumentis domeſticis, quantum quidem illorum typis expreſſa cuius patent, ſtatueret, manifeſtum eſt, egregie ipſum has partes expleviſſe, ac eruditæ civitatis plauſum optime mereri: quin hortandum eſſe rogandumque impenſe, ut integrum aliquando opus, quod bene multis abhinc annis improbo labore conficiendum ſibi ſumſit, publicæ luci pro Germanici nominis ac ſermonis gloria exponi patiatur.

**HIERONYMI GUILIELMI SNABELII, BRE-**  
*ma-Saxonis, (dum viveret) SS. Th. D. Prof. & in Eccleſia*  
*Auſgariana Myſteriorum divinatorum interpretis, Amœni-*  
*tates Theologiæ emblematicæ & typicæ. Accedunt ejuſdem*  
*Oratio de gloria novi ſæculi, & Carmina varii argumenti;*  
*curante GUILIELMO SNABELIO, H.G.F.*  
*Eccleſiaſte Hattemenſi.*

Trajeſti ad Rhenum, apud Gysbartum a Paddenburg, 1727, 4.  
Alph. 2 pl. 13.

**P**oſthumum hoc opus, tum ut Mæcenati ſuo litaret, tum ut genitoris celebritatem ad poſteros transmitteret, produxit in publicum filii pietas. Conditorem illud habuit *Hieronymum Wilhelmum Snabelium*, Bremeniſem, Patre *Wilhelmo*, Martiniani cœtus Paſtore Primario, Matre ex Zepperiano ſtemmate oriunda natum, d. 29 Aug. 1656. Felix quod naturæ beneficio acceperat ingenium, ſtudia perpoliverant, in Academia Lugdunenſi & Ultrajectina ſolenter a juvene culta. Præceptorum enim, quos miratur omne ſæculum, Giſb. Voetii, Joh. Leusdeni, Fr. Burmanni, J. G. Grævii, Chriſtoph. Wittichii, &c. & ſcholis & exemplis, ad illuſtria quævis ea felicitate provocatus fuit, ut ex Gallis Angliſque, quos Sacer Celf. OO. Fœderati Belgii Legaorum Orator, 1679 ſalutaverat, redux, muneribus augetur ex merito ampliſſimis. Admotus erat ſancto muneri, in Heemſtedenſi propter Harlemum cœtu 1681, luſtroque vix interjeſto Daventriam evocatus, cum Patria eundem ſacræ utrique cathedræ 1698 addiceret, tandemque 1702 Gymnaſii directorium eidem decerneret. Idem vero feralis annus erat, quo vergente d. 24 Nov. anno ætatis 47 præmaturis fa-

tis occubuit. Pluribus hæc Editoris præfatio narrat, non ineleganti carminum manipulo aucta, quibus *nativitatem Autoris* Nicol. Weishunius, *nuptias* Petrus Francius & Janus Broukhufius, *obitum* J. Conr. Keslerus, *Bibliothecam* L. M. ipseque Autor *nuptiam* suam cecinit. Molitus, sed frustra, Antiquitatum Ebraicarum Theſaurum erat Snabelius noſter, tria complexurum volumina, nec minus in Epistolæ Paulinæ paraphraſin, cujus in utramque ad Corinthios ſpecimen expectare jubet Editor. Ipſum quod laudamus opus, uno ſaſce eas comprehendit Clar. Autoris lucubrationes, quas vel vivus exſcribi typis curaverat, vel lectionibus & diſſertationibus publicis deſtinatas, ſæpius tamen imperfectiores, ultimamque ſibi limam exorantes, in ſchedis reliquerat. Præmiſſa eſt *de regulis, quas in Theologia typica enucleanda obſervare verum eſt*, diſſertatio. Geminum ſcilicet Ebræorum magiſtris commendatum erat circa S. Scripturam ſtudium, tam quod litteram exponeret ſ. פשוט, quam quod rerum ſignificatus rimaretur, ſ. מררש vel Maimonidis loquendi genere *opus mercavah*. Et myſticum quidem legis ſenſum, non paucos ex hac gente magna ſollicitudine fuiſſe ſcrutatos, teſtimonia Talmudis, Eusebii, Abarbenelis aliorumque p. 3 & 38 confirmant. Eoſdem vero hujus ſenſus indagatores, nomine συζητητῶν intelligi ab Apoſtolo 1 Cor. I, 20, ceu p. 2 aſſeritur, id nec Parallelismus 1 Petr. I, 10 evincit, nec adjectæ voces τῶ ἀνω & τῶ κάτω permittunt, quibus V. T. Codex nullibi deſcribitur. Poſt ubi neceſſitatem ſtudii typici p. 4 paucis commendaverat Cl. Autor, ad vocem τύπου p. 5 accedit, eidemque Scripturæ uſu notionem modo *veſtigii*, ſeu notæ vi τὸ ψαυτῶν impreſſæ, v. c. Job. XX, 25, modo *exemplaris Act. VII, 44*, &c. genere loquendi a pictoribus ducto, tribuit, typique definitionem talem p. 6 annectit: eſſe nimirum rudioſam aliquam, vel re externa, vel perſona illuſtri, in V. T. voluntate Dei factam adumbrationem rei ſublimioris, ſub N. T. extituræ, ad Chriſtum ejuſque populum ſpectantis. Eleganter deinde p. 7 ex Placeo, umbræ ac typi convenientiam monſtrat, in eo vel maxime quærendam, quod non quidem vivos corporis colores, ejuſ tamen figuram & motum, accurata inter umbram & corpus proportione ſervata, exhibeant. Nimiam typici ſenſus quærendi picam evitandam incul-



culcat p. 8, de Origene tamen cum Huetio *Origen. p. 186* mitius pronūciat. Illum equidem præter necessitatem ad typos sæpius confugere, ad literalem tamen Scripturæ sensum subinde provocare, p. 9, 10, 39, 40. Pungit hac occasione p. 11 illos, qui omnes deprecantur typos, nisi quos N. T. docet. Plura enim typis annumeranda reticere voluisse Apostolum *Ebr. XI, 5*. Videtur autem Vir doctissimus miscere invicem *uberiorem typi* alicujus, N. T. autoritate confirmati, *expositionem*, ab Apostolo c. l. commendatam, & *novi* cujusdam *typi constitutionem*, non nisi prævia N. F. scriptura tentandam. Duo typorum genera Cl. Autor constituit: unum, *perspicue* & citra dubitationem talium. Pertinent ad illud ii, quos Scriptura typos vel *ἐντύπος nominat*, ut Jonas *Matth. XII, 40*, Adam *Rom. V, 14*, vel citra denominationem, *re ipsa* cum re spirituali componit: quo pacto ad Christum referes Legis Mosaicæ ritus *Col. II, Ebr. X*, agnum paschalem *1 Cor. V, 17*, *ἱλαστήριον Rom. III, 25*. Supponit hic, cuncta, quæ V. T. Israeli evenerunt, typi indolem habere, cum & Canaan cœlestem hæreditatem præfiguravit, & Hierichuntis per septem circuitus facta expugnatio, mysterium septem tubarum totidemque N. T. periodorum designavit. Superest Autori nostro, Spanhemium P. in his secuto, altera typorum, *probabilium* scilicet, classis; ad quam referendos judicat מושיעים illos & liberatores Ebrææ gentis, easque rerum gestarum narrationes omnes, quarum causa præter eam, quæ a mysterio ducitur, afferri nulla potest. Exempli loco Melchisedecum *ἀγενεαλόγητον*, æternitatis Christi typum affert, priori potius generi typorum vi *Ebr. VII* annumerandum. Addit præterea typos non ubivis, aut in singulis circumstantiis typica relatione gaudere, quin potius in eadem sæpe textus compage quædam ad solum typum, alia ad antitypum, alia ad utrumque spectare. Typum tamen non unicam semper rem adumbrare, sed variam quandoque & diversam. Quemadmodum enim pictura antrorsum faciem aliam, aliam ubi ad dextram, aliam ubi ad sinistram concefferis, exhibens, artem Apellis sui eo magis extollit; sic variam typorum relationem, qua Abrahamus v. c. modo Deum Patrem, modo Servatorem, modo fidelium corpus repræsentat, *πελοπόικilon σοφίαν Θεῶν*, ad miraculum usque demonstrare. Typos in N. T. nullos, omnes

p. 12.

13.

14.

15.

in

- in V. T. œconomia dari, cui Hierosolymæ desolatio, Regni Anti-Christi excidium portendens, finem attulerit p. 16, 17. Succedit terra satis, qua Theologiam docendi munus Breinæ auspicatus est, oratio *de origine & præstantia Theologiæ hieroglyphicæ & typicæ*. Hæc flores veneresque laudati studii exemplis magna ingenii vi rerumque elegantissimarum ubertate ostendit; nitide Hagaris & Saræ historiam, ad carnalem verumque Israelem ac N. T. Ecclesiam trahit p. 37, idque integra dissertatione inferius profequitur p. 187/99. Steengragtii præcipue in Epl. ad Gal. commentario adjutus. p. 195. Docte deinceps, origines typorum emblematicumque sacrorum non Ægyptiæ superstitioni, sed ipsius Jehovæ sanctissimæ voluntati deberi, contra Spencerum evincit p. 40-50. Dissertatio sequitur p. 55 de ADAMO, Christi typo, quem non Cabalistarum sâkem consensus p. 58, sed & Scripturæ autoritas Rom. V, 14, 1 Cor. XV, 45, citra controversiam typis accenset. Multiplex ostenditur inter utrumque Adamum harmonia. Consilium utrinque præcessit p. 53; est uterque ἀπάρτος inter homines, Deumque unice Parentem habet, coll. Luc. III, 38. Monet in transcurso Cl. Autor, verba Mal. II, 10: *Nonne unus nobis Pater est*, non de Deo, sed Abrahamo accipienda esse; quæ tamen glossa ex c. l. v. 6 facile refutatur: nulla & tautologiæ, quam objicit, formido est, cum providentiam primo, deinde creationem comma illud edisserat. Adamum porro & Christum fœdere convenire cum utroque inito Hof. VI, 7, Zach. VI, 13, nec minus condita ex latere nupta, cum Augustino de C. D. L. XII c. 17, & in Ps. LVI, arbitratur Noster p. 70. Ecclesiam enim ex perfosso Servatoris, mortis sopore placide quiescentis, latere, veluti lectissimam secundi Adæ sponsam, prodiisse Eph. V, 30, 32, Hof. II, 19. Inde & Evam, non factam dici, sed *adjectam* Gen. II, 22, ut Ecclesiæ, quæ domus Dei & templum est, vel nomine hoc responderet. p. 71. De viro quoque, viraginis cognomentum accepisse, quod Christi sui nomen gestet Ecclesia 1 Cor. XII, 12, Act. IX, 4, XI, 26. Uterque Adam unicus sui stemmatis parens, naturalis ille, hic spiritualis, Jes. IX, 6, in pr. Rom. V, 15, cui enucleando oraculo Autor p. 74 §. 20, in hæret, Judæorum præcipue suffragiis, v. c. Bereschith rabba Par. XII f. 14. col. 4, docte demonstrans, infelix illud Adami παραπτώμα posteros omnes corrupisse;

rupisse; ubi & decem Adami primi  $\text{אָדָם הַפְּרִימִי}$ , ingeniose magis, ut quod res est modeste fateamur, quam solide ad Messiam applicat *p. 78*. Autor namque Cl. nimium Cel. Cocceji placitis addictus, conjectanea & ceu ipse quandoque subolere nobis visus est, tortuosa nonnunquam affert, perspicacioris iudicii lectoribus parum se probatura. Spectat huc Irenæi illud, Adamum  $\text{ἐκ παρθενικῆς γῆς}$ , æque ut Messiam e virgine natum esse, *p. 58* seq.; utrumque cæli terræque filium *p. 60*; nomen A Δ A M, Græce scriptum, quatuor mundi plagas a Servatore redimendas,  $\text{Ἀνατολήν, Δύσιν, Ἀρκτον, Μεσημβρίαν}$  complecti; (cui tamen Augustini conjecturæ nec ipse multum Cl. Autor fidit *p. 61*) eodem anni tempore, autumno scilicet mense Tisri, Adamum cum orbe conditum, & Servatorem natum esse, ubi & quæstio, quo anni tempore mundus sit conditus, operose *p. 61-67* discutitur, diesque Servatoris natalis mensi Tisri vindicatur *p. 65, 67*. Affinia his sunt, utrumque rerum omnium hæredem fuisse, *p. 70*, & adiutorio caruisse, *p. 69*: verba etiam *Gen. II, 24* de Christo esse interpretanda, qui descendens ex cælo Patrem, Matrem vero Mariam a Synagogam Judaicam in ascensione ad cælos reliquerit, *p. 31 & 72*. At quo pacto Synagoga mater ascendentis Christi, quomodo & derelicta dici poterit, cum ex Judæis æque ac gentibus Ecclesia fuerit collecta? *Job. X, 16, Hof. I, 11, Eph. II, 14*. Dubium & vel maxime est, eodem die hebdomadis, sexto scilicet, & Christum mortuum & Adamum lapsum esse; eadem hora Christum damnatum, qua seductus Adamus; eodem trihorio Adamum ante Protevangelii promulgationem peccati caligine obfuscatum fuisse, quo in passione Domini, lumen Soli ademptum; imo ea Christum hora obiisse, qua vel Adam promissione Messix erectus, vel (en fluctus) ex Paradiso ejectus, vel ex Eutichii Alexandrini Patriarchæ mente, mortuus; eodem & loco, in monte nimirum Calvarix, Christum mortuum & Adamum forte sepultum esse, *p. 80, 82*. Triplex quoque Mediatoris nostri officium in Adamo invenisse sibi videtur. *Propheticum*, cum ab Adamo prolata *Gen. II, 23*, ipsi Deo, per Prophetam locuto, adscribantur *Matth. XIX, 45, p. 82; Regium p. 83; Sacerdotale p. 84*, ob sacrificium oblatum, & adhibitas in usus proprios pelles, coll. *Lev. VII, 8*, Servatoris justitiam, præsentissimum illud spiritualis nuditatis remedi-

p. 79.

um significaturas, p. 98 coll. *Ap. III, 18*. Sollicite vero p. 83 actum mactationis & oblationis in sacrificio Adami distinguit. *Mactatione* enim candidè fateri, suo se peccato, Mellæ tam certo in sobole olim sua mortem illaturum esse, quam vere agnum hunc, innoxium animal, jugularet. *Oblatione* autem Mellæ munus adumbrare, quamvis hic proprium, is alienum cruorem fuderit. Discrimen deinde utriusque Adami exponit: Primus Dei similitudinem affectavit, quod non tam ex Promethei fabula, ceu Autori nostro placet p. 87, quam *Gen. III, 5*, patet: alter vero *ἐχ' ἀεργαγμὸν ἠγήσατο τὸ ἐναντὶ Θεῶ, Phil. II, 6-8*. Hic victor, ille victus ex pugna discessit, quamvis iisdem artibus (quæ conjectura est Cl. Autoris) cupiditate scil. carnis, libidine oculorum, fastuque vitæ, uterque a seductore tentaretur, p. 88. Exegetis etiam docta gemini oraculi Paulini subministratur, *1 Cor. XI, 45, p. 89 sq.* ac *Rom. V, 15, p. 88*, qua universalitatem meriti Christi inviolatam relinquit, alibi non obscure concessam p. 262, alibi vero p. 243 iterum negatam. Tandem salus Adami contra Tatianum & Severum, Encratarum parentes, ipsumque suum Calvinum a Cl. Autore adstruitur, p. 94-99, adjecto in infelicem humani generis statorem epitaphio. Ad *ABELEM* nunc accedimus, Christi typum *Ebr. XII, 22, XI, 4*. Natus uterque seculo in deterius ruente, iustus uterque p. 105, *πρωτομάργυρ.* p. 120, Deoque carus p. 104. Pastor erat Abel, Pastor & Christus, *Job. X, 11, 1 Petr. V, 4, Ebr. XIII, 20*. Spontaneus uterque sacerdos, unicum holocaustum, (non tamen sine jussu divino p. 106) offerens pacificum, *Lev. VI, 12*. Ille *מקץ ימי* s. anno præcipite, *Ex. XXIII, 16*: hic, *ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τῶν τῶν, Ebr. I, 1, p. 112*. Abelis victimam *ἐμπυσισμός* gratiosus, commune illud beneplaciti divini signum, probavit, p. 111, 114 sq. cui in antitypo, *ἐμπυσισμός* Pentecostalis *Act. II*, respondit, p. 118. Uterque tandem Abel fraterna crudelitate occubuit, p. 104. Conjecturas de genere mortis, manuum scilicet pedumque perfossione utriusque communi, p. 119, eodemque ætatis anno sustinenda, p. 120, de jurejurando per utriusque sanguinem, deque precibus in typici verique Abelis nomine fundendis, p. 121, tantisper seponimus. Varia hic perorata sunt elegantioris doctrinæ capita, de sacrificiorum origine, ubi & Eusebii locus *L. I Dem. Ev. c. X* contra

Outra-

Outramum vindicatus *p.* 105sq. 111; de igne *ερανοπετη* in gentiliū sacris *p.* 117; deque sensu loci *Ebr. XII, 24*: in quo quidem languis Abelis clamans, Nostro non cruor Abelis est, quo Cain polluit terras, sed sanguis Agni, ab Abele in sacrificium oblato, *p.* 109 sq. Ingeniose simul, sed & biblice, Cainum cum Judæis componit *p.* 121-138, coll. *p.* 33, ac colloquium Caini & Abelis *p.* 126, lignum Caini *p.* 133, terram Nod, h.e. quamcunque quæ modo exulem & extorrem capit, *p.* 136, punitumque exilio saltem, non cæde, fratricidium, *p.* 137 illustrat. *SETHUM* ordo tangit, resurgens Christi *p.* 146 inter typos relatum, præcipitato tamen meletemate, ac ratione hac parum gravi, quod Christi *κατα σάρα* Pater fuerit, *p.* 143. Exponuntur fufius Scripturæ loca, *Gen. V, 1, 2, p.* 147 & *Num. XXIV, 17, p.* 144. *ENOC HUS* succedit, in cuius nomine æque, ac cognomento Metatron, Judæis soleenni, ad Servatorem applicandis, multum, sed veremur, ingeniose magis quam folide Cl. Autor laborat *p.* 150-155. Typum uberius in Prophetia Enochii quærit, *p.* 155 varia de eadem disputans; in sacerdotio, quod gentis suæ primogenitus sibi vindicabat, *p.* 157; in vitæ sanctimonia, quam æque ac in Servatore, Judæorum malitia hypocritin fuisse criminatur *p.* 159. Assumptus in cælos, non mortuus est Henoch *p.* 160-165; Servator itidem noster *ἀνελήθη ἐν δόξῃ* *1 Tim. III ult.* Genuit Henoch Methusalem *μακροβιότατον*: Christus æternam suis filiis impetravit vitam, *p.* 166. Ad *NOAM* progredimur, cuius nomen, singularem Parentis Messiam expectantis, fidem testatur *p.* 168, attulitque hic verius quam ille quietem, *Matth. XI, 29.* Christum a Noa significatum fuisse, ex *1 Petr. III, 19* & *Matth. XXIV, 37, 38* Noster *p.* 167 & 170 colligit. Erat præterea iustus uterque iustitiæ præco, *p.* 169 sq. gratia Domini gavisus: intercessor etiam & mediator, quod de Noa *Ezechiel c. XIV, 14* affirmat. *Ευλαβής* uterque, *Ebr. V, 7, XI, 7*, media inter convitia, ac petulantissimas sannas operi suo incumbens, *p.* 171. Arcam Noa *κατεσκεύασε* *Ebr. XI, 7*, Christus Ecclesiam *Ebr. III, 5*, ligno servaturus uterque suos. Septem animas Noa primus, totidem N. T. Ecclesias alter tuetur. Hic sepulchri caligine involutus; ille, umbris arcæ tectus latitavit, *p.* 172, rediere vero in terram vivi, novi sæculi felicissimi parentes. Sedata iræ divinæ tempestate Noa colum-

lumbam emisit, Spiritus Sancti a Christo in Apostolos descendens symbolum. Sacrificium utriusque *eis κομην ευωδιας* oblatum, *Gen. VIII, 20, Eph. V, 2*. Crapulam quoque Nox & nuditatem, ingeniose ad passionem Servatoris, Noster *p. 173* accommodat. De Arca Nox plura, quæ ad formam ejus, materiam, reliquias, ipsumque diluvium spectant, omisso ejus mysterio, promit *p. 175—186*. **JACOBUM** Servatoris typum laudat, Evangelistæ motus asserto *Job. I, 5, 2*, quod quidem visionem Jacobæam ad Christum applicat, somniantem vero Jacobum Servatorem præfigurasse, nondum evincit: quin aliud potius mysterium Jacobo & Esau subesse, Scriptura docet *Gen. XXV, 23, Rom. IX, 11*. Fundamento tam instabili superstructa, omnis titubat mystica allegoria. Cui quæso persuadebit Cl. Autor, Jacobum in nativitate secundinas rumpentem, manuque sua, non sine miraculo pedem fratrisprehendentem, Christi, miraculose ex virgine nascituri, typum fuisse? *p. 197*. Nec reliqua argumenta, ab integritate, aut vita Jacobi pastoritia defamta, rem conficiunt. Parum quoque præsidii *Ebr. XI, 20* latet; nil enim amplius quicquam inde confirmatur, quam Isaacum, filii benedicentem, ad Messiam respexisse; ast quo hinc pacto concludendum sit, Messiam a Jacobo adumbratum fuisse, merito ambigimus. Imo & Jacobi nonnulla in Christum plane non cadunt, v. c. de gemina uxore fraudibus foci obtrusa: quando enim, quæso, Christus Ecclesiam ex gentilibus colligendam, h. e. ex mente Autoris Rahelem, a Patre promissam accepit, cui deinde Lea, s. Synagoga Judaica fuerit supposita? Videtur omnino Cl. Autor suos hic manes, qui optimos etiam quosvis manent, haud parum passus. A Jacobo ad scalam a Patriarcha visam progreditur *p. 203, agnumque Paschalem*, quatuor dissertationibus illustratum *p. 207* seqq. Hunc ex capris quoque vi legis divinæ desumendum fuisse monet *p. 213*, arbitratus tamen, pios ex Israelitis libentius frequentiusque agnum obtulisse, quem & præceptum divinum magis præcipueque intendit, *p. 215*: licuisse interim pauperioribus de plebe & hædos mactare, eo quidem mysterio quod hædi pro expiandis peccatis aræ, æque ac Christus aræ crucis, fuerint imponendi. *p. 216* coll. *Lev. XVI*. Agnus immolandus erat unius fere anni, in optimo scilicet ætatis flore, quo & Christus occubuit.

MENSIS JANUARIII A. MDCCXXVIII. 21

cubuit, p. 231. Separandus ille erat, quarto ante maclationem die, publicoque exponendus conspectui: Christus quarto ante obitum anno, omnium in oculis solenni ritu inauguratus est agnus, qui tollit peccata mundi, *Job. I, 36*, imo & die quarto postquam Hierosolymam venerat prehensus, ligatusque ad maclationem. Pascha in plenilunio, *πληρώματος χρόνου*, quo decurrente Christus advenit emblemate, p. 235, duasque inter vespers maclandum erat, p. 236, maturam & seram, h. e. a meridie cum Sol declinare inciperet, h. 3, Judæis 9: eodem diei tempore, circa V. T. vespers, Servator optimus actus in crucem est. p. 237. Quilibet Israelita agnum, hominum quivis Servatorem, suis interemit peccatis, in cujus mortem omnis Judæorum cœtus conspirabat, p. 238. Docta porro mentio injicitur asperisionis sanguinis p. 239 sqq.; fasciculi hyssopi s. aspergilli p. 242; aslationis in veru ligneo, lignæ crucis typo, p. 246; manducationis maribus fœminisque licitæ, (quia nimirum Christus sine omni personarum discrimine ab omnibus olim comedendus erat totusque cuivis applicandus) p. 251, 262, 264; conviviarum habitus, spiritualium viatorum umbræ, p. 254; non confringendi ossis p. 260; herbæque amaræ & panis azymi p. 264. Erant ossium reliquæ comburendæ; ratio hæc ab Autore redditur, quod qui Christum vera fide comedit, cras non reperitur vacuus nec famelicus, nec novo Christo, vel nova illius oblatione opus habeat, p. 270, quæ quidem Reformatæ Ecclesiæ de *προσκαίσις* supponere videntur placita. Pergit ad commemorationem beneficiorum divinorum p. 271, coll. *1 Cor. XI, 26*: ad azymorum festum p. 275, ostendens, fermenti esum severa lege prohibitum p. 277, perque septiduum mysticum (capita namque Apocalypseos nonnulla confert) celebratum fuisse, p. 280. Agnum extracta Hierosolyma, ibi saltem maclandum, festo per omnem terram peracto, p. 285, diem vero hujus festivitatis primum & ultimum, sacros maxime fuisse. Succedit de *VACCA RUFA*, typo Christi *Ebr. IX*, Judæis maxime ignoto, p. 288 tractatio, caput *XIX Numer.* paucis exponens. Describitur juvenca p. 290, omnis circa eam suscipienda actio p. 291, & mystica ejusdem significatio p. 293 sq. Transfitur ad *LOCUSTAS BIBLICAS*, deque variis earum generibus ac historia, copiose disseritur p. 295–300, 306 sq. Illustratur apocalyptica vi-

p. 268.

sio *Cap. IX*, atque ad *Jesuitas* hic accommodatur p. 300–311, 323. Hos namque, cum apocalypticis locustis ex fumo, sive distiunctiuncularum philosophica fuligine, ortos, ac innumera illa locustarum vi, Germaniam, Italiam & Poloniam A. 1542 depopulante, antequam sequenti anno in his provinciis libere condescendi veniam iisdem impetrarent, esse significatos. Duraturos eosdem per V menses, s. 150 dies, h. e. totidem annos esse, p. 305: qui tamen calculus oppido falsus, cum annus 1690, qui a prima origine (1540) quinquagesimus supra centesimum erat, jam pridem præterierit. Oratio adjecta est inauguralis *de gloria novi seculi, quam sibi expectatissimam, gens Christo devota anhelat, & eminens exosculatur*, cum ad Recloratum accederet, recitata, p. 312. Exordium illius nummum aliquem Gratiani affert, cui epigraphæ adjecta: *Gloria novi seculi*. Existimat Cl. Autor, Imperatorem, Christianæ religionis propagationem, superatis triginta Germanorum millibus tentandam, eodem polliceri, p. 313 sq. Sermo ipse res Christianorum instauratas labascentesque, ex antiquitatibus sacris doctè depingit, monstratque, nec Constantinii M. nec Reformationis tempora, gloria novi seculi exsplenduisse. Superesse igitur præclarum & illustre seculum, ac insignem Judæorum conversionem, p. 327, quam a se expectari, jam supra p. 131, 139 indicaverat. Argumenta ex *Lev. XXVI, 40 sq.* *Deut. II, 30, XXX, 2, 3, 7, 8, XXXII, 43, Jof. XI, 11, 12, Ez. XXXVII, 21 sq.* *Hof. III, 4, 5, Matth. XXIII, 39, Rom. XI, 25, 26 &c.* exsculpere conatur, Lutheri etiam autoritate usus p. 329, 336. Sperat reductionem populi in terram Canaam p. 330, quam *Lev. XXVI, 42, 43, Jer. XXX, 3, 18, Pf. LXXXV, 9, 10, Ez. XXXVI, 9, 24, 34 &c.* sibi invenisse videtur. Alienissimum se vero a Chiliastarum somniis profiteretur, regno millenario mundano p. 337, templo tertio erigendo, innovandisque ceremoniis leviticis p. 333, Scripturæque effata mystice intelligenda esse, p. 330. Sic tabernaculorum festum *Zach. XII, 16*, ea notare auspiciatissima N. T. tempora, quibus mirabiles Dei ducentis vias, festiva hilaritate, emendatus Israel esset celebraturus, p. 335. Reliquum quod superest chartarum, carmina odæque complent, Snabelianæ Mute ornatissimi factus. Insertum est Carminum specimen, quod Guilielmi Musophili nomine 1689 Daventriæ Cl. Autor ediderat Agmen clau-



claudit triplex, rerum videlicet, vocum Ebraearum, & Scripturæ locorum index. Ex illis vero, quæ attulimus, libri contentis patefcet, nec infeliciter omnino suo hoc labore defunctum esse Cl. Snabelium, ex Josuæ Placei opusculis plurima haurientem; nec sine voluptate & fructu eundem legendum, quanquam largam omnino post se relinquat studii typici messem, & ad aliorum merita, Baumanni, Taylorii, Antonii van Drielen, Langii &c. nondum accedat. Ipse hoc de se existimari voluit, p. 18 fassus, se pilos saltem, pelles & ligna ad tabernaculum Moïsi afferre. Et melius, longe operi fuisset consultum, si curatori rerum ordine uti, ac elegantissimis & ingeniosissimis, quas numerosas apponit, dapibus frequentius acriusque judicii Theologici condimentum addere Cl. Autori placuisset. Nimum vero Cel. Cocceji placita deperire videtur, non mysticum saltem Scripturæ sensum ibi sæpe ubi nullus est, rimando, sed & de dilatione peccatorum in V. T. idem cum Viro Cel. defendendo p. 7. Negat etiam, quod obiter notamus, descensum Christi ad inferos localem p. 95. Laudamus interim singularem Cl. Autoris modestiam, quam in judiciis de Lutero ferendis passim comprobatur. Eum p. 330 Calvino in cælo junctum, ac in communis Domini æternis laudibus occupatum, nominat. Dolemus ad ultimum, sphalmatum typographicorum barbaram plane frequentiam, quam horrida illa erratorum caterva, colophonem operis comitata, cuius facile monstrabit, lectionem operis fastidiosam lectori reddere.

**JO. GEORGII WALCHII, THEOL. D. ET P. P.**  
*Observationes in Novi Fœderis libros, quarum prima Pars  
 ea continet loca, quæ ex Historia Philosophica  
 illustrantur.*

Jenæ & Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Ritterum, 1727, 8.  
 Plag. 9.

**E**X quo S. R. Autori, Collegæ nostro æstumatissimo, traditum fuit munus in Academia Jenensi elegantiores disciplinas publice docendi, operas suas ad Codicem sacrum, præsertim posterioris Fœderis, ex humaniori doctrina illustrandum contulit,  
 omnes-

omnesque fere illius libros hoc interpretationis genere illustravit. Ex his commentationibus selegit principes, ac postquam ea, quæ breviter, ut Academicarum recitationum ratio fert, litteris confignata ac dicta fuerant, copiosius ab ipso sunt exposita, juris publici facere animum induxit. Decretum ipsi est, tres partes harum observationum constituere atque in prima ista loca interpretari, quæ lucem suam habent ex historia philosophica; in secunda ad ea se conferre, quæ ex antiquitatibus Græcis ac Latinis illustranda sunt, atque in tertia utilitatem demonstrare, quam historia civilis ad hanc interpretationem affert. Prima pars harum observationum prodit in lucem, quæ ea continet loca, quibus aut lucem ex historia philosophica attulit, aut defensionem illorum adversus istam suscepit, postquam ea ab aliis minus recte ac feliciter ex historia philosophica sunt illustrata. Primus omnino est Autor noster, qui ex instituto ad hanc interpretationis speciem accessit. Quamvis enim non defuerint eruditissimi viri, qui ex variis elegantium litterarum disciplinis multa loca Novi Testamenti explicarunt, nemo tamen tam diligenter ac studiose caput hoc historiarum philosophicarum, egregii ad Novi Testamenti explanationem adminiculi, ac Autor noster persequutus est.

Prolegomena, quæ Autor præmisit, differunt de utilitate litterarum humaniorum in interpretatione Novi Fœderis, speciatim de utilitate Græcæ linguæ profanorum scriptorum; antiquitatum profanarum; historiarum civilis ac philosophicarum, cujus usum in historia quoque ecclesiastica monstrant, atque ex his dictis efficiunt consequentiam, legendos esse profanos autores. Ipse liber complectitur octo & decem observationes. Prima illarum agit de *comparatione sectarum apud Judæos cum sectis Græcorum Philosophorum*. Existimarunt nonnulli, Phariseos cum Stoicis, Sadducæos cum Epicuræis, atque Essæos cum Pythagoræis consentire, quam sententiam Autor noster refutat, atque ostendit, quod, quamvis nonnulla in quibusdam inter sectas Judæorum & Græcorum Philosophorum sit similitudo, major tamen sit dissimilitudo. Secunda tractat de *Magis ex oriente Bethlehemum profectis*, *Matth. II, 1*, atque ope historiarum philosophicarum eorum opinionem maxime probabilem reddit, qui Magos, Christi cultores, ex Perside in

in Judæam venisse putant. Tertia inscripta est de *metempsychosi* *Judeorum*, *Matth. XIV, 2, XVI, 14, Job. IX, 12*. Loca hæc multi ex sententia de metempsychosi, sive transmigracione animarum, quam & Judæi amplexi fuerint, explicare instituunt, quos quidem Autor pariter refutat. Observat enim, nullam satis firmam causam esse, cur Judæis hanc sententiam adscribamus, quocirca non solum in argumenta hujus opinionis inquirat, sed etiam illis alia opponit graviora. Quarta exponit de *Lazari anima per angelos in cælum delata*, *Luc. XVI, 22*. Inter Dæmones, quos credebant Pythagoræi ac Platonici, erat quidam ἀναγωγός dictus, de quo sibi persuadebant, eum ἀνάγειν, *ad superiora ducere* mentem e corpore, quod momentum postquam ex historia philosophica copiose fuit illustratum, ostendit Autor, quod illud neutiquam ad ea debeat applicari, quæ de anima Lazari per angelos in cælum delata dicantur. Quinta de *Christo λέγω*, *Joan. I, 1*, imprimis Clarissimo Viro, *Joanni Clerico*, opposita est, qui putavit, quod Joannes, quando Servatorem generis humani dixerit λέγειν, hanc appellationem ex Platoniorum ac speciatim Philonis scriptis mutuam sumserit. Observatione sexta existimat Autor, quod *questio Pilati: quid est veritas?* *Joan. VIII, 38*, ex Philosophia Academica, quæ omnia incerta esse vult, sit illustranda, quam sententiam ut stabiliret, per varia testimonia monstravit, Philosophiæ hujus vestigia esse apud Romanos. Septima disputat de *communione bonorum veterum Christianorum*, *Actor. II, 44, 45, IV, 32*, quæ observatio eo spectat, ut ostendat, hanc Christianam communionem neutiquam comparandam esse cum ista, quæ in Pythagorica recepta erat disciplina. Octava de *sapientia Moysi*, *Actor. VII, 22*, & nona de *genio Petri*, *Actor. XII, 15*, exponit; decima vero de *disputatione Pauli cum Philosophis Atheniensibus*, *Actor. XVII, 18*, quæ satis est copiosa, & undecima de *Ephesorum libris combustis*, *Actor. XIX, 19*. Subsequuntur reliquæ de *stultitia sapientum*, *Rom. I, 22*, ubi ratio ex historia philosophica explicatur, cur Paulus de Romanis Philosophis dixerit, quod facti sint stulti: de *Christo crucifixo*, *Græcis stultitia*, *1 Cor. I, 23*, in qua accurate ac solide explicatur causa, propter quam Græcis sapientibus doctrina de Evangelio videbatur absurda: de *philosophia Christianis hominibus nocitura*,

*Col. II, 8, de cultu angelorum, Col. II, 18, de tribus hominis partibus, 1 Theff. V, 23, qua Autor contra istos disputat, qui arbitrantur, hominem compositum esse ex tribus partibus, spiritu, anima & corpore, atque ostendit, quod verba Pauli sententiæ huic minime faveant: de falso sic dicta cognitione, 1 Tim. VI, 20, & de Deo, qui nullis malis affici potest, Jacob. I, 13.* Luculento sane documento sunt hæ observationes, quanta sit dignitas historiæ philosophicæ & quantam hæc lucem afferat interpreti Novi Testamenti. Simul vero ex illis dici potest, quomodo qui eruditionem profanam ad interpretanda oracula divina afferre volunt, modum debeant tenere, ne eo quod nimium est peccent. Recte enim Autor & præceptione, & exemplo suo monuit, quod ubi nimium studium in explanando ex profanis autoribus codice sacro ponatur, facile alii, illi præsertim, qui eruditionem unice ad humanitatis disciplinas referant, in opinionem dignitati Scripturarum Dei inimicam & perniciosam deduci possint, quod liber hic divinus non aliter sit legendus atque explicandus, ac scripta Ciceronis, Livii, Ovidii aliorumque legi soleant ac commentariis illustrari.

### Einleitung in die Philosophie.

h. e.

**INTRODUCTIO IN OMNES PHILOSOPHIÆ  
disciplinas, in qua non solum istæ accurate inter se nexæ  
explicantur, sed etiam origo & fata illarum ex historia-  
rum monumentis recensentur, edita præcipue in usum Lexi-  
ci Philosophici a JO. GEORGIO WALCHIO,  
Theol. D. & P. P. in Academia  
Jenensi.**

Lipf. apud Jo. Frider. Gleditschii B. Filium, 1727, 8.

Alph. 2 pl. 3.

**I**Sagogen hanc in singulas Philosophiæ disciplinas S. R. Autor præcipue in usum Lexici Philosophici, quod A. 1727 in publicam emisit lucem, edidit, ut quæ ibi secundum litterarum ordinem tradita sunt, nunc ope hujus introductionis inter se nexæ, pro  
ut

ut rerum indoles ac natura postulat, legi possint ac cognosci. Virtutibus, quæ hujusmodi Philosophiæ compendia, imprimis recitationibus Academicis destinata, ornant & commendant, Introductio hæc omnino est conspicua, sive respiciamus ad accuratum ordinem ac nexum, quo non solum ipsæ disciplinæ, verum etiam illarum veritates inter se conjunctæ sunt propositæ; sive ad perspicuitatem; sive ad solidam probandi ac dijudicandi rationem. Habet quoque nonnulla, quæ adhuc in aliis hujus generis Philosophiæ libris fuerunt desiderata, siquidem Autor singulis disciplinis breviorum historiam illarum præmisit, atque in ista cum libros, tum fata ipsarum doctrinarum variasque Philosophorum sententias enarravit. In præfatione ostendit, quod licet Philosophiæ studia recentiori ætate magna ceperint incrementa, non mediocriter tamen illorum sit abusus, cujus quinque recenset capita atque illustrat. Ipsum opus divisum est in tres partes. *Prima* illarum agit de philosophia ejusque cognitione generatim, cujus iterum tria sunt capita, quorum primo Autor disserit de indole philosophiæ atque observat inter alia, quomodo experientia primam occasionem philosophiam tractandi dederit; secundo de diversis philosophiæ disciplinis, ubi in tabula quadam nexus illarum accurate demonstratur, ac tertio de cognitione ac usu philosophiæ, in quo Autor tres cognitionis hujus gradus constituit, certitudinis, probabilitatis ac possibilitatis. *Secunda* pars complectitur ipsas disciplinas septem capitibus, Logicam quippe, Metaphysicam, in qua simul tradidit Theologiam naturalem, Physicam, doctrinam moralem generalem, Ethicam, Jurisprudentiam naturalem & politicam, tum publicam, tum privatam. Varia hæc occurrunt, in quibus ab aliorum opinionibus & discendi ratione Autor discessit. Disciplinis, quæ de hominum moribus rite formandis præcipiunt, recte consuluit, cum ea, quæ ad hanc doctrinam in genere spectant, ab illis separaverit, quæ illius disciplinarum sunt propria. *Tertia* pars exponit de mysteriis philosophicis. Postquam Autor capite primo de mysteriis hæc generatim disseruit ac illorum existentiam atque indolem declaravit, capite secundo varia eorum genera recenset eaque in duas classes dividit. Alia spectant ad Deum, ubi disserit de essentia Dei ejusque operibus,

decretis quippe, creatione ac miraculis. Alia pertinent ad res a Deo conditas, cum ad spiritus, tum ad corpora. Quod ad spiritus attinet, Autor singulas illorum species atque operationes considerat, ac disserit de malis spiritibus, speciatim de obsessione, de spectris, magia diabolica: de spiritibus bonis atque angelis tutelaribus: de spiritu mundi ac de anima humana, cujus indolem, originem, unionem cum corpore, statum post mortem aliaque capita attingit. In hisce argumentis exponendis Autor ita verfat, ut ostendat, nos de illis rebus haud aliud quicquam, nisi existentiam earum posse cognoscere, quæ sit causa, cur istas retulerit ad mysteria philosophica. Nec minus hæc docendi ratio, qua abscondita hæc philosophiæ capita separatim tradita fuerunt, est fructuosa, imprimis quum de illis gravissimæ disceptationes soleant oriri, quæ num momentum quoddam secum trahant, facile quisque ex hac doctrina de mysteriis philosophicis potest intelligere, quando velit expendere, quod eruditi viri de ejusmodi rebus acriter disputent, quas cognoscendi intellectu humano nulla relicta est facultas.

**SAM. CHRISTIANI HOLLMANNI, PHIL.**  
*Prof. extraord. in Acad. Vitemb. Commentatio philosophica de Miraculis & geminis eorundem criteriis, aliorumque quorundam de iisdem sententiis, ad tollenda, quæ circa vulgarem moveri sententiam possunt, dubia imprimis comparata.*

Francofurti & Lipsiæ, apud hæredes B. Zimmermanni, 1727, 8.

Plag. 11½.

**UT** CI. Autor, qui in perferutandis rebus metaphysicis acumen & perspicuitatem cum amore veritatis jungere solet, præsentem de miraculis commentationem conscriberet, ansam ei dedit Abbas *Huttevillius* in Tractatu Gallico de religione per facta probata, qui A. 1722 Parisiis lucem adspexit. Etenim cum is argumenta potissimum a miraculis petat, quibus etiam Noster utitur ad stabiliendam autoritatem: Scripturæ sacræ in Tractatu Germanico, ad prælum parato, antequam eidem de *Huttevilliano*

con-

constaret, multi autem in prima statim miraculorum notione, iudice Nostro, ita impingant, ut infinitis fere disceptationibus locum relinquunt, has difficultates e medio sublaturus, in definitionem miraculorum eorundemque criteria sibi inquirendum esse duxit. Non probat definitionem vulgarem, quod miracula sint *effectus in sensus incurrentes, qui omnes omnium causarum secundarum vires superant*, cum inter miracula in Scriptura sacra referantur; quæ naturæ vires non superant, ut tunc temporis quando contigerunt, supernaturali modo fuerint producta, & admissa ista definitione nemo mortalium miracula in casu dato agnoscere valeret, propterea quod nulli omnino mortalium vires naturæ adeo sint perspectæ, ut, quinam effectus eas superet, tuto satis judicare possit, fatentibus ipsis autoribus, qui definitione ista utuntur, veluti *Engelkenio*, Theologo Kostochiensis, in disputatione theologica de miraculis. Urget præterea periculosissimas consequentias, quæ ex hac sententia, ut orthodoxis Theologis probata, fiunt, ut discant illi, qui sapius ex re longe minoris momenti periculosissimas consequentias eliciunt & homines innocentissimos in indifferentiarum & atheorum censum referunt, quam facile foret ipsis par pari referre. Quoniam enim vi hujus definitionis e miraculorum numero exterminanda veniunt, quæ a *Mose*, *Josua* & Prophetis in eundem inferuntur, horrenda, impia & blasphemata consequentia concludendum esse, scriptores sacros fuisse impostores & eorum dogmata meras esse imposturas. Similiter quia vi definitionis ejusdem nemo agnoscere valet, num miracula veri nominis sint, quæ a scriptoribus sacris pro talibus venditantur, certitudinem & divinitatem revelationis, quæ a miraculis pendeat, in medio esse relinquendam & ab amplectenda religione Christiana esse abstinendum, ne in re tanti momenti per præcipitantiâ statuas. Non tamen ideo negat Noster, inter miracula talia quoque occurrere posse, quæ vires naturæ superant, cum ultro largiatur, in hunc censum venire miraculum *Josue* Solem Lunamque stare jubentis. Monstrat deinde, non ideo miracula definire esse effectus supernaturales, quemadmodum somniavit *Spinosa*, quod vires naturæ non superent; manere enim ea supernaturalia ratione *principii*, quatenus a causa prima concursu extra-

traordinario producantur, ut talia non sint ratione *objecti*, quatenus effectus istiusmodi vires naturæ non excedit. Ipse igitur *miracula* definit per *effectus supernaturales*, hoc est, *ex causarum secundarum operatione non oriundos, sed ab ipso Deo productos*. Præscidit scilicet a possibilitate dependentiæ istiusmodi effectus a viribus causæ alicujus secundæ, quæ vulgarem notionem ingreditur. Videntur ipsi eandem, quam ipse tuetur, notionem tenere *Wehrenfelsius, Noltenius & Huttevillius*. Quod jam criteria attingit, unde *miracula* in dato casu agnoscantur; ea sane lubrica censet, quæ vel ab objecto, quod sæpius vires causarum secundarum non superet, vel a modo agendi, qui occultus esse possit, petuntur. Jubet illa sumi a circumstantiis causarum efficientium, tum & sine atque scopo, scilicet si superent vires ejus, a quo proficiscuntur & de cujus pietate ac veneratione supremi Numinis aperte constat, quique nil nisi amplificandam Dei gloriam & promovendum ejus cultum quærit: deficientibus enim his criteriis, pro effectu magico eum declarat, qui vires agentis superat. Applicat hæc criteria ad *miracula Moysi & facta magorum in Ægypto*, nec non ad *miracula Christi & facta Apollonii Thyani*, & ea locis quibusdam Scripturæ, sc. *Luc. XI, 17 & Job. X, 21*, nec non *Wehrenfelsii, Pascalii & Fleetwoodi* menti consentanea esse monstrat. Minime tamen probat, quod *Fleetwoodus* in tractatu Anglico de miraculis *miracula magorum* apparentia Deo tribuat, haud mediocriter miratus, præter *Rechenbergium & Seligmannum*, etiam *Abichtrium*, Theologum *Dantiscanum*, interpretationem ejusdem A. 1705 factam tanquam utilis cujusdam scripti prædicasse, in quo tamen doctrina miraculorum magis adhuc implicetur & difficultatibus maximis augeatur. Postquam vero ostendit, nullum committi circulum, quando divinitas miraculorum ex doctrina, & doctrinæ ex miraculis deducitur, propterea quod non ejusdem doctrinæ, ex qua miraculi veritatem colligimus, divinitatem & veritatem ex eodem miraculo probemus; *Fleetwoodi* sententiam refellit, quod doctrinæ divinitas ex miraculis probari nequeat, & *Bernardi Connoris*, miracula per suspensionem legum motus explicantis, sententiam periculo quidem carere, insufficientem tamen esse, nec ad vera miracula a falsis discernenda quicquam



quam conferre judicat. Quoniam *Anti-Wolfiani* definitionem miraculi *Wolfianam*, quod sit effectus supernaturalis, effectus autem supernaturalis censeretur debet, cujus ratio non continetur in essentia & natura seu viribus corporum, nec in essentia & natura totius mundi, tanquam impiana traduxere; fieri omnino non poterat, quam ut Cl. Autor eandem defenderet atque a verborum detorsionibus liberaret, ostendens, quod eadem accipienda sit de presenti rerum naturalium nexu, in quo ut rationem sufficientem actus sui habeat, quod supernaturale est, impossibile est. Quis enim affirmaverit, quod effectus supernaturalis ex naturali causarum atque effectuum hujus nexus concatenatione fluat? Illustrat notionem *Wolfianam* exemplo pluviae miraculosae precibus *Eliæ* impetratae, 1 Reg. XVIII, 45, & illam quoque Cel. *Wolfi* sententiam propugnat, qua mundus quolibet miraculo mutari, neque idem amplius manere dicitur: etenim cum, iudice Nostro, in se plana, facilis & cuiusvis vel mediocri animi attentione cogitanti obvia sit, prope ipsum miraculum esse existimat, quod illius adversarii tantas de ea excitaverint lites atque turbas, & ingenue profiteretur, se tales objectiones ab iis non expectasse, quæ a mente *Wolfi* prorsus alienæ sunt. Etenim verba Viri eo detorquent, quasi is assereret, miraculo quovis totalium corporum mundanorum Systema ita disturbari, ut, si ordinatam suam retinere revolutionem corpora cælestia inter se debeant, novo quodam restitutionis miraculo opus sit: unde ad providentiam Dei extraordinariam cum ipsis miraculis plane negandam valere ajunt consequentiam, ac talia fingere non aliud esse pronunciant, quam miracula in universum explodere, aut suum potius atheismum prodere. Remittit præterea Lectorem plura de his desiderantem ad observationes elencticas in controversia *Wolfiana* editas, quarum mentionem fecimus in Actis A. 1726 p. 463, 467, & dissertationem suam de jure consequentiarum. Monet deinde nonnulla circa meditationes *Frider. Wagneri*, Pastoris Navenensis in Marchia, de primo Christi miraculo, quæ non rem ipsam, sed methodum tractandi concernunt, & *Spinosa*, miracula pro operibus naturæ insolitis habentis, commenta confutat. Digreditur hinc ad quæstionem: num Deus hodiernum miracula faciat? ubi dubia nonnulla movet ad-

adversus miraculum Parisiis A. 1725 publice nunciatum & ab eminentissimo Cardinali *de Noailles* peculiari scripto episcopali celebratum. Miraculum istud consistit in subita sanatione fœminæ per invocationem panis benedicti solenni processione per vicum, quem ea inhabitavit, deportati, quam Noster vivacissimæ ejus imaginationi de præsentia Christi vera & reali in pane circumgestato tribuit. “Fœmina, inquit, vivacissima imaginatione prædita, de præsentia Christi vera & reali in pane circumgestato, licet perperam, persuasa, magna contentione, maxima corporis spirituumque animalium agitatione, manibus pedibusque incedens, solennem illam processionem insecuta est: quo ipso factum videtur, ut, aucta per objecti præsentiam imaginationis vi fortiusque hinc & per insignem corporis agitationem excitato spirituum animalium motu auctoque sanguinis circulo, repente stupenda in partibus fluidis facta fuerit commutatio, a qua totum sanationis pependit negotium. Urget vero contra circumstantias historicas, quod a testibus confirmari non poterit, sanationem factam esse in instanti, cum per adhibita antea medicamina partes & fluidæ & solidæ ad subsëcutam sanationem jam præparari petuerint, neque etiam constiterit, sanationem esse sine omni remedio factam, sola efficacia fidei ac pietatis illius ægrotæ, cum nemo mortalium de internis judicare valeat. Addit, experientiam confirmare, quod febres alique morbi graviores & tenaciores solius imaginationis vi per *abracadabra* aliasque voces nihil significantes in instanti sæpe curati sint. Tandem monstrat, ad miracula non majorem Dei potentiam, quam ad effectus naturales producendum requiri, quin hos ipsos majus sapientiæ ac potentiæ opus esse, quam illa: quam eandem sententiam, *Strumio, Fleetwoodo, Connor, Clarkio, Bülfingero*, ipsi eminentissimo Cardinali *de Noailles*, aliisque probatam, tanquam impiam & profanam in *Wolfio* exagitavere *Anti-Wolfiani*. Doctam vero de miraculis dissertationem brevi ad lectores, qui sibi soli sapere videntur aliorumque meditationes etiam nondum lectas damnant, admonitione finit.

PETRI

MENSIS JANUARIJ A. MDCCXXVIII. 33

PETRI WESSELING OBSERVATIONUM  
variarum Libri duo, in quibus multi veterum Auctorum  
loci explicantur & emendantur.

Amstelodami, apud R. & J. Wetstenios & W. Smith, 1727, 8 maj.  
Alph. i pl. dimid. 16.

**C**L. Petri Wesselingi hic Observationes eo libentius enarra-  
mus, quo certius ex iis constat, Cl. eorum Autorem in anti-  
quis utriusque linguæ Auctoribus versatissimum esse, eosque ma-  
gno cum iudicio & sedula attentione pervolvisse, & felix proin ia  
obscuris locis dilucidandis & depravatis emaculandis ingenium  
ostendere. Ipsum præstantissimum opus, divisum in duos Libros,  
iterum in sexaginta Capita subdivisum est, ita, ut quivis Liber tri-  
ginta capitibus absolvatur. Dedicavit vero illud Cl. Autor Celsis-  
simo & Serenissimo Principi Arausionensi & Nassovio tersa & fa-  
cili Elegia. Quamvis autem nihil non præclarum & lectu di-  
gnum sit in his ipsis Observationibus; ea tamen specimina in me-  
dium tantum afferre libet, quæ nobis imprimis visa sunt ingeniosa  
& ευσόχως excogitata. Ita in Isæi Orat. p. 73 pro Φελεάδα χωρία, Lib. I cap. II.  
quod Græciæ omnino ignotum, felicissime substituit Φελλέα δὲ  
χωρία, loca salebrosa & aspera, Φελλεῖς enim Atticis sunt, teste  
Suida, πετρώδεις τόποι, loci asperi, unde forsitan ipsum nostrum  
vernaculum Fels, petra, quod obiter monere liceat. Erudita vero Cap. III.  
imprimis est Commentatio de Diis Deabusque κληδέχους sive cla-  
vigeris, qua, allatis veterum Græcorum & Latinorum locis, egre-  
gie docet Cl. Autor, Dianæ, Minervæ, Junoni, Matri Deum, Par-  
cis, Quieti, Proserpinæ, Jano, Portumno, Mithræ, Serapidi, Pluto-  
ni aliisque claves fuisse assignatas, qua re insignem sane lucem af-  
fert iis S. Apocalypseos locis, in quibus Salvator tenere dicitur  
κλεῖς αἰθε, θανάτου καὶ ἀβύσσου, claves Orci, mortis & voraginis.  
Ingeniosa quoque est conjectura, quando in scriptoribus Geopo- XIV.  
njc. L. XV, 7, pro Ἀκραμαμάριον, quæ vox, ipso fatente Cl. Edito-  
re Petr. Needham, nihili est, scribendum censet Ἀκροκορινθίον, idque ex Strabon. L. XIV opportune  
firmat. Docet etiam ex Hesiodo, Philostrato & aliis, recte apud XV.  
Appianum dici τὴν θάλασσαν ἐργάζεσθαι, mare exercere, seca-

re, quod Vir quidam doctus in dubium vocaverat, simulque hæc phrasi scite illustrat locum *Apocal. XVIII, 17, ὅσοι τὴν θάλασσαν* Capp. 16, 18. *ἐργάζε. ται.* Vitruvio vero imprimis emaculando & suo nitore restituyendo operam impendit sedulam ex Cod. MSto Franequera- 13, 20 & 28. no, qui, quantum ex variis lectionibus colligere est, ab optima sane manu esse videtur. In Orphei Argonauticis varia emendat, quæ sese Lectori Critico facile probabunt. Sic v. 735 pro *βαίλλον ἐπ' αἰγαλόν*, quod ægre quadrat, & hinc obscure in versione fuit expressum, feliciter substituit: *πυλὸν ἐπ' αἰγαλόν*, idque ex L. II Argonauticor. Apollonii Rhod. liquido confirmat: porro apud Orpheum v. 755, *ἔσπερ' ἐπ' αἰχέινε*, vespera ab immiti, contra omnem sensum & ipsum expeditionis Colchicæ cursum legebatur, quod Noster sagaci conjectura optime mutat in *ἔσχατ' ἐπ' αἰχέινε*, ad extremum ponti terminum, idque iterum ex Apollon. Rhod. confirmat, ubi *ἔσχατα πείρατα πόντου* scriptum est, item ex Euripide, qui in Medea habet *γῆς ἐπ' ἐσχάτοις*. Præ aliis vero se commendat conjectura nostri Autoris, qua in eodem Orptheo v. 761 pro corruptis *ἄρα σέφανον κ. λ.* legendum ipsi videtur *ἄρ' ἄστου φανόν* acutissime: nec prætermittenda denique illa est emendatio, qua v. 151 pro *ἑρεμνῆς Μιλήτιου*, tenebricosæ Mileti, scripsisse credit Orpheum *ἑρέμνης Μιλήτ.* munitæ Mileti, solenni urbium magnarum titulo apud Poetas, ut ex Callimachi hymno in Delum & aliunde constat. Id quoque attentione dignum, Thomam Magistrum multa ceu minus Attica damnasse, quæ nihilo tamen minus *ἀττιώτατα* esse Cl. Autor ostendit, ut sunt *ἀνήλωσα* & *ἀνήλωπα* apud Sophoclem, Demosthen. & Isocrat. *ἀνθρώπινη φύσις* apud Platon. aliquoties & ap. Demosthen. *θηλάτον* in bono significato ap. Euripid. *πρεσβυταῖς* & *πρεσβευταῖ* iterum apud Demosthen. & Thucyd. ut alia taceamus, quæ omnia bonus ille Thomas pro minus Atticis habet, quum tamen optimæ sint monetz: unde apparet, illi perquam exiguam fidem in his esse habendam, quum ipse Atticam dialectum non satis calluisse videatur, quod præter Cl. nostrum Autorem monuerunt jamjam Viri celeberrimi, Lamb. Bos. Paul. Leopardus, Barbeyracus, J. G. Grævius ad Luciani Solæcisam, ut & Jo. Jensus, quos hac de re laudat Cel. Fabricius L. IV Bibl. Gr. Cap. 34. Transit ad alia Cl. noster Autor. Sic

XXX.

Lib. II, c. 2.

in

in morem Muhammedanorum a vino sese abstinendi inquit, eumque per antiquum esse, ex Nabatzorum, apud Diodor. Sic. L. XIX, & Rhechabitarum, *Jerem. XXXV*, institutis erudite illustrat. LXX Senes in vertendis lacris oraculis sæpius lapsos fuisse, dum varie legerent, ipsis quoque ab aliis multa assuta fuisse, quæ non ab ipsis, perspicue docet. Varios quoque producit versus Sophocleos aliter apud Hesychium scriptos ac in hodiernis editionibus extant, & genuinam lectionem illi Tragico feliciter restituit. Sic & in varias significationes vocum *ἀπάτωρ* & *ἀμήτωρ* inquit, simulque *περιμάχητον* illum sacrum locum, *Hebr. VII, 3*, de Melchisedeco *ἀπάτριος ἀμήτωρ* pulchre illustrat. Præfectorum prætorio Catalogum, a Cl. Petr. Fabro in Semestribus levi brachio confectum, auget quoque luculentò additamento. Præclaram non minus operam ponit in digerendis in suos annos rebus Jul. Cæs. gestis veroque constituendo ipsius Flamini anno, contra sententiam Ill. Cardinalis Norisii. Docet insuper, vocem *ἀνχμαλέσι* in versu Chærii apud Joseph. L. I contra Ap. & analogice Græcam esse, ut ab *ἀνχη ἀνχμαλέσι* formetur, sicuti ab *ἀνη ἀναλέσι*, & a *ἀψα δισαλέσι*, & ipso, quod maximum, Lenophanis versu apud Athen. L. XII c. 6 defendi, qui habet *ἀνχμαλέσι χαιτήσι*, pari sensu, adeo ut hinc lapsus sit Cl. Lamb. Bos, quando in Animadvers. in Auct. Gr. c. 28, vocem Græcam esse negat, & hinc in *ἀνχμαλέσι*, quod apud Hesych. mutandum censet, omnesque illi errarint, qui in verbis Chærii mendam latere putant, ut certe fecerunt plurimi. Ostendit quoque contra Harpocratonem ex Herodoto, Daricos sic dictos nummos aureos a Dario demum Hystaspide esse primum percussos & sic nominatos. Quinque vox *ναστurtium* Varroni, ap. Non. Marcell. C. I 42, ab eo dictum videatur, quod *nasum torqueat*, acri scil. suo & vellicante odore, Cl. Autor rejectis insulsis Etymologorum Græcorum nugis, vocem *καίρδαμον*, nasturtium, non tam Græcam, quam Perficam potius esse vocem asserit, quam ex verbo Orientalium *כַּרְדָּמון* *Chartam*, nasum pungere, unde *כַּרְדָּמון* *Chartom* rostrum & Arabicum *فِرطون* *Chordom* nasus, quod propius ad vocem *καίρδαμον* accedit, ingeniosissime derivat. Alibi valide docet, Amestrin Xerxis uxorem non esse Estheram illam biblicam, ut soni vicinitate inductus cre-

Cap. 3, adde  
c. 21, L. I  
6.

10.

11.

18.

20.

22.

24.

diderat Joseph. Scaliger aliique cum eo, quia illam ut crudelissimam describit Herodotus; hanc contra ut mitissimam facer textus: quam Herodotum inter & sacrum Codicem discrepantiam, ut id obiter inferamus, jam ante nostrum Cl. Autorem accurate pro more annotavit Vir summus Humphridus Prideaux in immortalis operis de sacrae Historiae cum profana Connexione, Part. I Lib. IV. Fere quoque Noster persuadet, in Juliani Epist. 60, ad Jamblich. pro *ἐμῶν Φρένας καλομένησιν πόθω ἀν' ἐφύλαξας*, legendum esse *ἐφλέξας*, idque testibus idoneis, Aristæneto puta atque Dione Chrysolitomo, comprobatur. Quinque apud Ælianum L. XVII c. 37 Hist. Animal. in Historia de aquila ab homine, & vicissim homine ab aquila servato hæc depravate legantur: *ὁμὲν αἰετὸς τῷ σώματι ἀμυγῆς*, quæ sine sensu; Noster contra, suffragante imprimis Apostolio Cent. II, 6, Ælianum scripsisse credit *τῷ σώσαντι ἀμυβῆ* acutissime, nisi quod faciliore negotio locum ita emendandum *τῷ σώματι ὑγῆς*, pace Cl. Autoris, arbitremur. Laude tandem sua minime defraudanda est illa conjectura, qua Silium Italicum L. XII, 408 scripsisse existimat:

— — — nec cedit Homero

Ascrzo famave Seni,

pro vulgatis hætenus:

nec cedit honore

Ascrzo famave Seni.

Atque hæc hætenus. Omnis enim fere liber nobis huc esset transcribendus, si omnia quidem præclare & ingeniose dicta nostri Autoris hic congerere animus esset. Id saltim addere liceat, ingenuam & liberalem nostro Autori esse mentem, unde factum, ut contra pravum plerorumque Criticorum morem, eruditos viros, quos passim, & quidem merito, refellit, modeste & humaniter tractet, & rem dixisse contentus, ab omni verborum acerbitate abstineat; quam insignem humanitatem pios præsertim B. nostri Olearii manes expertos fuisse apparet. Quum enim sæpius in ejus

Lib. I, c. 7, 15. & L. II, c. 8. & 25. Observaciones & emendationes in Philostratum Noster sedulo inquirat, iisque non raro longe meliores & certiores felicissime substituat, sese tamen semper inter modestiæ limites continuit, nec unquam in observantiam peccavit, quam tanto Viro omnino debebat.

bebat. In quo laudabili certe instituto sequutus est Cl. Lambert. Bos τὸν μωκαρίτην, qui quum varia quæque haberet, quæ non sine gravi ratione contra ejusdem beati Viri Versionem & Observat. in Philostratum moneret in Animadvers. in Auct. Gr. Capp. 7, 8, 9 & 10, sollicitè tamen cavit, ut non nisi modeste & circumspicte ab eo dissentiret; quod utinam omnes illi facerent, qui humaniores quidem literas se studiosè colere profitentur, re ipsa tamen in scriptis suis virulentis ostendunt, se omnem penitus exuisse humanitatem.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI  
Poecile, sive Epistolæ Miscellaneæ.  
Tomi II Liber IV.

Halæ, in officina Rengeriana, 1727, 8.

Plag. 9.

**P**rima hujus libri, quo Tomus secundus finitur, Epistola sive Dissertatio aliquot Terentii, Phædri, Petronii, & Ciceronis loca emendat. Altera de Samuelis Rachelii, clarissimi Jcti, vita & scriptis agit. Tertia Lutheri liber contra Henricum VIII Angliæ Regem scriptus examini morali subjicitur, & conceditur quidem, Lutheri iram exarsisse justo vehementius, attamen excusari eum posse censetur primo jure gladiatorio, deinde jure ac more sui seculi. Ceterum minime a Pontificiis hunc librum Lutheranis objici posse, Cl. Autor contendit, cum hunc ipsum morem, aspere tractandi summos Principes, in Papatu didicerit Lutherus, ac reducta puriore religione omnibus Autor fuerit summa Principes prosequendi reverentia. Quarta edisseritur, cur Jacobus Apostolus cap. II, 8 legem de amando proximo vocet νόμον βασιλικόν, doceturque, regiam legem dici pro regina legum, quemadmodum Virgilius Junonem vocet & regiam conjugem pro regina Junone & regina conjuge. Ibidem locus ille perobscurus, Numer. XIII, 33, per hypallagen exponitur, & hisce verbis: Terra hæc est comedens seu consumens habitatores suos, hæc subjungitur paraphrasis: Multitudo incolarum tanta est, ut totam illam terram & quæ ibi nascuntur, consumant: neque adeo locus ibi

*relictus est, ubi nos possumus considerare.* *Quinta* Stephani Gausfeni, Salmuriensis Theologi, vita exponitur ejusque laudatur eruditio. In eadem Dissert. censura exercetur in Chrysofostomi *libros sex de sacerdotio*, Joannis la Placette *Theologiam moralem*, Gottfridi Olearii librum *de veritate religionis Christianæ*, Frid. Spanhemii opus *de Papa femina*, Petri Alcyonii libros duos *de exilio*, Jo. Pierii Valeriani & Corn. Tollii libellos *de infelicitate litteratorum*, Jos. Barberii opusculum *de miseria Poetarum Græcorum*, Ger. Croefii *Historiam Quakerianam*, & Verulamii *Historiam Henrici VII.* Subjiciuntur novem parerga philologica, e quibus duo repetimus. Scilicet primo observatur, errare communiter grammaticos, putantes, βέλτερον esse vocem comparativi gradus, cum omnino sit positivi. Deinde in dictione illa *ἄκτορ*. *XXII, 5, ζηλωτῆς τῷ Θεῷ* judicatur inesse Hebraismus, ut significet *zelotam acerrimum*. *Sexta* Dissertatione tria argumenta historica exhibentur. Primo nimirum ostenditur, novellas politices hebdomarias primum publicari cœpisse Lutetiz A. 1631. Tum de Ludovico Saltatore, Comite Thuringiz, disputatur, nec solum comprobatur Cl. Reinhardi sententia, qui nuper singulari libello falsum ejus ex arce in Salam fluvium inter falsissimas fabulas retulit, sed etiam contenditur, falsum prorsus esse, quod vulgo traditur de Comitibus illius adulterinis amoribus. Tandem, cur Henricus ille, qui contra Fridericum II electus fuit Imperator, cognomentum gesserit *Rasponis*, inquiritur, ostenditurque, eum a sede sua Thuringica *Raspe*, postea dicta *Raspenberg*, hodie *Rassenburg*, ita fuisse cognominatum. *Septima* nova lux infertur Hieronymi *ad Magnum oratorem* Epistolæ *Octava* exhibentur excerpta e literis Andreæ Acoluthi, Christiani Gryphii, Davidis Rungeii, & Christoph. Sontagii. *Nona* producuntur aliquot *macromicroi*, hoc est, viri corpore perparvi, ingenio ac virtute maximi, Melanchthon, Mosellanus, Ulr. Huttenus, Alesius, Faber Stapulensis, Selneccerus, Corn. Mussus, Andr. Maurocenus, Nic. Taurellus, Corn. a Lapide, Petrus Petitus, Opitius, Conringius, Erasmus, Hobbesius, & Pufendorfius. *Decima* Diss. de concordia scholæ atque ecclesiæ exponitur. Denique *undecima* docetur, *ἄκτορ*. *XVII, 22* Paulum non notare superstitionem Atheniensium, sed eorum



eorum laudare religiositatem. Simul etymologia vocum *religio* & *superstitio* e tenebris in apricum producitur.

**BERNARDI SIEGFRIED ALBINI DE OSSIBUS corporis humani.**

Leidæ Batavorum, apud Henricum Mulhovium, 1726, 8.

Alph. I pl. 162.

**R**Ogatus ab Auditoribus suis Clariss. *Albini*, ut Epitomen quædam rei Anatomicæ ad usum eorum conscriberet, publicaretque, illam ejus partem, quæ est de ossibus, nunc primum exhibet; in qua id operam dedit, ut artificium, quo rerum omnium Creator totam constructionem ac formam ossium hominis adulti perfectique fabricatus est, ususque, quos omnia tum universa, tum singula, tum quæque cujusvis eorum partes habeant, paullo accuratius breviusque complecteretur. Et ut pictores ad cujuscunque rei imaginem in tabula exquisitè exprimendam toti ab exemplari dependant, ita & ipse multiplices illas variasque ossium formas verbis quasi depicturus oculos de iis ipsis nusquam deiecit. Quæ vero sit utilitas, quæque opportunitas in nobis eorum, cum ex putrefactis mortuorum corporibus, tum e vivis hausit; ut in Præfatione asseverat. Unde factum est, ut communia & pervulgata, & quæ ex aliorum scriptis intelligi possunt, tradiderit, adjectis plurimis, quæ videntur præterisse priores. Et quo facilius ac melius tot tamque diversas ac mirificas ossium formas & commissuras animo & quasi oculis percipere ac memoria custodire possent Lectores, earum præstantissimas & intelligentium virorum ductu expressas imagines ubique magna cura laudavit. Longe autem omnium, quæcunque in vulgus emanarunt, cum principes sint Vesalianæ & effigierum delectu, & callida partium notatione, & definitivæ linearum gratia, umbrarumque artificio eximix, ad eas præsertim legentium oculos relegavit. Ubi vero Eustachianas aliquid præter eas præcipui habere aut easdem illustrare deprehendit, ipsas quoque allegavit. Præmissis igitur paucis, generaliora de ossibus quæ concernunt, sceletum virilem perfectum examini subicit, ejusque caput, truncum, pedes & brachia seorsim

con-

contemplatur, deque osse hyoide sermonem facit; hinc sceletum foeminiuum perfectum considerat, & in quo a virili discrepet, monet, ac denique appendicem de dentibus subjungit. Spes igitur est, fore, ut ex praesenti Tractatu non contemnendos Lectores fructus sint reportaturi.

**EXCERPTA EX LITERIS AD JOH. BURCH. MENCKENIUM datis a JO. FRIDER. WEIDLERO, de observatione Eclipsis Solaris, instituta Witebergæ die XV Septembris Anni 1709.**

**D**ie XV Septembris proxime elapsi, quo Solis defectus contigit, primo mane Euronotus, (S.O) serenitatem cœli, qua integro & amplius mense antea fueramus gavisi, notabiliter turbare videbatur. Columna argenti vivi in barometro, quæ die XIV Septembris altitudinem 27 digitorum & 6 linearum pedis Parisiensis affecta erat, die XV sesqui linea decreverat, & sparsæ passim per cœlum nubeculæ exiguæ: videndæ eclipseos spem relinquebant. Verum paulo post horam septimam, invalescente Cauro, (N.W) nubes versus orientalem plagam ex voto nostro dispellebantur. Itaque ad observationem accurate faciendam me accinxi. Intuleram autem antecedentibus diebus in conclave ortum respiciens organa necessaria, nempe horologium oscillatorium, tripedali pendulo instructum, quod minuta prima & secunda indicat, & Telescopium Astronomicum longam 3 p. 7 dig. Paris. cui camera obscura conformis longa 2 p. 6 dig. adhæret. In fundo hujus cameræ obscuræ, super tabula vitrea, quæ tenui charta alba tegitur, orbis solaris, diametro 3 dig. 1 lin. ea facie, qua in cœlo lucet, foris inspectantibus exhibetur. Circulus Solis imaginem excipiens, quinque aliis concentricis, atque inter se distantibus, in duodecim digitos divisus erat. Nam cum duobus & dimidio pedibus tabula observationis a lente Telescopii ultima abesset, nullum intercedebat discrimen inter arcus peripheriæ sphericæ, in quam egressi, ex foco lentis ocularis, tanquam ex centro, solares radii diffundebantur, & inter tangentes ejusdem peripheriæ, sive inter cir-

**MENSIS JANUarii A. MDCCXXVIII. 41**

circulorum concentricorum, de quibus dixi, femidiametros. Et quamvis dedissem operam, ut horologii tempus, secundum observationes Solis meridianas, aliquot ante diebus corrigeretur, tamen, cum translatio in locum & situm diversum, inmutabilitatem quandam ipsi inferre videretur, statim post absolutam eclipſis observationem, mensus sum duas Solis altitudines, ope quadrantis quinque pedum, in quo singulæ secundorum minorum decades, rectis transversalibus distinguuntur. Et auxilio primæ altitudinis, 27 gr. 34 m. 30 sec. sive adhibita correctione Wurzelbaueriana, demtaque refractione 3 minorum, 27 gr. 31 m. 30 sec. & positis insuper (1) distantia poli a zenita Witebergæ 38 gr. 8 m. 2) Loco Solis 21 gr. 45 m. Virginis, & inde declinatione Solis 39 gr. 17 m. 3) pro momento observationis, reperi, altitudini Solis modo commemoratæ respondere hor. 8 m. 50 sec. 47. Atque ita perspecto tempore vero, incrementa & decrementa defectus solaris sequentem in modum sese habent.

		H.	M.	S.
Initium Eclipſis antemerid.	-	7.	18.	19
Phases crescentes	-	7.	23.	34
1 dig.	-	7.	35.	24
2 digiti	-	7.	47.	19
2½ dig.	-	7.	55.	4
Phases decreſcentes	-	8.	7.	59
2⅔ dig.	-	8.	13.	24
2 dig.	-	8.	19.	54
1½ dig.	-	8.	29.	57
1 digit.	-	8.	29.	57
Finis.	-	8.	29.	57

Proportio femidiametrorum Solis & Lunæ erat circiter 157, 168. Favit serenum cœlum, quoad duravit observatio. Discus Lunæ, qua partem sub Sole visam, perfectò terminabatur circulo. Color intus niger, in margine cœruleus, tandem flaccus in album Solis lumen desinebat, & Lunæ orbem ambiabat. Maculæ, uti hoc anno frequentissime sub Sole apparuerunt, ita neque die defectus solaris defecerunt. Novem distincte conspeximus, quarum suprema versus occasum posita, circiter quadragesimam octavam diametri solaris partem capiebat. Sed hæc inter mediocres, quas hoc anno vidimus, locum tuetur.

## Die Begebenheiten des Prinzen von Ithaca ꝛc.

h. e.

**PRINCIPIS ITHACENSIS FATA, SIVE**  
*Telemachus Patrem suum Ulysses quærens, Poema ex*  
*gallico Celeb. FENELONII libro Germanice red-*  
*ditum, & animadversionibus Mythologicis, Geographicis,*  
*Historicis atque Ethicis illustratum a BENJAMINE*

**NEUKIRCHIO, Conf. Aul. Brandenb. Ansbacensi,**

*Principis hereditarii Ephoro & Reg. Soc.*

*Scient. Berol. membro.*

Ansbachiz, apud Jos. Valent. Lüders, 1727, fol.

Alph. 5 pl. 18 Tabb. æn. 8.

**Q**UOD ob operis præstantiam & interpretis, Poetæ inter nostros celeberrimi, famam, dudum expectatum est, tandem ex parte prodit Poema Heroicum vernaculum, quod, profam maxime *Fenelonii*, Archiepiscopi quondam Cameracensis, secutus, aliquot partibus abolvere instituit Celeb. *Neukirchius*. Constat inter omnes, quanto ubique plausu receptum fuerit opus hoc ab omnibus, qui vel inventionis fecunditatem, vel ordinis, qui in epico carmine difficillimus est, elegantiam, vel doctrinæ moralis ubertatem, vel denique puri sermonis venustatem in eo agnoverunt, nullis quippe contra Autorem præjudiciis impediti. Non defuere quidem, qui acriori idem censuræ subicientes, vel *Telemachomanias*, vel alia id genus scripta critica publicarent, nullo tamen fructu. Prævaluit enim universo omnium fere nationum Europæarum consensu *Fenelonii* liber, nec ulla fere est lingua cultior, in quam non translatum fuerit, profaico saltem sermone, quo gallice conscriptum erat, opus hoc heroicum. Nostro quoque idiomate dudum lectum est, a Cl. *Bosso*, Lignicensi. in Silesia Professore versum, qui sub *Talandri* nomine alia quoque multa non sine plausu scripsit. Verum qui carmine redderet scriptum, secundum omnes Poematis Epici leges disposito, inveniebatur nemo; donec V. C. *Benj. Neukirchius*, Poeta inter nostrorum primos collocandus, ante decennium & quod excar-

excurrit, se laborem hunc suscepturum esse, non significaret tantum amicis, verum speciminibus etiam prælectis confirmaret. Enimvero nec nobis hæcenus defuere poemata Epica, ex aliis maxime linguis non infeliciter traducta. Exstant enim, præter Postelii Wittekindum, ex Autoris ingenio profectum, versiones variæ, ut Torquati Tassii versio ante hos centum annos elaborata: Virgilio Æneis a Schirnero carmine heroico vernaculo ante hos 60 annos reddita; Lucani bellum Pharsalicum a Seckendorffio ante annos XXXII versu germanico, rhythmis tamen destituito, expositum; & ut alia minoris momenti poemata prætereamus, Brokesii Clades puerorum Bethlehemiticorum ex Mariniano poemate Italo ante decennium translata. His omnibus autem palmam prærepturus videtur Clarissimus *Neukirchius*, qui cum proprio Marte Poema aliquod heroicum conscribere facile potuisset, maluit tamen alieno operi vertendo laborem suum impendere. Ita autem inhæsit textui Gallico, ut libertate quadam, Poetis minime vitio vertenda, in eo exprimendo usus sit; neque tam versionis, quam novi operis faciem dederit Telemacho suo. Virile ubique carmen *No stri est*, nec præter modum tumidus est stilus ejus poeticus, sed qualis Epopœiam decet, castus & purus, materiarumque & personarum subinde loquentium dignitati accommodatus. Orationes certe insertæ nativo quodam decore splendent, affectusque diversos loquentium eleganter satis exprimunt: cujus rei specimina dari possent, nisi in ipso opere eadem legere præstaret. Atque ita comparata sunt cetera, ut vel acutissimi Critici non nisi paucissimos nævos in tanto opere deprehendisse sibi videantur. Animadversiones quod attinet textui subjectas, facile apparet, eas in gratiam Principis adolescentis, cujus Ephorum agit Noster, plerumque additas esse: ejusdem visibus enim integrum opus destinatum esse, vel ex ipsa dedicatione libri ad eundem directâ constat. Sunt tamen inter morales politicasque observationes non paucæ, quæ etiam adultiorum attentionem merentur, Autorisque in scientiis his eruditionem haud vulgarem loquuntur. In Mythologicis non usque adeo prolixus est, cum Lectores desideret, in his non plane hospites. Ceterum a chartæ & typorum elegantia liber maxime commendandus, quibus Figure

quoque accedunt æri insculptæ ac singulis libris præfixæ, quæ operi non parum splendoris conciliant, magnificentiamque Principe dignam præ se ferunt.

**IMPERIUM BABYLONIS ET NINI EX  
monimentis antiquis, Autore JOH. FRIDERICO  
SCHROËERO, Archidiacono Luccaviensi.**

Francos. & Lipsiæ, apud G. M. Knochium, 1726, 8.

Alph. 1 pl. 7½.

**M**erito ex antiquitates curatius pertractantur, quæ ad illustrationem Historiæ sacræ faciunt. Non igitur laude debita fraudandus est Plur. Reverendus Autor, cum hic publicat spicilegium sibi relictum a Scaligero, Petavio, Usserio, Conringio, Marshamo, Cellario, Perizonio, & Vitringa, qui & ipsi historiam Babylonis & Nini diligenter excusserant. Ceterum facile intelligitur, occurrere hic & multas & maxime arduæ definitionis disceptationes: quare potiora duntaxat argumenta hujus libri commemorabimus. Divisus is est in sex Sectiones, quarum *prima* origines Babylonici Imperii explicantur; *altera* de originibus regni Assyriaci ejusque ad Assarhaddonis tempora propagatione dillectur; *tertia* mutationes regni Assyriaci, Babyloniorumque & Medorum defectiones exponuntur; *quarta* ad finem perducitur historia regni Assyriaci; *quinta* historia Babylonici regni a Nabopollassare restituti continuatur usque ad mortem Nebucadnezaris; *sexta* denique successores Nebucadnezaris describuntur & regni totius exitium. Ut igitur ad *Sectionem primam* revertamur, ejus initio contra Berosum negat Cl. Autor, imperia ante diluvium fuisse, urgens non solum silentium Mosis, sed etiam summam illorum temporum corruptionem, ex qua elucere putat, non fuisse tum constitutos imperiorum ordines. Addit, ante diluvium viguisse Theocratiam, qualis postea fuit inter Israelitas, solumque Deum istis temporibus exercuisse jura majestatis, & post diluvium deum ea tradidisse magistratibus. Initium historiæ Babylonicæ capit ex *Genes. XI, 2*, *Kedem* ibi memoratum non habens pro plagæ nomine, sed, ipsam illam terram hoc nomine fuisse

se vocatam, statuens. Hinc ad turrim delatus Babylonicam, receptam de ea sententiam propugnat contra Perizonium & Vitringam. Eiusdem Perizonii sententiam repudiat de Nimrodi nomine, quo appellatur *versator coram Deo*, censetque, ea appellatione describi violentum aliorum oppressorem, & speciatim hostem Ecclesiæ. Illustrata deinceps Moïsis de illa turri narratione e scriptis *רֹאשׁ עֵצָו*, de *Belo* disputat, ejusque sub nomine non Nimrodum latere, sed Chanrum, evincere annititur. Bacchi vero sub nomine Nimrodum latitare, facile assentitur Bocharto. Considerat quoque haud perfunctorie nomen *Chasdim*, quo Chaldæi signantur in sacro Codice, iisque se præbet suffragatorem, qui deducunt id a Chesed, Nachoris filio, cujus etiam de migratione verba facit. *Secunda Sectione* statuit, Assurem illum, a quo nomen traxit Assyria, Abrahami ex Kethura pronepotem, prima regni Assyriaci fundamenta jecisse circa tempora introitus Israelitarum in Ægyptum: at magnum illud regnum demum a Nino & ejus uxore Semiramide fuisse conditum. Facit igitur cum iis, qui *Genes. X, ii* vocem *Assur* pro nomine viri, non regionis habent, idemque sententis Perizonii argumentis contra Bocharti sententiam prolatis subscribit. Hinc adversus eos disputat, qui ex loco quodam Herodoti male intellecto Belum fingunt Assyrium, a Babylonio illo diversum. De vera item Nini ætate longus est, deque ejus regni amplitudine narrationes Ctesia repudiat, etiam patronos ejus, Tuberum & Pezronium, refutans. Ad reges Assyriæ inde venit illos, qui sub exitum regni Israelitici clari fuere, & quæ de iis traduntur in Codice sacro, concinnum redigit in ordinem, cumque profanorum historicorum narrationibus diligenter componit. *Sectione tertia* docet, Nabonassarem, quem Scriptura sacra *Baldan* appellat, ab Assyriis defecisse, & Babylonium regnum; Derocem eodem exemplo regnum Medicum condidisse. Hic cum seculi sententibus Scaligero, Conringio, Usserio, Marshamo erudite congregatur, simulque tempus, quo hæc gesta sunt, e Canone eruit Ptolemaico, cujus auctoritatem asserit contra Conringium atque Harduinum. *Quarta Sectione* de Assarhaddone disputans & ejus successoribus, ea occasione auctoritatem historiarum de *Juditha* labefactat & evertit. Sardanapalum a Nabopolassare

Babylonio victum & ad vivicomburium adactum concedit ac defendit finem attulisse Assyriaco imperio. *Quinta Sectionis* maxima parte illustrat Rev. Autor res a Nebucadnezare gestas, ejus delirium etiam divinitus immittum attentius contemplans, adeoque multam lucem inferens iis sacri Codicis locis, qui de Nebucadnezare agunt, quos etiam defendit a pravis aliorum interpretationibus. *Postrema Sectione* cum difficillimam reddat tractationem ea opinio, qua Darius Medas creditur proximus fuisse successor Belfazaris, primo ostendit Cl. Autor, qua ratione ex iis falebris expedire se conati sint Usserius & Prideaux, sed simul contendit, duumviros hosce plus justo tribuisse autoritati Xenophontis. Scaligero censet suam sententiam successisse melius, sed in eo falsum eum esse, quod pro una eademque persona habeat Darium Medum & Nabonnedum. Rejectis hinc Conringii atque Harduini systematibus, itaque Anonymi illius, cujus Dissertationem *de Dario Medo* nos inseruimus his *Actis A. 1722 p. 29 sqq.* ipse contendit, Nebucadnezari successisse Eviimerodachum filium, huic Neriglissorum, sororis maritum parricidam, tum Labarosoarchodum sive Belfazarem, tandemque Nabonedum, quo victo unaque cum Babylone capto finem impositam esse Imperio totius Orientis potentissimo.

**JO. NICOLAI FVNCCII DE VIRILI ÆTATE**  
*Latine lingue Tractatus.*

Marpurgi, apud P. C. Müllerum, 1727, 4.

Plag. 20.

**P**Osteaquam *A. 1724 p. 83 sq.* jucunde recensuimus Cl. Autoris librum *de adolescentia Latina lingue*, cupide nunc amplexamur ejusdem opus de virili hujus lingue ætate, quam inde a Corn. Syllæ & Ciceronis temporibus producit ad exitum Imp. Augusti. Non tamen totum hic accipimus opus, sed priorem duntaxat partem ejus, quæ supersunt de oratoribus atque historicis dicenda, alio tempore edituro Cl. Autore. Hic igitur *Cap. I* exponuntur causæ, ob quas eloquentia Romana hoc temporis tractu proventa fuit ad summum fastigium. Laudat hic æmulationem doctæ Græciæ, principum virorum erga literatos liberalitatem, magnifi-



ca eloquentiæ præmia. Quibus de rebus postquam copiose disseruit, *Cap. II* celebriores literarum patronos ex hoc ævo non solum nominatim producit, Syllam, Atticum, Pompejum, Jul. Cæsarem, M. Brutum, Octavianum Augustum, & Mæcenatem, sed singulorum etiam vitam & in literatos merita, itemque scripta, persequitur. Brevitatis quidem studiosi hic non quæsierint vitas horum virorum tam copiose expositas; libenter tamen ubivis legi, quæ cum cura scripta sunt, non negabunt. *Cap. III* agit de Catulli, Tibulli, Propertii, Virgilii, Horatii, & Ovidii vita, scriptis, stylo, & editionibus. Exempli causa tractationem ejus de Poetarum optimo maximo considerabimus. Disserit scilicet de Virgilio a p. 201 usque ad p. 239, §. XVIII verba faciens de nomine ejus, de universa vita satisque, de literarum studio, de amicis ejus & invidis, de morte & sepultura, quicquid in tot libris, quos evolvit, invenire licuit, studiose & concinne congerens; §. XIX de bucolicis ejus carminibus & singularum eclogarum argumentis: ubi quidem silentio præterit eos, qui, quarta ecloga Christi adventum in orbem cani, sibi aliisque persuaserunt; hinc de Georgicis, tandemque de Æneide, eadem usus methodo; §. XX de ejus Catalectis, genuina Maronis carmina ab aliorum lucubrationibus diligenter discernens; §. XXI de iis, quos imitatus est in carminibus suis Virgilius: qua occasione is cum Homero componitur, eique non solum opponitur, verum etiam anteponitur; §. XXI de imitatoribus Virgilii & admiratoribus, quos inter eminent Statius Papius & Silius Italicus; §. XXIII de obrectatoribus tanti Poetæ, & §. XXIV de ejus stylo, quem contra nonnullorum objectiones strenue defendit, & artem ejus poeticam magnis & plane summis effert laudibus. Ultimo loco recenset editiones Virgilii, & quidem §. XXV eas, quæ sæculo decimo quinto, §. XXVI & XXVII eas, quæ proximis duobus sæculis, & §. XXVIII eas, quæ nostro hoc sæculo factæ sunt. Ubi quidem observamus facili negotio, hoc novissimo sæculo, vel potius quarta ejus parte, nos accepisse editiones Virgilii undeviginti. Sed age progrediamur ad *Cap. IV*, quo eos Poetas persequitur, qui aureo illo Latinitatis ævo minora reliquerunt opera, Corn. Gallum, Corn. Severum, P. Syrum, Pedonem Albinovanum, Manilium, cæteros. His eos adjungit Poetas, quorum nullum carmen ad nostram pervenit ætatem, Sabi-

ACTA ERUD. M. JANUARI II A. MDCC XXVIII.

Sabinum, Macrum, plures. *Cap. V* de Latinis hujus ævi Grammaticis agit, largissimam hic nactus de Varroæ differendi materiam. *Cap. VI* claros istius ætatis Rhetores, quorum quidem per pauca supersunt, persequitur, atque hoc facto finem priori huic operis sui parti imponit.

NOVA LITTERARIA.

**H**Aut ita pridem allatus est ad nos *Lucanus*, curante *Francisco Oudendorpio*, Ludæ Harlemensis moderatore, cum variorum notis Lugduni Batav. hoc ipso anno duobus Voll. in forma quaterplicata editus. Cum vero parum in eo vel eruditione Batavorum Criticorum, vel splendore aliorum illic impressorum librorum dignum contineatur, sed passim frigidæ emendationes & longe deteriores expositiones inveniuntur, paucis tantummodo lectorem nostrum de hac editione admonere voluimus. Erit autem prope diem, ut pluribus de isto libro agamus, quando nempe Cl. *Cortii* nostri majorem Lucani editionem, & hanc Oudendorpianam componemus, & non tam judicium nostrum, quam judicandi materiam cuius declarabimus. Vir Celeb. *Petrus Burmannus* novam & ornatissimam editionem omnium *Catælectorum*, prout a *Scaligero* & *Pithæo* in unum corpus redacta sunt, jam dudum parat, & prius quoque tempore prelo committet. Disperscet ille opus in *duos Tomos*, quorum prior *Poetas minores*, ut *rei Venaticæ*, *Bucolicos*, *Serenum Sammonicum*, *Avienum* &c. cum Virorum doctorum integris Notis, ineditis *N. Heinsii*, & Celeb. Editoris novis Animadversionibus comprehendet; posterior vero *Epigrammata*, & *singularia Carmina* exhibebit. Quibus accedet ineditorum *Epigrammatum*, veterum & elegantiorum, quæ olim *N. Heinsius* & *Cel. Burmannus* collegerunt, numerus haud spernendus. Doctrina & eruditio Editoris non nisi egregia de hoc etiam labore sperare jubet: & ut quantocius de præclaro isto Opere latius in his Actis nostris agere possimus, vehementer optamus. Verona nuntiatur, Illustrissimum *Marchionem Scipionem Maffei*, post editam nuper nobisque Mense superiori laudatam *Historiam diplomaticam*, jam in eo esse, ut ibi typis *Alberti Tumermani* edat opus elucubratisimum, sub titulo: *Degli Anfiteatri, e singolarments del Veronese Libri due*; quo docebit, Autores omnes, qui hæcenus de Amphitheatris egerunt, oppido cœcutire falsisque eorum delineationibus deceptos esse; unde novas ipse dabit veritati maxime consentaneas.

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Februarii Anno MDCCXXVIII.*

---

*CORPUS JURIS APANAGII ET PARAGII, continens Scriptores, quotquot inveniri potuerunt, qui de Apanagio & Paragio ex instituto egerunt, in duos Tomos divisum: accedunt Prolegomena de variis variorum Collectionibus earumque utilitate & incommodis, nec non Scriptorum nonnullorum, qui de hoc argumento egerunt, Vita &c. cum Indice rerum necessario; cura JOACHIMI MEIERI J. U. D. & Professoris Gymnasii Regii Göttingensis, Ordinis sui Senioris.*

*Lemgoviz, sumptibus Henr. Wilh. Meyeri viduæ & Jo. Henr.*

*Meyeri, 1727, fol.*

*Alph. 8 pl. 9.*

**D**OCTORUM suffragiis satis superque notum est, materiam Juris publici de Apanagio & Paragio diu multumque in aulis Procerum hucusque fuisse controversam, aliis cum *Springfeldio* Apanagium in proprium & improprium distinguentibus; *Paragium* aliis ab *Apanagio* cum *Schiltero* separantibus. Accedunt commoda diversorum Principum & Comitum, controversiam hanc, prout interest, foventium, & hinc uni alterive parti adhaerentium. Hoc cum animadverteret Vir Consultissimus *Joach. Meierus*, Göttingensium Professor, ob strenue per quadraginta fere annos in Gymnasio navatam operam bene & non sine nominis honore emeritus, qui variis in Jure, antiquitate & historia scriptis, quorum nonnulla in Actis nostris jam ce-

lebrata exstant, nomen suum non incelebre reddidit, suarum partium esse duxit, Collectionem Scriptorum, qui de Apanagio & Paragio ex instituto egerunt, instituere, iisque, quæ e penu eruditionis suæ ipsi suppetebant, nonnulla addere, ut ultro citroque pensitatis argumentis Procere aularum & docti eo clarius perspicerent, quænam sententia mereatur suffragium, sitque eligenda. Hinc præsens nata Collectio, cui præmissa Prolegomena *de variis variorum Collectionibus earumque utilitate & incommodis, nec non de Scriptorum nonnullorum, qui de Apanagio & Paragio egerunt, vitis.* Hac vero methodo in enarrandis variis variorum Collectionibus usus est Autor, ut primo secundum facultatum Academicarum, quas vocant, seriem illas recenseret, *Theologicas* scilicet, *Juridicas* tam publici quam privati juris, quibus materias affines *Legum antiquarum, statutorum & consuetudinum*, nec non *Capitularium* Collectiones subjunxit: *Medicis* quoque, quotquot ipsi licuit invenire, ordinem suum voluit servare; quibus absolutis, pergit ad Collectiones *Historicas* Scriptorum tam profanæ quam Ecclesiasticæ Historiæ: *Chronologicas*, *Genealogicas*, *Geographicas*, *Diplomaticas*, *Numismaticas*, *Symbolicas*, *Emblematicas* & *Hieroglyphicas*, *Adagiorum* & *Aphorismatum*, *Exemplorum*, *Dissertationum*, *Programmatum*, *Prefationum*, *Orationum*, *Panegyricorum* & *Paræneticorum*. Sequuntur Collectiones *Epistolice*, *Vitarum* & *Biographorum*, quibus Scriptores recensentur, qui *Imperatorum*, *Regum*, *Pontificum Romanorum*, *Moscoviticorum* & *Turcicorum* *Monarcharum*, *Electorum* reliquorumque *Imperii Principum*, *Archiepiscoporum* & *Episcoporum*, *Comitum* aliorumque tam natalibus quam eruditione *Illustrium Virorum*, *Germanorum*, *Italorum*, *Gallorum*, *Hispanorum*, *Anglorum* & *Scotorum*, *Suecorum*, *Danorum*, *Polonorum*, *Hungarorum*, *Siculorum*, *Belgarum*, nec non illorum, qui in variis provinciis claruerunt, *Vitas* & *Elogia* collecta ediderunt. *Professorum* vero *Theologorum*, *Jurisconsultorum* tam antiquorum quam recentiorum, nec non *Politicorum*, *Medicorum* item, *Philosophorum*, *Poetarum*, qui *vitas* collegerunt, sibi speciatim enarrandos sumsit, addiditque alios, qui *Observationes singulares* ex *Vitis Eruditorum* collegerunt, & desinit tandem in *Vitarum Artificum*,  
*Pictor-*

*Pictorum* scilicet, *Chalcographorum* aliorumque collectione. Absolutis ita Biographorum Collectionibus progreditur ad Collectiones *Carminum, Græcorum* puta, *Latinorum* tam *Veterum* quam *Recentiorum, Germanorum, Gallorum, Italarum, Anglorum & Belgarum: Inscriptionum & Epitaphiorum antiquorum & recentiorum*, reliquorumque Operum, quæ generali *Philosophicorum* nomine involvit. Hæc Collectiones sequuntur *Itinerariorum, Fluminum & Aquarum, Sepulchrorum antiquorum, Lucernarum, Columnarum & Statuarum, Annulorum, rerum militarium* aliarumque scriptorum; scriptorum item *Rei Rusticæ* Collectiones, *Astronomicæ* item, *Musicæ, & Miscellaneorum*. Prolegomenis finem imponit, enarrando vitas illorum, quorum scripta hoc Volumine exhibet, in quibus comparat *Georgii Henrici Springsfeldii* vita ab Eruditis plurimum hæcenus desiderata, variisque obscurata opiaionibus: *Johannis Henrici Lombardii*, cujus operam in hac Collectione navatam celebrat Autor: *Wilhelmi Leiseri, Johannis Melchioris Hofmeisteri, Werneri Theodori Martini. Henrici vero Cocceji, Johannis Schilteri, Ephraimi Gerhardi, Christiani Weidlingii, Johannis Friderici Rhetii, Lotharii Sigismundi a Minckwitz, Gotthofredi Christiani Leiseri, Johannis Augusti a Berger, Georgii Melchioris a Ludolff, Johannis Nicolai Hertii*, reliquorumque vitas remittendo partim ad alios scriptores, partim brevibus, destitutus fortasse uberiori illorum notitia, recenset, totamque elucubrationem eleganti *Celeb. Heumannii* inscriptione claudit.

Ad Collectionem hujus Operis ipsam quod attinet, in duos illam Tomos Autor dispescuit, quorum primus exhibet Dissertationem præparatoriam Autoris *de Apanagii & Paragii antiquitate & utilitate*, quam excipiunt scripta *Georgii Henrici Springsfeldii*, cum subjunctis *Lombardii* & nonnullis Autoris nostri notis, in quibus imprimis sollicitus est *Lombardius*, ut *Dominis Landgraviis Hasso-Rhinfelsensibus Paragiatorum Principum* jura asserat. Sequuntur *Wilhelmi Leiseri, Hofmeisteri, Martini, Weidlingii, Rhetii, Cocceji, Minckwitzii, Bergeri*, nec non *Illustris cujusdam Anonymi* de *Apanagio & Paragio* lucubrationes, quas, quia jam antea impressæ exstant, sine ulteriori recensione dimittimus.

hoc unicum addentes, Responsum illud, quod Anonymo cuidam tribuitur, hic primo cum Lombardii notis comparere.

In alterum Tomum rejecit Cl. Editor scripta eristica de hoc argumento, quæ post *Schilteri* tractationem de *Apanagio & Paragio Hertius, Gerhardi, Lombardius, Hooekii*, pater & filius, nec non *Wablius* quidam reciprocarunt. Addita sunt excerpta e Celebratissimi Dn. Assessoris Cameralis judicii *Georgii Melchioris a Ludolph* tractatu de *Intrôductione Juris Primogeniturae*; nec non e Commentario Illustris Dn. a *Ludwig* ad A. B. *Martini Rumelini* Dissertationes ad illam, cum *Nicolai Myleri* additionibus; Consilia quoque *Augusti Hofmanni, Job. Otton. Taboris, Henrici de Cocceji, Johannis Stuckii* & aliorum, qui materiam de *Apanagio* illustrarunt. Ita tandem Celeberrimus Dn. Autor spem de se conceptam explevit, promissoque suo fletit, quod publice in Novis Literariis Latinis Lipsiensibus anni 1721 Mense Octobr. fecerat, & repetierat in Præfatione *Officiorum Ciceronis*, quorum recensionem in hisce Actis A. 1722 Mense Octobr. dedimus. Dolendum vero, elegantem hanc & publico rei literariæ commodo typis exscriptam Collectionem tot ac tantis scaterè mendis typographicis, ut in quamplurimis locis sensus scriptoris etiam turbetur, ita ut vel sagacissimus illum ægre possit assequi, quæ ut in iteranda mox editione tollatur olicitantia, serio optamus.

**OPUS ARCHITECTONICUM EQUITIS  
FRANCISCI BORROMINI, Oratorium nempe  
ædesque Romanæ P.P. Congregationis Oratorii Sancti Phi-  
lippi Nerii, additis delineationibus. Accedit totius ædificii  
descriptio ac ratio, Autore eodem, nunc primum  
edita.**

Romæ, apud Seb. Gianninum, 1725, fol. patentiss.  
Plag. 8 Tab. æn. LXVII.

**F**Ranciscus Borrominus, Patrum Congregationis Oratorii post Marcum Arconium & Paulum Maruscillum Architectus, cum relictam sibi ædium & oratorii Fabricam perfecisset, ejus de-

descriptionem in gratiam Marchionis *Castri Rodriguez* concinnavit. Hæc ipsa præsentis operi textum Latinum & Italicum supeditat. Reliquum omne Tabulæ occupant, ideas majoris plerumque moduli Ichnographicas, Orthographicas & Scenographicas partium singularum exhibentes. In his omnibus nihil est, quod possit ad pulchritudinem absolutam graphici operis desiderari, cujus expressionem fortem ac facilem chartarum bonitas non mediocriter adjuvit.

PHILOSOPHICAL PRINCIPLES  
of Medicine &c.

hoc est,

**PHILOSOPHICA PRINCIPIA MEDICINÆ**  
*in tres partes divisa, continentia 1 demonstrationem legum generalium gravitatis una cum earum effectibus in corpus animale: 2 leges magis particulares, que obtinent in motu & secretionem fluidorum vitalium, applicatas ad præcipuos morbos & irregularitates machinæ animalis: 3 intentiones primarias & principales Medicinæ in curandis morbis, problematice propositas & mechanice resolutas;*  
Autore **THOMA MORGANO,**  
M. D.

Londini, apud J. Barby & T. Browne, J. Osborne, T. Longmann, &c. 1725, 8, chart. aug.

Alph. 1 pl. 10 Tab. æn. 1.

**C**l. Autor in proluxa, quam præmisit, Præfatione agnoscit, extra omne dubium hodie positum esse, quod corpus humanum sit machina, cujus omnes operationes & phænomena ex structura ipsius necessario consequantur. Vitam in circulatione sanguinis consistere, mortem vero in cessatione hujus motus, seu in stagnatione fluidorum animalium. Sanitatem esse circulationem uniformem sanguinis, & per consequens a diversis liquoribus conveniente proportionem per glandulas separatis resultare; morbos autem induci per irregularitatem sive excessum aut defectum

in hac secretionē factum. Id autem machinam corporis animalis fingulare habere, quod adeo tendat ad sui conservationem, ut, si qua alicubi irregularitas contingat, ex ipsa ejus structura sequantur motus eandem tollendi & statum convenientem restituendi: quia de causa natura medicatrix eidem adscribatur. Unde concludit, si quis Matheseos & mechanisimi ignarus morbum curare velit, non perspecta structura & inde pendentibus operationibus machinæ animalis, id perinde esse, ac si cæcus horologium dirigere, aut mortuus tympanum pulsare debeat. Quemadmodum itaque, judice Nostro, bonus physicus esse nequit, nisi qui phænomena naturæ per observationes accuratas & experimenta perspecta habet, atque scientia Arithmetica, Geometrica & Algebraica imbutus vires corporum eorumque operationes ad calculum revocare valet; ita, eodem judice, bonus Medicus esse nequit, nisi qui Mathematica & Mechanica ratiocinia cum historia morborum, eorumque symptomatum curatione conjungit. Secus qui faciunt, ab empiricis & circumforaneis non differre nisi diplomate a Facultate Medica impetrato. Laudat conterraneos suos, quod a deviis in viam redeant: mox fore confidit, ut characteristica medicum rationalem ab empirico distinguendi constituatur Matheseos & Mechanicæ cognitio. Sed illis iis, quæ contra Medicos a via regia deviantes declamat, ipsam operis œconomiam perlustremus.

*Prima igitur parte, præmissis legibus motus, quas tanquam axiomata operi suo excellenti præsternit Newtonus, & aliis nonnullis generalibus de motu æquabili, compositi resolutione, accelerati symptomatibus demonstratis, gravitatem in numerum virium acceleratricium refert & quantitati materiæ directe proportionalem facit. Ex differentia gravitatis specificæ in diversis corporibus vacuum extundere conatur disseminatum. Demonstrat theoremata de viribus centralibus corporis in circulo revoluti & ex observationibus legem motus planetarum Keplerianam circa Solem, & Satellitum Jovis atque Saturni circa suos primarios deducit, atque ad planetas theoremata de viribus centralibus applicat. In omnibus corporibus totalibus & singulis, quibus constant, partibus agnoscit conatum sibi mutuo accedendi, qui est in ratione*



MENSIS FEBRUARII A. MDCCXXVIII. 55

composita ex quantitate materiæ directæ & quadrati distantie reciproca. Hanc gravitatem ab autore rerum omni materiæ impressam statuit, & quomodo ex motu periodico planetarum quantitas materiæ eorundem deducatur, ostendit. Ita autem definit quantitates ac densitates materiæ :

Nomina corporum totalium.	Quantitas materiæ.	Densitas.	Nomina corporum totalium.	Quantitas materiæ.	Densitas.
Sol.	170000.	100.	Terra.	1.	400.
Saturnus.	474.	33.	Luna.	$\frac{4}{195}$	500.
Jupiter.	844.	73.	Venus.	1	550.
Mars.	$\frac{1}{9}$	260.	Mercurius.	$\frac{1}{9}$	1000.

Explicat ex principiis mutæ attractionis motum Lunæ in sua orbita circa Tellurem, effluxum & refluxum maris, figuram Telluris, cujus diametrum per polos ductam ad diametrum plani æquatoris facit ut 124 ad 125. Determinat vim Solis atque Lunæ ad perturbandum Oceanum atque atmosphæram; ceterorum autem planetarum, nec non fixarum vim nullam hic esse monstrat. Atque ex his apparet, quod theoriam *Newtonianam* de physica cœlesti in eorum gratiam proposuerit, quibus ipsum opus *Newtonianum* perlustrare ac intelligere non datur. Hæc autem eum in finem adducit, quod perturbationes a Luna & Sole in Oceano & atmosphæra factæ imprimantur quoque sanguini & fluidis animalibus atque effectus sensibiles nec contemnendos in corpore animali producant. Vi scilicet perturbante Solis & Lunæ aerem in sanguine motu violento cieri, huncque motum ipsi sanguini communicari, ut adeo fluida in corpore incaleseant & vi aeris inclusi elastica rarefiant: calore autem sanguinis aucto, ipsoque sanguine magis rarefacto, vasa quoque fortius premi, atque sic ipsum momentum motus sanguinis crescere, ipsa vasa a sanguine rarefacto largius impleri & serum cum crassamento intimius misceri, consequenter sero intra crassamentum contento, secretiones varias imminui, sicque majorem fluidi quantitatem, intra vasa remane-

manere, ut inde hemorrhagiæ consequi possint. Concludit inde ulterius, quod omnes morbi eorumque symptomata ex plethora vel secretionibus imminutis ortum ducentia ab eadem causa, videlicet nempe perturbante Solis atque Lunæ, variari possint. Monet autem, quod vis illius effectus in corpus humanum major sit, quam quæ existimetur vulgo.

A vi gravitatis corporum totalium, qua in se invicem agunt, digreditur ad vim attractivam particularum exiguarum, quæ ingens deprehenditur in contactu aut prope eundem, sed in majori distantia evanescit. Hanc vim attractivam *vim cohesionis* appellat, propterea quod particularum cohesionem eidem tribuit. Eam hodie extra dubitationis aleam positam esse affirmat, tanquam rem facti, & ab illustrissima Societate regia Anglicana plurimis experimentis confirmatam. Illiusmodi nonnulla ipse in medium adducit, veluti quod globuli Mercurii sese mutuo contingentes uniantur in unum globulum coeuntes; aqua in tubulo, præsertim capillari, ultra libellam ascendat; corpori natanti in fluido, dum detruditur, ut totum submergatur, fluidum sese undique ac æquissime applicet; gutta fluidi plano vitreo verticali adhærens ascendat, si planum vitrum aliud ad idem ita inclinetur, ut eam tangat. A vi illa elasticitatem quoque & solutionem ac diffusionem salium in aqua deducit. Probat, ignem & aerem elementarem agere in se invicem, hoc est, aerem calore, quæ ignis actio est, rarefieri & ignem excitari & in motum violentum rapi expansione aeris. Vim attractivam cohesionis esse principium universale quietis, concretionis & fixationis in corporibus, & mutuas ignis atque aeris in se invicem actiones esse principium universale fermentationis, dissolutionis & fluiditatis. Ab hisce principiis pendere ascensum vaporum aliarumque exhalationum in aere, ascensum succi nutritii ex radicibus per truncum in arboribus, aliisque vegetabilibus, circulationem sanguinis in vasis capillaribus arteriarum, transitum lymphæ vel feri per tubulos minutarum glandularum & fibrillas vasculosas ossium, aliaque naturæ phænomena. Vim expansivam seu centrifugam aeris calore rarefacti separare ac dissolvere partes corporum solidorum, & partes fluidorum intime commiscere, ne particulæ eorum heterogeneæ

neque separari queant. Impugnat sententiam eorum, qui ascensum vaporum per principia hydrostatica explicant.

*Pars secunda* omnium prolixissima est. Orditur tractationem a sanguine, cujus sphaerulas rubras specificè graviores probat sero, in quo natant, consistentes particulis insita vi attractiva corpusculari præditis, & majorem caloris gradum recipere ac retinere aptis. Sphaerulas autem istas *crassamentum* sanguinis vocat. Laudat experimenta Cel. *Jurini* in *Transact. Anglic. Num.* 361, quibus gravitatem specificam sanguinis, seri & aquæ communis determinat ut 1054, 1030 & 1000. Crassamentum per destillationem ab oleo & sale volatili liberatum est juxta eundem ut 1280 ad 1000, in statu naturali ut 1126 ad 1000. Crassamentum idem esse ait constantis quantitatis, neque aucta vel diminuta secretionem per glandulas augeri vel imminui, etsi concedat, quod nutritionem augeri queat. Eam esse sanguinis velocitatem, si intervallo unius minuti cor 80 vicibus contrahatur, & interea temporis 160 uncia in aortam propellantur, ut intervallo unius minuti percurrat longitudinem 55 pedum. Quod si jam velocitas in aorta dicatur *a* & ratio trunci ad summam sectionum ramorum *e*, velocitatem post primam divisionem fore *ae*, post secundam *ae*<sup>2</sup> post tertiam *ae*<sup>3</sup> &c. Motum musculorum tribuit vi elasticæ intrinsecæ fibrillarum nervosarum, quæ vulgo transversæ & spirales vocantur, item tendineæ, se ipsas contrahentium & resituentium adversus vim distendentem sanguinis. Rejicit ergo hypothesein spirituum animalium vel fluidi nervei, quam intrinsecæ fibrillarum vi elasticæ, rei facti, contrariari existimat, ac communem doctrinam de motu musculorum circulationi sanguinis omnibusque legibus naturæ in œconomia animali repugnare censet, qua scilicet motus musculorum per intumescentiam fibrillarum fieri sumitur. Atque adeo vanas pronunciat Geometrarum computationes in hac hypothese factas, sive de motu cordis, sive de motu musculorum. Nervos repleri probat liquore oleoso, albumini ovi non absimili, ad fibras nervosas elasticas humectandas, & lubricas reddendas: a vero igitur aberrare, qui fluido isti sub nomine spirituum animalium nobilius longe munus vindicant. Pulmones pro musculo habet, in quo aer idem officium

obtinere, quo sanguis in musculis ceteris defungitur. Operose igitur ostendit, quomodo actio pulmonis in motum sanguinis ex corde per eum circulantem influat. Calculo determinat, quantum pondus musculi intercostales superare debeant, dum eorum actione thorax dilatatur. Sanitatem derivat ab æquilibrio inter vim elasticam fibrillarum nervosarum in musculis & impetum sanguinis refluentis; morbos vero a sublatione hujus æquilibrii, quæ alternans dilatatio & contractio musculorum irregularis evadit. Explicat varia præmonena in œconomia animali ab alteratione motus sanguinis per mutationem istius æquilibrii facta pendentia. Postquam secretiones animales per glandulas factas in genere exposuit earumque usum demonstravit, ad secretiones speciales descendit: quæ singula recensere prolixum nimis foret. Tribuit autem exemplo modernorum Anglorum secretionem causis mechanicis, non neglecta vi attractiva particularum fluidi. Continuum sanguinis transitum per vasa capillaria arteriosa & feri per tubulos minulos glandulares medium esse censet attenuandi sanguinem & fluida cetera corporis animalis: quem in finem calculum ducit, ut particularum, in quas fit divisio guttularum sanguinis, subtilitas manifestior evadat. Ostendit deinde secretionem expurgatorias, in quarum censum refert urinam & perspirationem seu transpirationem insensibilem, augeri interdum atque exercitatione & diminui in somno ac dum quiescimus: e contrario secretionem lymphaticam augeri in somno & quiete corporis, imminui dum vigilamus & exercitatione. Juxta *Jacobi Keillii* experimenta transpiratio diurna est ad nocturnam ut 3 ad 2. Quantitatem mediam transpirationis insensibilis intervallo 24 horarum idem determinat 31 unciarum; quantitatem vero mediam urinæ 38 unciarum. Quod secretionem lymphaticam tempore somni crescant, hanc rationem reddit Autor, quod sanguinis motus, id quod ex pulsu addiscitur, in somno celerior evadit. Proportionem mediam pulsuum vigilantis ad pulsus dormientis constituit ut 5 ad 6. Quod urina immediate ex stomacho in vesicam transeat, hoc experimento probat. Si stomachus dum adhuc calet, ubi cum omnibus abdominis contentis ex animali fuit exemptus, aqua repleatur, eadem in vesicam transit. Addit alterum, si

in

in animali adhuc vivo ureteres ligentur; hoc tamen non obstante liquor stomacho ingestus in vesicam transit. Atque hoc remedium a Deo destinatum esse arbitratur ad præcavendam subitam plethoram a nimio potu oriundam. Cum vascula & ductus excretorii glandularum valde exilia atque tenuia sint, obstructionibus, immoderatis distensionibus, erosionibus & dilacerationibus maxime subjiciuntur. Atque hinc multos morbos derivat Noster, quorum causa hæcenus male intellecta Medicis, in nervis eorum sedem perperam quærentibus. Serum sanguinis morbificum fieri existimat vel quantitate, vel qualitate. Utrumque vitium a secretionne urinæ atque bilis pendere. Ostendit itaque, quomodo ab obstructione renum & ductuum ex ventriculo in vesicam urinariam nimis augeatur seri quantitas glandulis infesta ac inde oriantur anasarca, ascites, hydrocephale seu hydrops cerebri, lethargus, epilepsia, apoplexia, deliquia spasmodica. Similiter monstrat, quomodo ob vitium glandularum renalium urinæ quantitatem sufficientem sequestrantium in sanguine remaneant salia majora, particulæ terrestres & recrementa alia, ut serum induat qualitatem glandulis ceteris infestam, atque hinc constitutionem scorbuticam, tumores, exulcerationes, luen veneream, tabem deducit. Februm ortum tribuit obstructioni & diminutioni generali secretionum glandularium, sero scilicet per glandulas sequestrando in sanguine remanente. In specie ostendit, quomodo hinc oriatur calor præternaturalis, inflammatio glandularum, pulsus irregularis, respiratio difficilis, urina parca & sedimentis carens, saliva viscida, &c. Imprimis inde monstrat, in omni febre tres status seu periodos distingui debere. Primam periodum esse generationis, dum calor & rarefactio sanguinis augetur & seri motus per vasa lymphatica magis magisque imminuitur. Secundam periodum esse febris adultæ, dum natura crisin salutarem producere intendit. Tertiam denique esse crisin, ubi sanguis diluitur & percolatur atque serum denuo per vasa lymphatica movetur, stagnans autem, corrupta & putrida critica excretionem per sudorem, urinam, alvum &c. ejicitur, qua deficiente homo moritur. Eam esse machinæ animalis structuram, ut plures febres naturæ, quam Medici opera curentur. Explicat deinde intentiones naturæ, in

prima præfertim periodo, dum febris formatur, ut Medicus eidem assistere illasque promovere atque febrem avertere possit, antequam adolescat. Quodsi prima intentio naturæ obtineri non possit, febrî adultæ permittendam esse ostendit suam periodum stationariam in præparandis sanguine atque humoribus ad crisin regularem, ne natura a Medico in operatione salutari medicamentis intempestivis turbetur, ut vel mors, vel morbus chronicus ex crisi imperfecta sequatur. Docet simul, quid Medici opera ad crisin promovendam conferre possit, dum natura in sanguine & viscidis humoribus attenuandis & illius rarefactione supprimenda tota occupatur. Quamprimum crisis sese prodit per signa ab Autore distincte enumerata, tum Medicum confugere debere censet ad magnum illud antifebrile corticem peruvianum, quod medicamentum in tertia febris periodo incomparabile prorsus ac divinum prædicat. Ex theoria febrium generali, quam tradidit, infert, omnes febres esse aliquo in gradu putridas, atque crisin naturalem eo tendere, ut materia putrida, seu corrupta, stagnans & morbifica expellatur. A generali febrium theoria ad earum species digreditur. Quoniam itaque, Nostro iudice, febris omnis constituitur calore præternaturali & rarefactione sanguinis, dilatatione inflammatoria vasorum sanguiferorum & consequenter compressione & obstructione vasculorum lymphaticorum & glandularium; species febrium is a diversis gradibus & diversa quantitate causarum generalium deducit. Tractatione de febribus absoluta explanat cum naturalem ordinem, tum morbosas irregularitates digestionis. Menstruum in stomacho nullum agnoscit, quo cibi ingesti dissolvantur; principium dissolutionis sufficiens esse arbitratur ignem elementarem atque aerem, quæ duæ substantiæ mixtionem corporum ingrediantur. Ut igitur ignis elementaris atque aer a vinculis liberentur & ad actionem concitentur, non alia re opus esse nisi gradu caloris sufficiente. Primo digestionis actu in ventriculo absoluto alterum succedere in intestino duodeno, dum bile atque succo pancreatico cibis dissolutis admixto partes crassiores, quæ perfectam solutionem non admittunt, a fluidioribus separentur atque præcipitentur, quæ acrementis purgata chylum constituunt. Bilem præterea im-

pedi-

MENSIS FEBRUARII A. MDCCXXVIII. 6r

pedire, ne excrementa in massam nimis duram concrecant, & intestina ad eadem exercenda stimulare. Irregularitates in conge-  
quendo a vis dissolventis elementorum expansivorum vel excessu,  
vel defectu petit. Explicat porro naturalia somni phænomena  
una cum effectibus opii aliorumque soporiferorum. Statum vi-  
gilantis consistere in dispositione fibrillarum nervearum ad mo-  
tum undulatorium vi impressionis in organa sensoria ab objectis  
externis factæ excitatum; statum contra dormientis in dispositio-  
ne earundem ad quietem. Fibrillas nerveas ab anima mutari per  
legem quandam naturæ. Concedit enim, quod experientia con-  
stat, consensum seu harmoniam inter impressiones in organa sen-  
soria factas & perceptiones a Deo stabilitam; sed quomodo ea  
subsistat, a nobis comprehendere non posse. Phænomenon vero,  
cujus causa ignoratur, naturæ legem appellat. Opio in stomacho  
dissoluto, salia volatilia oleosa, quibus abundat, per modum efflu-  
viorum ascendere & nervos primum ventriculi, œsophagi & inte-  
stinorum blanda titillatione afficere, quemadmodum fructus de-  
litiosus nervos gustatorios afficere solet, moxque ceteros omnes  
in consensum trahere. Motum illum undulatorium placidum  
fibrillarum nervearum creare illam voluptatem, quæ ab usu opii  
percipitur, donec is nimium continuatus illam in indolentiam  
vertat, ut actiones organorum sensoriorum suspendantur. Ex  
hac theoria de modo operandi opii rationem reddit usus ejus-  
dem laudabilis atque noxii. Explicat denique mechanismum  
passionum animi in corpore, in quibus tria distinguit, 1) judicium  
intellectuale de objecto sub peculiaribus circumstantiis conside-  
rato, 2) particulares & determinatas modificationes motus eo  
mediante fibrillis nerveis motoriiis impressi, 3) peculiare modi-  
ficationes voluptatis atque tædii in mente eodem tempore excita-  
torum. Omnes passionum oriri ait a generali felicitatis desiderio,  
quod elateris vice in anima fungitur. Ei tribuit, quod judicium men-  
tis de objectis comitetur voluptas & tædium: voluptati vero &  
tædio convenienter motum imprimi statuit undulatorium fibril-  
lis nerveis motoriiis. Ex his principiis colligit, quæ ad usum me-  
dicum faciunt.

*Pars tertia* mole exigua sex propositionibus constat, quibus

primariæ intentiones medicinæ in curandis morbis proponuntur  
*Prop. 1* morbificas constitutiones explanat, quatenus a sanguine  
 pendent. Sanguinem variari quantitate, velocitate, fluxilitate,  
 densitate, solubilitate & directione. In singulis notari excessum  
 pariter atque defectum. Utrumque esse sanitati inimicum. *Prop.*  
*2* docet, quomodo sanguis refrigeretur, diluatur & attenuetur;  
*Prop. 3*, quomodo æquilibrium sanguinis circulantis, & *Prop. 4*  
 quomodo conveniens proportio inter crassamentum & serum  
 sanguinis conservetur; *Prop. 5*, quomodo tonus elasticus fibrilla-  
 rum nervearum, & *Prop. 6*, quomodo naturalis evacuatio seu se-  
 cretio urinæ promoveatur & custodiatur. Quantitas sanguinis ex  
 nimia repletione & depletione vasorum agnoscitur; excessus vel  
 defectus velocitatis ex variato pulsu, quem in statu sanitatis eum  
 esse monet, ut numerus pulsationum in vigilantibus intervallo uni-  
 tus minuti inter 70 & 80, in dormientibus inter 80 & 95 ordina-  
 rie contineatur. Observat autem, oppido falli, qui de velocitate  
 sanguinis ex solo numero pulsuum iudicant: demonstrat enim  
 habendam quoque esse rationem impetus, quo sanguis fertur.  
 Visciditatem & tenacitatem atque crassitiam sanguinis ex languo-  
 re motus; nimiam fluxilitatem ex hujus rapiditate colligi; den-  
 sitatem vero & raritatem ex diversis caloris gradibus. Proportio-  
 nem naturalem inter serum & crassamentum esse proportionem  
 æqualitatis: solubilitatem consistere in eo, quod serum a crassa-  
 mento facile discedat. Directionem sanguinis versus eandem  
 corporis partes non semper manere eandem, sed variari, ita ut  
 nunc major, nunc minor quantitas sanguinis eundem in locum  
 propellatur. Ad sanguinem temperandum, attenuandum & dilu-  
 endum temperantiz atque exercitationis indispensabilem usum  
 commendat, una cum aqua ( remedio omnium excellentissimo ad  
 sanitatem conservandam ) matutino tempore a stomacho jejuno  
 haurienda, vel infuso thez viridis, pulmento ex farina & aqua pa-  
 rato, haustu vini proxime ante prandium. Remediis præservativis  
 jungit inedia curandi, inter quæ Mercurio primas defert, quo præ-  
 stantius remedium ac præsentius expectari nequeat, modo in dosi  
 non peccetur, ita ut specificum adversus obstructions glandula-  
 res censeretur. Vix verba reperire licet Autori, quibus in eo



**MENSIS FEBRUARII A. MDCCXXVIII. 63**

extollendo utatur. Effectus Mercurii promoveri & diversimode determinari usu simplicium sequentium, Guajaci, radice Valerianæ sylvestris, hellebori nigri & rhebarbari, imprimis vero serpentariæ Virginianæ atque croci, quamvis in Guajaco & Valeriana sylvestri specificum quid agnoscat. Provocat ad experientiam, ejus fide hæc asseverat. Reddit tamen rationem, cur Mercurii nullus sit in febris usus, qui adeo præstansprehenditur in obstructionibus glandularum chronicis. Ad æquilibrium circulationis sanguinis custodiendum laudat serpentariam Virginianam & crocum una cum opio; ad sanguinem deprimendum, testacea, sal pruællæ, rhabarbarum & omnes liquores refrigerantes, ac simul diluentes, nec non acida varii generis, veluti succum limoniorum, spiritum sulphuris &c. & poma aciditatem palato gratam & oleositatis quidpiam habentia. Ut proportio conveniens inter serum & crassamentum recuperetur, vitam sobriam prædicat & remediis sanguinem diluentibus jungit lac atque poma, quorum usum matutino tempore præcipit, quod sanguini diluendo maxime accommodata censet. Diuretica denique diversa præscribit pro diversa subjectorum conditione. Si intemperantia mali debellandi origo, aquam, infusum thæ viridis, poma, lac cum pomis matutino; si constitutio fuerit frigida & languida, infusiones raphani, sinapis &c. asellos seu millepedes & aliquot guttas balsami capivi; si in glandulis urinariis hæreat materia sabulosa, cantharides, dosi quinque grana non excedente; si eadem scorbuto laborent atque dilaceratæ fuerint & erosæ, mercurialia; in hydrope denique aqua per vesicatoria detracta (id quod hoc modo brevi tempore obtinetur) diuretica communia magni facit; purgantia vero ad aquam evacuandam adhibenda damnat.

**JOHANNES DE GORTER DE SECRETIONE humorum e sanguine, cui accessit ejusdem Oratio de dirigendo studio in Medicine Praxi.**

Lugduni Batav. apud Janssonios van der Aa, 1727, 4.

Plag. 15.

Quan-

**Q**uamquam haud pauci jamdum prostant libri, quibus, quomodo Secretio animalis in corpore humano absolvatur, explanare sategerunt Medici; superesse tamen quamplurima existimavit Autor clarissimus, quae prioribus vel illustrandis inservire vel tanquam recens inventa addi possint. Quamobrem & ipse manum admovit operi, praesentemque conscripsit Tractatum, in quo ex solidorum fabrica praecipue & humorum indole functionem hanc explicari posse demonstrat. In duas eundem partes divisit, quarum prior singularia tanquam data continet, ex quibus in posteriore ipsae secretionones explicandae veniant. In Parte igitur priore ad secretionis cognitionem requiri dicit examen non minus fluidorum quam solidorum. Inter fluida indagat partim in proprietates sanguinis cum aliis liquoribus communes, quales deteguntur vel inter liquores ipsos, vel inter solida & fluida, vel in fluidis per vasa motis; partim in specificas ejusdem qualitates, quales sunt, quod sanguis secretionibus sit aptus, quod consistat partibus variae magnitudinis, quod particulas per microscopium exhibeat sphaericas, quod stagnans ubique concreseat, quod mediante circulatione in fluore conservetur, quod motu accelerato pariter ac retardato condensetur, quod calore nimio & frigore concreseat, quod quoad partem rubram in arteriis, venis & cellulis intermediis tantum circuletur, quod in corde exacte missus variis consistat particulis, omnesque possideat liquores vel eorum materiam, & quod omnes humores corrumpantur stagnantes, quorum quilibet pro sua natura aliam exhibeat corruptelae speciem. Solida dum explicat, sequentia suppeditat data: Vasorum perpendicularares sectiones ad axin sunt circulares; orificia vasorum multum differunt amplitudine; quadrata diametrorum ramorum superant quadratum diametri trunci; vasa circulatoria semper premunt contentum, & cursus arteriarum varius est ad diversa organa. In parte posteriori sanguinem ubique fere ejusdem esse indolis & ad minutissima vasa secretoria pressione cordis a tergo urgente, compressione continua vasorum & partium circumjacentium, motu vermiculari vasculorum & eorum propria recipiendi potentia duci docet. Causas secretionum dandi rimatur, universalem coadunationem spontaneam partium similium &

& a reliqua massa secessionem eas esse pronunciat; inter particu-  
 lares vero cohaesionem partium firmiorem aut debiliorem cum  
 solidis, proportionem ac magnitudinem globulorum ad orificia,  
 vehiculi majorem & minorem quantitatem, variam velocitatem  
 sanguinis in organo & peculiarem vasorum distributionem lau-  
 dat. Hinc speciales secretiones exponit, demonstrans, partes ma-  
 jores posse separari relictis minoribus, & vicissim, tenaciores &  
 glutinosiores relicto fluidiore, mobilissimas, levissimas & flui-  
 diores relictis aliis, atque ex harum causarum combinatione quo-  
 modo spiritus, bilis, urina, semen, pinguedo, mucilago, ac mor-  
 bosi malignique humores fecernantur, & evacuentur, exponit; in-  
 de deducit, mutata causarum aliqua, ipsam secretionem mutari,  
 idque quomodo fiat aucta vel imminuta sanguinis velocitate, mu-  
 tata cohaesione naturali, magnitudine globulorum, amplitudine  
 orificiorum, vehiculi quantitate, aut gravitate partium, seorsim  
 explicat. Tandem quid secretionem peracta humoribus secretis  
 accidat, exponit, dum crassus liquor tenuis, glutinosus fluidus, fie-  
 ri possunt, & contra. Speciminis loco, qua ratione Autor bilis se-  
 cretionem explicet, brevibus trademus. “ Bilis, inquit, præci-  
 tua virtus in saponacea natura consistit, constante ex oleo &  
 sale alcalino volatili; utraque hæc principia in sanguine haben-  
 tur hepar ingressuro: funditur ex omento oleum pingue in ve-  
 nam portarum, & sanguis continet sale alkalinum volatilem  
 hic magis quam alibi, quod stagnatione quasi in lienis cavernulis  
 & ipso venæ portarum trunco levem acquirat putredinem, sale  
 alkalinum volatilem producentem. Habetur ergo materia bilis  
 in sanguine jecur ingressuro, & forsitan bilis quoque ipsa per vasa  
 mesaraica ex intestinis huc deducitur; opus est ergo tantum or-  
 ganum separans sale alkalinum & oleosum ex sanguine, & ea  
 denuo commiscens. Hinc non absurdum est statuere duplicem  
 secretionem in hepate, alteram ope glandularum exilissimarum  
 per ejus substantiam disperfarum, alteram per extremitates ra-  
 morum venæ portarum. Qui secreti liquores confusi in ductu  
 cholidocho ipsam exhibent bilem, qualis conspicitur. Intelligi-  
 tur ex his, quare quoque in alia corporis parte non separetur  
 bilis; quod præsto non habeatur materia, deficiat tale organum  
 I sepa-“

“separans & confundens, atque motus ita retardatus, ut est in ve-  
 “na portarum.” In annexa oratione Clar. Autor methodum  
 Tabulas pro disciplina Medica concinnandi tradit.

THE RELIGION OF JESUS DELINEATED.

i. e.

RELIGIO JESU CHRISTI SERVATORIS  
*delineata.*

Londini, apud Jo. Clark & R. Hett, 1726, 4.

Alph. 1.

**A**Nsam huic libro præbuit tractatus superiori Anno M. Aug. p.  
 339, (ubi p. 349 hujus quoque mentionem fecimus) a nobis  
 recensitus, de Religione naturæ a Cl. *Wollastono* editus, quem no-  
 ster Autor excellentissimum vocat; dolet autem, quod ille non  
 simul religionem divinitus revelatam delineaverit & hac ratione  
 mirificam prorsus harmoniam ac convenientiam hujus cum di-  
 ctatis rationis ac religionis naturalis exposuerit, vel quod non ad  
 minimum rationalem suum Philosophum paulo propius ad reli-  
 gionem Jesu Christi Servatoris nostri manuduxerit. Hinc statim  
 in præfatione satis prolixè demonstrat, quam manca, mutila atque  
 imperfecta sit omnis religio naturalis, nisi revelatio divinitus fa-  
 cta accesserit, quæ nos viam docet, qua ad Deum pervenire, cum  
 eo reconciliari ac veniam peccatorum consequi valeamus. Ete-  
 nim nisi de hoc nobis certo constet, Deum homini peccata, qui-  
 bus iram ejus provocavit, gratiose condonare velle, de omni fere  
 religione actum fore Autor judicat. Inter alia reprehendit Cl.  
*Wollastonum*, quod religionem stabilire voluerit antecederet ad  
 considerationem existentiz Dei, cum discrimen inter bonum &  
 malum morale in natura fundatum esse dicat, & huic distinctioni  
 religionem naturalem immediate superstruat. Hanc autem re-  
 prehensionem, si nostram sententiam aperire licitum fuerit, nullo  
 niti fundamento persuasi sumus. Recte omnino Cl. *Wollastonus*  
 discrimen boni & mali atque officia hominis erga Deum, se ipsum  
 & alios in ipsa humana natura rationali fundata esse censet: nec  
 propterea ipsi imputari potest, quasi religionem stabilire voluerit  
 ante-

antecedenter ad considerationem existentiae divinae, quandoquidem mentem suam super hac re satis declaravit, dum disertis verbis affirmat, istas leges in ipsa natura hominis rationali fundatas non aliunde originem trahere, quam ab Autore naturae, nimirum Deo, qui cum summe bonus sit & ab ipso nihil mali proficisci queat, postquam creaturas rationales condere decrevit, non potuit non easdem condere bonas i. e. sui similes, sapientes, iustas & sanctas, quae cum sint creaturae, vi naturae necessario pendere debent a Creatore suo, eundem supra omnia colere, eidemque obedientiam praestare; absque hoc si foret, creaturae forent independentes, id quod manifestam involvit contradictionem, & haec independentiae affectatio ab angelis lapsis, & hominibus ab illis ad hoc scelus inductis facta, fuit primum peccatum, apostasia, origo omnium malorum ac horribilis confusionis, quae post lapsum universum terrarum orbem inundavit. Ergo Deus autor naturae leges, quae ex ipsa rerum natura, nimirum tum Dei ipsius, tum creaturae rationalis, a Deo ad certum finem conditae, pendent, necessario praecipit, & haec est genuina ratio, cur dicantur leges naturae, quae, uti omnes concedunt, sunt immutabiles, quibus contraria ne Deus quidem praecipere potest, cum alias semet ipsum abnegaturus esset, id quod nunquam fieri posse in aprico positum est. Et hoc ipso leges naturales contradistinguntur legibus positivis, quae ita sunt comparatae, ut cum natura neque Dei, neque creaturae rationalis necessarium habeant nexum, ideoque mutari & abrogari possint. Unde Cl. *Wollastonus* fundamentum officiorum hominis erga Deum, se ipsum & alios, sive religionis naturalis, tantopere a multis recentioribus neglectum, in ipsa natura rerum quam optime constituit, quod ipse Autor tandem agnoscere & *Wollastonum* a facta imputatione liberare videtur. Cum vero hoc extra controversiae aleam positum sit, religionem naturalem esse valde imperfectam: Autor in praesenti tractatu excellentiam summamque Christianae religionis perfectionem egregie demonstrat, id quod praestat Sectionibus XXXII, in quas librum dispescit, ex quibus nonnullas, cum omnes recensere velle nimis longum foret, speciminis loco perlustraturi sumus. Sect. I, II, III ostendit, Christianam religionem longe optimam ac tum Dei, tum ho-

p. 9

minis, tum relationis inter utrumque intercedentis ac obligationis hominis erga Deum exinde necessario resultantis cognitionem nobis suppeditare, ubi probat, hominem a Deo creatum esse innocentem ac beatum. Etenim non conveniebat creatori hominem formare cum aversione erga ipsum. Hoc maxime monstruosum fuisset, si creatura rationalis a Deo recens producta odio innato erga creatorem suum optimum maximum prædita fuisset. Quomodo quælo homo ex manibus creatoris prodiens, cum mente sana atque integra instructus esset, oculos aperire poterat, quin immeritum favorem atque munificentiam creatoris sui obstupesceret? Puro corde præditus, necessario amore complectebatur eum, qui summo amore dignus est tum propter se ipsum, tum propter maxima beneficia, quibus hominem sibi obstrinxerat. Optimo jure dici potest, cum creator omnia opera, quæcunque fecerat, perlustraret, singula fuisse admodum bona tum in se ipsis, tum in ordine ac harmonia inter se, tum in convenientia cum sapientia ac voluntate Dei. Hinc etiam hominem creaturam excellentissimam oportebat esse valde bonam suo loco ac ordine.

## Sect. IV.

Deus condidit hominem  $\text{רשׁי}$  i. e. rectum, quin etiam omni felicitatis copia affluentem. Sed heu quantum mutatus ab illo! postquam fallaciis Satanæ misere deceptus, a Deo creatore suo optimo maximo turpissime defecit, ejusque legem & autoritatem divinam proterve violavit. Hoc ipso natura hominis a Deo averfa & propterea quoque miserandum in modum corrupta fuit, & hanc naturam penitus depravatam per naturalem generationem ad omnes posteros suos propagat: nam quod ex carne natum est, caro est, *Job. III, 6*, natura rei non aliter fert. Qualis causa, talis est effectus, tetra arbor fructus malos edit & homo corruptus gignit hominem sui similem. Quis enim dabit mundum ex immundo conceptum semine? *Job. XIV v. 4.* Hæc est vera origo mali moralis. Hinc mundus factus est atheus, ita ut, quamvis cæli enarrant gloriam Dei, opusque ejus manuum ostendat æther, corrupti tamen homines sint prompti paratique ad Deum abnegandam. Insipiens dixit in corde suo, non est Deus, *Pf. XIV, 1*, & quamvis naturali sensu ac interna perceptione in opere conscientiæ potissimum se exserente, ubi discrimen honestorum ac turpium lucet in

men-

mente humana, de existentia Dei satis convincantur homines, nam τὸ γνωστὸν τῆ Θεῆ φανερόν ἐν αὐτοῖς, *Rom. I, 19*, optant tamen, ut nullus existat Deus. Quæ autem homines volunt, ea libenter credunt, quasi existentia rerum ex ipsorum votis & affirmatione vel negatione penderet, quo sane nihil stultius cogitari potest. Nec solum ratione intellectus homo post lapsum corruptus est, unde cœu ex scaturigine errores, hæreses, opiniones paradoxæ, monstrosæ, stolidæ, quas sæpe in deliciis habent, & commenta, quæ ipsis mirifice placent, dimanant, sed etiam ratione voluntatis depravatus & ad omnia mala proclivis est, unde tot horrenda vitia instar diluvii orbem terrarum inundarunt, imprimis injustitia, crudelitas, fraudes, fallaciæ, imposturæ, lites undiquaque late regnant, imo dementia eo processit, ut sint, qui Philolophi videri volunt, alto supercilio reliquos præ se contemnent, qui statum naturæ statum belli esse doceant, quod equidem concedi potest de statu corruptæ naturæ, vi cujus principia amoris & justitiæ sunt extincta: ast vero jus naturæ principis naturæ corruptæ superstruere velle, admodum ἀσολὸν esse, quis non videt? cum potius scintillæ ac femina veræ virtutis, justitiæ omniumque rerum honestarum, qualia animos adhuc gerere, ethnici Philolophi agnoverunt & quæ in Theologia reliquiæ imaginis divinæ appellantur, admonitione & doctrina sint excitanda: non aliter quam scintilla statu levi adjuta ignem suum explicat. Porro homines corrupti semet ipsos destruunt, in propria sæviunt viscera, nec aliter se gerunt, ac si odio Vatiniano semet ipsos prosequerentur. Destruunt tum animam tum corpus suum. Improbi sunt suæ ipsorum vitæ hostes, *Tob. XII, 10*. Profecto peccatum est proximum ad miseriam aditus, atque illi infelicissimi sint necesse est, qui scaturiginem veræ felicitatis nimirum Dei favorem & gratiam susque deque habent, & e contrario justam Dei vindictam sibimet ipsis arcessunt; & quomodo isti tranquillo esse queant animo, qui contra lucem mentis suæ agunt & conscientiam atrocissime vulnerant? Cum igitur res hominis naturalis & irrogeniti in statu versentur longe miserrimo: religio Christiana hominem vocat ad meliorem mentem, nimirum vocat eum ad Deum, a quo descivit, vocat ad alios, quorum nullo tenetur amore, vocat ad se ipsum, ut propriæ

prie salutis rationem habeat. Fundamentum hujus reditus ad Deum, ad religionem, ad sanio- rem mentem est vera pœnitentia, ad quam Christiana religio homines imprimis excitat. Quæ pœnitentia non est subitanea formido vel dolor, ægritudo aut pudor, sed est integra mutatio animi humani omniumque affectuum & inclinationum, ita ut revera sit reditus animi ad Deum, in quo maximum dolorem de peccato simulque horrorem ac detestationem ejusdem perferat. Quomodo autem peccator justam Dei iram effugere & gratiam ac veniam peccatorum consequi valeat, sola religio Christiana nos docet, quæ manifestat insignem amorem, quo Deus genus humanum sub potestatem diaboli, mortis ac inferni redactum profecutus est, dum non tantum homines hæc summa miseria liberare, verum etiam æternam salutem ac ineffabilem gloriam ipsis conferre decrevit, & arduum hoc redemptionis opus unigenito suo Filio splendori gloriæ & characteri personæ suæ commisit, qui peccata omnium hominum expiaret, læsæ justitiæ divinæ perfectissima sua obedientia, passione ac morte faceret satis & hac ratione hominibus cum Deo reconciliatis amissam æternam felicitatem recuperaret. Hoc Evangelium, rejectis infidelibus Judæis, Deus universis gentibus annuntiandum curavit, quin etiam stupendis miraculis, cum Ecclesia adhuc plantanda esset, hanc doctrinam confirmavit, quæ Ecclesia plantata cessavit, cum ipsa Evangelii propagatio per universum terrarum orbem, nequicquam contra nitente summa vi ac horrendis crudelissimisque persecutionibus, diabolo ac toto mundo, rem recte secum reputantibus instar maximi esse queat miraculi. Omnes igitur qui resipiscunt, qui ex tenebris in lucem, & ex satanæ potestate ad Deum se convertunt, ac Christum Salvatorem mundi vera amplectuntur fide, gratiam Dei omniumque peccatorum veniam, imo spem gloriæ ineffabilis ac regni cœlestis longe certissimam impetrant. Fides autem purificat corda, ut veri Christiani jam non amplius serviant peccatis & pravis cupiditatibus, sed ex regno tenebrarum in regnum lucis translati justitiæ & sanctitati pro virili studeant. Hinc Autor excellentiam doctrinæ, quam religio Christiana affert, prolixè demonstrat, utpote quæ mentem humanam inflauret & ad similitudinem cum Deo, ad quam homo primo conditus erat, perducat, quin etiam novas suppeditet vires iis, qui obla-



oblatam gratiam non malitiose aspernantur : quandoquidem credentes spiritum Domini Jesu accipiunt, qui eos a dominio peccati liberat ac renovat ad vitæ & obedientiæ Deo præstandæ novitatem. Sola igitur religio Christiana nos docet, quomodo veram virtutem consequi valeamus. Pauci inter Philosophos agnoverunt, virum bonum veraque virtute præditum fieri beneficio divini afflatus vel instinctus cœlestis, sed qua via hujusmodi vires cœlestes acquiramus, penitus ignorarunt. Plerique autem viribus naturalibus hic omnia tribuunt, & tota ipsorum Ethica Pelagianis finem & vanam ambitionem, ad quam omnes ipsorum virtutes ac splendida, egregia, magna & memorabilia facinora ab ipsis patrata referuntur, mirum in modum promovet. Sed Christiana religio præcipit quidem undiquaque, quoties occasio suppeditata fuerit, bene ac laudabiliter agere, vetat autem hominem in actionibus suis semet ipsum, suam gloriam ac utilitatem pro ultimo scopo habere : nam qui non ob aliam causam bene agunt, quam ut gloriam reportent & collaudentur ab hominibus, iis nullam aliam mercedem expectandam esse, Salvator noster disertis verbis affirmat. Christiana igitur religio corruptam philantiam scaturiginem omnium peccatorum ac scelerum radicibus extrahit, dum Deum supra omnia diligere ejusque gloriam totius vitæ nostræ ac omnium actionum ultimum finem esse jubet. Prima causa & supremus autor omnium rerum ab unoquoque, cum viginti quatuor senioribus coronas suas ante thronum Dei deponentibus, *Apoc. IV, 10, 11*, debet agnosci & prædicari ut dignus, qui gloriam & honorem & potestatem accipiat, quoniam omnia condidit, eaque ipsius voluntate & sunt & condita sunt. In quo vivimus, sumus ac movemur, ei ejusdemque gloriæ vitam nostram omnesque actiones consecrare tenemur. Tandem quoque Autor ostendit, Christianam religionem jam in hac vita cum Deo nos arctissime conjungere, & veram animi tranquillitatem, pacem & salutem tum singulorum hominum tum integrarum societatum ac rerum publ. mirum in modum stabilire, promoveri ac conservare, contra quasvis calamitates in hac vita incidentes, insultus item diaboli ac reliquorum hostium, metum denique ac horrorem mortis quam optima consilia, remedia & arma nobis suppeditare.

Sect. XII sq.

Sect. XVI.

Sect. XVII  
sqq.

VESPE-

## VESPERÆ VADENSES, SIVE DIATRIBÆ

*Theologico - philologicæ de hyperbolis ex Scriptura sacra eliminandis, Autore DANIELE GERDESIO, S.*

*Theol. D. & Prof. in Acad.*

*Duisburgensi.*

Trajecti ad Rhenum, apud Gysbartum a Paddenburg, 1727, 4.

Alph. I pl. 4.

**M**axime Reverendus Autor, in Proœmio supponens, nullam inesse in stylo Scripturæ sacre imperfectionem, laudatis iis, qui nuper singularibus libellis e sacro Codice ejicere sunt an-nisi vel enallagas, vel hypallagas, vel synchyses, vel pleonafinos; horum se exemplo incitatum esse fatetur ad hyperbolas e Scriptura sacra proscribendas & eliminandas, nec pronuntiare veretur, *parum a blasphemia abesse, saltem injurios esse in Deum, S. Scripturæ Autorem, qui hyperbolas ei Codici adscribant.* Tribus *Diatribis* suam expositurus mentem, *primæ* Sectione priore naturam confiderat & indolem hyperbolarum. Productis rhetorum definitionibus ex omni ævo, tandem concludit, hyperbolen esse monstrum quoddam tropi, consistereque in levi & vafro mendacio. Posteriori *Sectione* falsus, Theologos plerosque omnes adhuc tribuisse sacro Codici hyperbolas, veteres, novos, e quibus multa loca adducit in medium; quatuor duntaxat sacri ordinis viros occurrisse sibi ait, qui ejectam hanc figuram voluerint e libris Θεοπνεύστου, Lampium, Pareum, Meisnerum, Læfcherum. His assentiens, ideo sacre Scripturæ negat tribui debere hyperbolas, quia & sint mendacia falsitatesque, & proficisci soleant a levitate vel stolidi arrogantiâ. Addit, nulli sacri codicis parti convenire hyperbolas, neque divinis promissionibus, neque prophetiis, neque doctrinis, neque historiis, neque præceptis moralibus. In his enim singulis regnare debere veritatem maxime sinceram. Hinc, quæ a patronis hyperbolarum pro sua causa dici consueverunt, profert e Flacio, Glassio, Amefio, aliisque. Ceterum cum vulgo dicatur, rerum adesse testimonia, hoc est, sacro in codice omnium oculis expositas esse fere innumeras hyperbolas, hoc quidem telum ut antagonisti e manibus extorqueat, singula loca, quæ

quæ vel obijciuntur vel obijci possunt, ab hyperbole liberare ag-  
greditur. Id quo melius succedat, *Diatriba secunda* præmittit  
canones hermeneuticos, ad hyperbolas e S. Scriptura proscriben-  
das accommodatos. Canones hi huc redeunt: stylum Orientis  
vehementer distare a nostro, indeque sæpius esse videri hyperbo-  
lam, ubi nulla fit; proverbiales locutiones non esse habendas pro  
hyperbolicis, e. g. cum quis *cedrum* vel *quercum proceritate*  
*æquare* dicitur; in ritibus Biblicis quædam videri hyperbolica,  
non esse; vocabula universalitatem significantia non debere ex-  
plicari per hyperbolen, e. g. cum *Actor. II, 5* affuisse dicuntur  
Judæi ex omni natione, quæ sub cælo est; non oportere vocari  
hyperbolæ, cum id, quod rarissime fit, fieri posse negatur; di-  
ctiones Prophetarum, quæ videantur hyperbolicæ, explicandas  
esse per accuratam emblematicarum locutionum expositionem,  
e. g. cum *montes* dicuntur *mustum stillaturi*; ex versionibus non  
fingi debere hyperbolas; in parabolis non statui debere hyperbo-  
las; cetera. *Diatriba tertia* explicantur singula loca, quibus in-  
esse hyperbole vulgo creditur, eo consilio, ut appareat, in nullo  
eorum locorum hyperbolen vere reperiri. Ex his locis, quorum  
primus est *Genes. VI, 5*, ultimus *Eccles. Salom. XII, 6*, (nam alte-  
ram hujus Operis partem, loca Novi Testamenti complexuram,  
propediem ab se editum iri, in Dedicatione Cl. Autor pollicetur,) aliquot pro specimine adducemus, & eos quidem, qui adhuc jure  
maximo referri visi sunt inter exempla dictionis hyperbolicæ.  
*Genes. XIII, 26*, & *XV, 5*, Deus promittit semen Abrahami fore  
numero par stellis ac pulveri terræ. Hic Noster superioris sui  
Canonis memor respondet, dictionem hanc esse præverbalem,  
adeoque minime hyperbolicam. *Genes. XIX, 4* dicitur universus  
populus confluisse ad domum Lothi. Hæc verba Cl. Autor pro-  
priissime capi censet. *Genes. XLIX, 11* hanc phrasin: *lavat in vi-  
no vestimentum suum*, negat esse hyperbolicam, cum sit illustran-  
da ex Theologia emblematica. *Exod. III, 8* hanc dictionem con-  
siderat: *regio lacte fluens & melle*. Nee hanc esse hyperbolen  
concedit, humanam docens regionis illius fecunditatem signifi-  
cari, quæ ob pascuorum & florum abundantiam alat ingentes pe-  
corum copias, & innumera foveat apum examina. *Exodi X, 21*

p. 27.

76.

tenebræ dicuntur adeo densæ fuisse, ut palpari possent. Id vero Vir doctissimus proprio capi sensu debere judicat. Aer scilicet adeo condensatus fuit, ut palpari posset. Ex his facile est judicium de ceteris, quæ brevitatis nostræ rationem habentes omittimus: id non dissimulantes, hac occasione Cl. Autorem doctissimas multas annotationes proferre ad loca sacri Codicis obscuriora, e. g. ad *1 Sam. XIII, 5*, ubi Philistæi dicuntur contra Israelitas eduxisse in pugnam triginta millia curruum; ad *2 Sam. XIV, 26*, de pondere capillorum Absolonis; ad *1 Regum X, 1 sqq.* de Regina ad Salomonem profecta, quam historiam hyperbolarum esse refertissimam, censuerat Cl. Jo. Clericus; ad *Jobi XL, 12 sqq. & XLI, 9 sqq.* de ceto & Leviathane, ubi mira narrantur; ad *Eccles. VII, 16*, ubi hoc præceptum datur: *Ne sis nimium justus.*

**FORTUITA SACRA: QUIBUS SUBJICITUR**  
*Commentarius de cymbalis.*


Roterodami, apud Jo. Hofhout, 1727, 8.

Alph. I pl. 2½.

**N**on ipsemet Autor, sed alius editor præmisit Præfationem, in qua docet, eum esse virum genere illustrem & munere senatorio ornatum. Addit, hoc opusculum esse *merum Specimen ex magno thesauro* eruditissimi Autoris: unde sperare licet, reliqua item hujus generis esse aliquando proditura in lucem publicam. Apparet præterea ex p. 18, 55, 57, & aliunde, Autorem esse natione Anglum.

Interpretatio hic exhibetur undeviginti Novi Testamenti locorum, quorum obscuritatem prodit mirificus Theologorum dissensus. Ubique lux affertur vel ex Judæorum antiquitatibus vel ex Græcis præci ævi scriptoribus, & magna elucet cum eruditio Autoris, tum modestia. Nos ordine sacra loca, quibus hinc interpretatio adhibetur, recensimus, & quantum per brevitatem nostram licet, Illustris Autoris sensa proferemus. I. Ad *Matth. VI, 7*, de βαπτολογία pauca differit, ac, Judæos non minus, quam ethnicos, miras habuisse in precationibus suis συνωνυμίας, docet. II. Idem argumentum persequitur ad ejusdem capituli verbum non

num-

num. III. Quid *Matth. VI, 16* significet *ἀδωκίαν*, quærit, atque ista verba hunc in modum vult reddita : *squalore ulro arcessito faciem permutant*. IV. Ad ejusdem capituli *v. 17* ostendit, Christum non præcipere, ut solito hilariores nos præbeamus in jejniis, sed ut more solito nos componamus & ornemus, nec in consuetæ vitæ ratione quicquam mutemus. V. *Matth. VIII, 28* dictos *Gergesenos* cur Lucas & Marcus *Gadarenos* appellent, dispiciens, arbitratur, *Gergesam* & *Gadaram* fuisse unius ejusdemque urbis nomina. VI. De Herodianis diu multumque disputat, eosque innui contendit, qui Romanis æque, ac Herodes Rex, libenter pendebant tributa, recteque & sine crimine id fieri statuebant. Unde eos cum Phariseis, antagonistis suis, accessisse ad Christum, quærentes ex ipso, darine Cæsari censum oporteat nec ne, ac expectasse, utrum Christus Herodianis sit assensusus tributa solvenda consentibus, an Phariseis, id vero nefas esse, docentibus. Hac occasione etiam sententiam dicit suam de *Herodis diebus*, Persio *Sat. V* memoratis. VII. *Marci VII, 9* intuens, de Misna disserit & ejus permagna in Novo Test. explicando utilitate, cum Misna, sexaginta fore post Christi ex hoc orbe discessum scripta, leges complectatur ritusque Judaicos tempore Christi usitatos. VIII. *Lucæ I, 3* diligenter potiores voces interpretatur, significarique docet accuratissimam rerum gestarum pertractationem. IX. Quid sit *Joan. I, 16*, *χάρις ἀντὶ χάρις* , cum expendit, miratur, quosdam id ita interpretari, datam nobis esse pro gratia legis gratiam Evangelii. Ipse gratiam putat significari gratiæ subinde succedentem, adeoque assiduam divinorum beneficiorum accumulacionem, similes adducens dictiones e præstantissimis Græcæ scriptoribus. X. *Actor. XVIII, 23* ignotum Atheniensium *Deum* perdocte illustrat, itemque XI. plures versus Capituli XIX, nempe *v. 24* & sequentes. XII. Longa exhibetur & a Præfationis scriptore præcipue laudata Dissertatio ad *1 Corinth. XV, 29*. Versionem ejus hanc producit : *Præterea quid illi profecerint, qui baptizantur in locum mortuorum? si mortui plane non resurgunt, quorsum in locum mortuorum baptizantur? hoc est, si mortui non resurgunt, cur in eorum fidelium locum, qui jam fato sancti sunt, alios atque alios baptizamus? cur propagatur inter nos baptismi ritus?*

tus? cur continua serie apud nos repetitur baptismus? XIII. 2 Corinth. II, 16 hæc verba: καὶ πρὸς ταῦτα τίς ἰκανός; interpretem secutus vulgatum sic reddit: *quis aque idoneus, ac nos?* censetque, e Græco textu excidisse voculam ἕως. XIV. Ejusdem loci versu 17 καπηλεύειας reddit non *cauponantes*, sed *adulterantes*, more scilicet cauponum vina vitiantium. XV. Phil. II, 6, 7, 8 copiose illustrat, per μερῶν Θεῶν intelligens gloriosam Dei majestatem, quæ τῇ μερῶν δέλεῃ opposita doceat, Christum & verum Deum & verum hominem esse. Ὁυχ ἀρπαγμὸν ἠγάσαστο hoc ipsi significat: *Non putavit injustum esse, sibi si vindicaret cum Deo equalitatem, quippe quam suam esse noverat.* Ἐἴσω Θεῶν significare judicat esse *equalem Deo*, ut ἴσα more Græcorum ponatur adverbii loco. XVI. Tit. III, 8 Paulus Christianos jubet καλῶν ἔργων προϊσχυθῆναι. Hujus vocis veram notionem a nullo fere perspectam esse ratus, ostendit e luculentis veterum locis, προϊσχυθῆναι significare *tueri ac defendere*, atque hunc esse Pauli sensum existimat: *Cum statuamus & doceamus, sola Dei gratia nos haberi justos, & adversarii hinc arripiant calumniandi occasionem, quasi opera bona stoccipendamus, scitote, patrocinio suo quemque bona opera adjuvare debere, eorum defensionem suscipere, ea extollere & necessaria esse constanter predicare, atque hoc pacto objectum nobis crimen diluere, quasi, cum sola fide nos justificari dicamus, nihil ad nos pertinere statuamus bona opera.* XVII. Ejusdem capituli v. 10 & 11 sic interpretatur: *hominem hereticum post unam alteramque admonitionem devota, sciens, cum e via exeidisse, prudentem scientemque peccare, atque ad se ipsum, dum veritati resistat, tacite damnare.* Per hereticum vero hic loci dici putat non quemvis heterodoxum, sed hominem contentiosum, qui commodi sui causa ea defendat, quæ falsa esse haud ignoret. XVIII. Hebr. I, 13, quid sit, *sedere ad dextram Dei*, quærens, idem esse censet, quod *regnare cum Deo*, similiaque profanorum scriptorum loca adducit illustratque. Denique XIX fatetur, se verba magis δυσνόητα nulla reperisse in sacro Codice, quam ea, quæ leguntur Jacobi IV, 5. Ipse nova ratione interpungit Jacobi verba: Ἡ δοκιεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφή λέγει πρὸς Φθόνον; Ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα, ὃ καὶ ὠκνητεν ἐν ὑμῖν. μείζονα δὲ

δὲ δίδωσι χάριν, hoc est, an putatis, sine casu hæc dicere Scripturas per invidiam? Absit. Spiritus ille, qui & hæc condidit, idemque in nobis habitat, nos mire diligit, summo nostri desiderio tenetur, majora hic nobis largitur. Recordamur, eandem hujus loci interpunctionem, eandemque prope interpretationem (quod Autori videtur fuisse incognitum,) exhiberi in *Miscellaneous Lipsiensibus* T. XII p. 172 sqq.

Sequitur *Commentarius de cymbalis*, cui Autor ipse præmisit Præfationem, in qua profitetur, se occasione loci *1 Corinth. XIII, 1*, composuisse hunc librum, cum nesciret, jam a Cl. Lampio editum esse librum *de cymbalis veterum*: quem quidem nos in his *Actis* laudavimus A. 1704 p. 142 sq. *Quicquid ego*, inquit, *in hunc meum Commentarium retuli, illud omne annotatum, dispositum, explicatum mea opera est. Si maturius librum (Lampii) vidissem, Commentarium fortasse non condidissem: conditi certe non præiit.* Capitibus XXXII absolvitur doctissimus hic libellus, cuius prioribus novem capitibus postquam Ill. Autor de vera forma cymbali veteris se sollicitum præbuisse, sequentibus Deos Deasve memorat, quorum in sacris usitata erant cymbala; cur veteres scriptores plerumque cymbala conjuncte cum tympanis memorent, inquit; de usu cymbalorum privato disserit, de cymbalisticis & cymbalisticis, de materia cymbalorum, de sono & collisione eorum, de saltatione ad cymbala, de variis eorum generibus, ac separatim de cymbalis Hebræis. Cumque Cybeles potissimum in sacris frequens esset hujus musicæ usus, singulari Capite docet, Deam Syriam, Cybelen, Cererem, & Isidem esse unius ejusdemque numinis nomina. Refellit etiam *Cap. 25*, errorem Cl. Lampii, putantis, cymbalorum manubria quædam gessisse figuram crucis; hancque nactus occasionem subsequentibus duobus Capitibus de pileis Corybantum producit selecta veterum loca. Sed hæc hactenus.

p. 262.

Cap. XI.

JO. GEORGII ESTOR, J. V. L. PROF. ET HISTORIOGRAPHI HASSO-DARMSSTADINI, *Analecæ Fuldensis*, ad Viri Reverendi, JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT, *clientelam Fuldensis beneficiariam*, &c.

Argentorati, sumtibus Jo. Reinholdi Dulsfeckeri, 1727, fol.

Alph. 1 pl. 2.

CUM non solum aliud aliis, sed & tibi ipsi aliud alio tempore videri possit: minime invidiæ sibi fore duxit Clarissimus Autor, si suas de feudis Fuldensibus observationes, in quibus a doctissimo Schannato plurimum dissentit, publicæ luci exponeret. Ipsæ illæ satis loquuntur, qua diligentia magnam literarum clientelarium vim perlustraverit planeque excullerit Noster: tantoque eæ majorem attentionem merentur, quanto magis inter se distant, quæ ambo Viri doctissimi, ex iisdem fontibus ac monumentis hausta, de singulari illa feudorum Germanicorum specie, Fuldensium puta, docuerunt. Duabus vero Analecta hæc Fuldensia constant sectionibus: una est veluti *Thesis*, atque sententiam de vera & genuina Feudorum Fuldensium natura sistit & confirmat: altera est velut *Antithesis*, quæ septem supra quadraginta observationes ad Clientelam Fuldensem beneficiariam complectitur.

Naturam Feudorum Fuldensium Celeberrimus Schannatus dixit esse talem: "ut sint masculina, *Mann-Leben*, quæ cum patris & conventionibus ad heredes masculos devolverentur, Feudum masculina hereditaria, *Erb-Mann-Leben*, appellata esse; neque ex eo nomine, ut & ex notissima clausula: *nach Fuldischer Leben Herkommen, Recht und Gewohnheit*, promiscuam etiam feminarum in Feudo Fuldensi successionem absque errore exculpi posse:" quam sententiam breviter retulimus in Actis superioris anni, mense Januario, p. 25. At Noster ex adverso veram Feudorum Fuldensium indolem in eo constituit, quod indistincte feminas admittant, & cuncta sint feminea. Formula: *nach Fuldischer Leben Herkommen, Recht und Gewohnheit*, in literis clientelaribus adeo frequens, non dicis causa adhibita censeri debet, sed utique peculiare quiddam, & a moribus juris beneficiarii communis recedens, indicat, feminarum scilicet successionem. Hæc antiquis temporibus, & quidem Henrici Abbatis ævo, i. e. circa A. 1292, discrimen ex variis beneficiorum speciebus ignoravit, postea tamen certum, atque in aliis aliisque Feudis diversum, succedendi modum & ordinem recepit. In quibusdam feminæ



minæ ab successione arcentur, quamdiu mares supersunt, a primo Feudi acquirente legitime descendentes, ordine mori Francico simili, secundum quem in baronia feminæ non succedunt, quoad masculi heredes supersunt. Idque genus beneficiorum vocatur *Fuldiseb Mann - vel Burg - Lehen*. In aliis Fuldensis Ecclesiæ beneficiis succedunt mulieres cum masculis, ut, proximitate gradus observata, illarum præ his ratio habeatur: quæ audiunt in genere: *Fuldisehe Lehen*. Nova igitur Præsulum Fuldensium statuta de successione ex veteribus monumentis omnino explicanda erunt, quæ concordi suffragio probant, cuncta Feuda Fuldensia esse feminea, Germanis *Kunckel - Lehen*, quod præterea confirmant exempla CCXI Fuldensia, quæ breviter recensendo Noster argumentationem per inductionem format. Neque est exiguus scriptorum beneficiorum numerus, pro Nostro facientium. Occurrunt etiam in superiore Germania Feuda, ab aliis dominis concessa *zu Fuldisebcm Lehen*, feminas admittentia: unde argumentum haud leve. Quæcunque vero in tabulis clientelarum Fuldensium antiquis & recentioribus obveniant varix earum distinctiones atque denominationes, eo tamen ubique res redit, ut universa & singula, sive sint castrenlia, *Burg - Lehen*, sive masculina, *Mann - Lehen*, sive alio nomine quocunque sint, feminas successuras amplectantur admittantque plene. Verbi: *Mann - Lehen*, minime ista vis est, ut excludat feminas: quippe *Mann* idem est, ac vassallus. Neque Feudum castrense non subijit consuetudinem Fuldensem; pariterque evenit in reliquis beneficiorum Fuldensium speciebus, ut sunt *Jäger - Lehen*, *Brat - Lehen*, *Steylera - Lehen*. De singulis exempla & monumenta luculenta proferuntur. Feminarum in clientelis Fuldensibus favorem porro commonstrat succedendi modus, usu observatæque continua corroboratus; ita quidem, ut in linea recta, deficientibus filiis, filix succedant in capita; in linea vero transversa, sive collateralis, femina magis proxima masculo magis remoto præferatur: imo si hæc in linea gradu pares sint, masculus & femina simultanee succedant. Variæ ceterum pro successione mulierum causæ militant. Præter Germanorum erga feminas honorem, (unde, si beneficia jure Germanico non prorsus sunt regulariter feminea, quod nonnullis

p. 9.

13.

19.

20.

21.

25.

29.

- p. 30. videtur, feminæ certe facile ad successionem clientelarem sunt admiffæ,) non-ufus juris Longobardici in Feudis Ecclesiasticis multum iuvat feminea jura in beneficiis ejusmodi baculi curvi. Accedit, quod Feuda Fuldenfia, peculiaribus legibus circumfcripta, dudum extiterunt ante introductum in Germania jus Feudale Longobardicum, quod in compluribus provinciis necdum receptum est, in quibus Feuda feminea propria reputari debent. Taliaque sunt Feuda Trevirenfia, Colonienfia & Weftphalica, Mentenfia, Monafterienfia, Osnabrugenfia, Leodienfia, Trajedina, Corveienfia, Lotharingica, Holfatica, Sabaudica, Pomeranica, Brabantina, Flandrica, Mecklenburgica, Juliacenfia, Clivenfia, Bergenfia, Lufatica, Glogavica, Hollandica, Gelrica, Zutphanica.
31. Porro id fpectandum, quod Feuda Fuldenfis Ecclefie sunt oblata, ut vel ex corpore *traditionum Fuldenfium*, quod eidem doctiffimo Schannato debemus, fatis conftat, ac infuper ex testimonio ipfius Marquardi, Antiffitis Fuldenfis. Utique vero firmum pro feminea fucceffione argumentum ex oblatione Feudorum duci folet. Francicum denique jus indubia fucceffionis promifcuz in Fuldenfibus clientelis featurigo. Illud enim mirum in modum favet fucceffioni feminez, adeo, ut omnia Germanie jura intuitu hujus favoris vincat. Pofteaquam etiam in Gallia Feuda funt facta patrimonialia, evenit, ut feminz in illis, tanquam in patrimonio, fuccederent: quæ ad Germanos confuetudo devoluta, & in beneficiis Fuldenfibus facile inolevit, dum Franci, teftè Schannato, fuerunt Buchonie quondam incolæ. Hereditariam vero fucceffionem in beneficiis Fuldenfibus vel una charta Marquardi Abbatis perhibet. Quibus demum argumentum adjungendum est, a curvo baculo defumptum. Quippe inter omnes convenit, Feuda Ecclefiaftica mulieres neutiquam excludere; qualia effe Fuldenfia, nemo negarit: ut proinde, fi pares caufæ paria defiderant jura, habeant femineam fucceffionem cum reliquis Ecclefiafticis communem. Atque hæc hætenus Nofter fectione prima, pro conftabilienda feminarum fucceffione atque indefinienda clientelarum Fuldenfium indole, dixit, monumentis maximam partem domefticis ufus, quo minus objici queat Schannati caufatio, quafi non nifi rerum Fuldenfium imperiti
- fuc.

successionem femineam istamque beneficiorum Fuldensium naturam, quam Noster tuetur, sibi effingerent. Iisdem subsidiis in consilium vocatis, & eadem methodo Sectione II ad clientelam Fuldentem beneficiariam annotavit. Septem quidem priores observationes ad naturam juraque beneficiorum Fuldensium universim spectant. Sequentes duæ sunt de Feudis Fuldensibus oblatiis; decima, de Feudis Fuldensibus masculinis; undecima, de successione in Feudis Castrensibus. Succedunt tres, de Feudis Fuldensibus femineis, sive promiscuis, una de Feudo castri, una de Feudis Castrensibus, item alia de Feudo Advocatiæ, aliaque de Ministerialibus, in qua spicilegium addit a se dictis de vera Ministerialium indole in peculiari commentatione, nobis propediem in scenam producenda. Has observatio excipit de investitura simplici & simultanea, quam sequuntur observationes viginti septem, de servitiis militaribus in campis & expeditionibus, quæ complura scitu jucunda & egregia de re militari Germanorum ex antiquitate docte eruunt. Agmen claudunt observationes duæ, prior de servitiis judicialibus, altera, de mutua inter Ecclesiam & vasallos suos obligatione. Quemadmodum vero enumeratæ hæcenus observationes præterea, quod tradita de indole & successione Feudorum Fuldensium ulterius confirmant ac jura clientelarum Germanicarum, imprimis Ecclesiasticarum, permultum illustrent, eo magnam partem tendunt, ut jura Serenissimorum Hassiæ Landgraviorum circa Feuda Fuldensia explicent ac subinde tueantur: ita subjecta iisdem in calce est designatio Feudorum omnium, quibus dicti Serenissimi Principes ab Abbate Fuldensi aliisque solent investiri. Inter Feuda ista Hassiæ Fuldensia est Comitatus Zigenhainensis, quem Noster docet, fuisse Feudum utique oblatum, ac proinde femineum; in literis tamen clientelaribus concessum legi *zu rechtem Mann - Leben*. Cum itaque in eo esset, ut Comitatus posteritas ad occasum vergere inciperet, Hassiæ Landgravium ab Comitibus successionis spem titulo perquam oneroso obtinuisse; quo facto dominus Feudi facile consensum præbuerit, neque credendum esse, tunc illum de Feudi natura in masculinum permutanda leges præscripsisse Landgraviis. Minime etiam ob-

p. 45.

successionem moverit lapidem, non fuerit admiffa: siquidem id ex singularibus admodum caufis, quas olim indicandas spondet, tum fieri non potuerit. Hoc vero ideo adjiciendum nobis videbatur, quoniam in Actis nostris loco supra citato illud Elifabethæ Zigenhainensis exemplum pro confirmanda Schannati fententia referri meminimus.

**DE STATU MORTUORUM ET RESURGENTIUM liber. Accesserunt Epistolæ duæ circa Libellum de Archæologiis philosophicis; Autore THOMA BURNETIO, S.T.P.**

Londini, impensis Jo. Hooke, 1727, 8.

Pl. 19.

**EJUSDEM DE FIDE ET OFFICIIS CHRISTIANORUM liber.**

Londini, impensis Jo. Hooke, 1727, 8.

Pl. 13, cum icone Autoris.

**M**ira est utriusque operis Præfatio, atque ita se habet, ut facile sit prævidere, repertum hic iri dogmata nonnulla maxime paradoxa. Docet enim, qui præfatus est, paucissima horum librorum excusa esse exemplaria, simulque adjuratur quasi lector, ne vel calamo vel typis eos describi & in vulgus edi patiatur. Quo magis cognoscere gestient lectores nostri, quid hisce in libris sentiat Autor, jamdudum e *Theoria telluris & Archæologiis philosophicis* clarus, cujus & vitam a Guil. Wottono descriptam nuper in his *Actis* laudavimus. *Capite* igitur *secundo* (nam *primum* Præfationis instar est) docet Autor, beatitudinem humanam haud includi hujus vitæ curriculo, sed expectandam esse vitam aliam. Id concludi debere judicat ex eo, quod in hac vita sæpe bonis male, malis bene sit. Cum enim Deus justus sit sanctusque, consequens esse, ut & præmia virtutis & pœnæ improbitatis referrentur in vitam posteriorem. Deinde cum malorum ac miseriarum hæc vita sit refertissima, bonitatis Dei esse, alium exhibere mundum, in quo comædia quasi exitum reperiat Deo dignissimi-  
mum.

inum. Addit, eam esse dignitatem humanæ naturæ, ut credi debeat Deus mentibus tam alta spirantibus reservasse mundum alium. Ultimo loco monet, nihil in libris Novi Testamenti tradidit clarius, quam vitam futuram eamque sine fine duraturam. *Tertio Capite* immortalitatem animæ humanæ ex ipsa ejus natura demonstrat. Cum enim tota sit activa & mera vita, non posse eam perire aliter, quam annihilatione. Jam cum non desint, qui animam velint esse corpoream, adeoque dissolubilem, primo docet, dari ens incorporeum in rerum natura. Hic Deum producit, eumque demonstrat non posse esse materiam sive corpus, liquide ostendens absurda, quæ sequuntur sententiam eorum, qui Deum statuunt corporeum, vel ipsum mundum credunt esse Deum. Ubi vero concesseris, Deum esse incorporeum, non posse negari, eum producere valuisse alias naturas incorporeas. Has inter esse animam hominis, copiose & luculenter demonstrat ex ipsius effectibus & proprietatibus. *Cap. IV* agit de animarum a corpore se junctarum statu usque ad resurrectionem. Hic se dissentire profitetur ab iis, qui animas statim a morte corporis aut summa gloria visioneque beatifica frui aut inferni cruciatibus subjici existimant, istamque sententiam tum sacris literis, tum antiquissimæ Ecclesiæ doctrinis repugnare contendit. In toto sacro codice id nusquam doceri, sed fruitionem æternæ beatitudinis clare differri ad adventum Christi, mortuos in vitam revocaturi. Adducit eam in rem multa sacræ Scripturæ loca, eaque attentius contemplatur. Cum vero adversari ipsi videatur Paulus, *Phil. I, 23* scribens, *se esse cupere cum Christo, & 2 Corinth. V, 8, se, ubi moriatur, fore cum Domino*, multam navat operam, ut nobis persuadeat, hæc dicta ita esse interpretanda, ut innuatur a Paulo tempus resurrectionis suæ. Putat scilicet, contraria sententia labefactari doctrinam de resurrectione, cum animabus visione beatifica & supremo gloriæ gradu jam fruentibus nullo sit opus corpore. Imo & hæc observasse se ait, doctrinam de animabus a morte statim beatis occasionem præbuisse lucrosis dogmatibus de sanctis invocandis deque animabus e purgatorio (quod vocat *aurifodina* *nam quavis India ditio*rem) liberandis. Hinc transit ad antiquissimos Ecclesiæ doctores, docetque, tribus primis sæculis, si

p 16

38.

- forte Cyprianum excipias, omnes docuisse, post resurrectionem demum animas piorum compotes fieri felicitatis summae. Quin contendit, probari posse e primævis Patribus, primos autores atque patronos vulgaris sententiæ fuisse Gnoilicos, Basilidianos, p.64. fqq. Valentinianos, Marcionitas. Adjecit huic Capiti Appendicem, in qua docet, etiam quarto & secutis seculis præstantiores Ecclesiæ doctores fuisse in ea, quam ipse propugnet, sententia. Prodire hic jubet Chrylostomum, Theodoretum, Oecumenium, Iheophylactum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum. Postremo tradit, seculo demum decimo quinto in Concilio Florentino decretum esse, *animas sanctorum mox recipi in cælum, & intueri*
75. *clare Dominum, sicuti est.* Capite quinto disquirit, utrum animæ post mortem sint ab omni corpore separatae, an aërio uniantur corpori. Rationibus diu subductis probabilius esse statuit, animas manere in statu separato usque ad resurrectionem, nec ullo vestiri corpore, concedens tamen, eos non fovere sententiam certo falsam, qui credant, esse in hoc crasso, quod gerimus, corpore vehiculum interius, quo vestita anima evolet in articulo mortis.
88. *Cap. VI* progreditur ad *novissima*, quæ Theologi vocant, hoc est, ad ea, quæ resurrectioni mortuorum conjuncta erunt. Hoc igitur Capite de adventu Christi disserit, deque mundi conflagratione, multis eos refutans, qui putant, *Matthæi cap. XXIV* non agi de fine mundi, sed de excidio duntaxat sanctæ urbis, ex aliis quoque locis adductis probans, adventum Christi ad judicium universale & conflagrationem mundi inter fidei Christianæ manifesta dogmata referri oportere. Plura de utroque argumento lecturos ablegat ad tertium librum suæ *Theoriæ Telluris. Cap. VII* de supremo judicio disputat. Hic primo duæ Scriptura sacra externum hujus judicii apparatus repræsentat, observans, eum describi sub imagine fori humani, neque adeo literali sensu universa capienda esse. Ceterum cum Patrum nonnulli statuerint, in judicio extremo probationem animarum factum iri per ignem, idque a Paulo *1 Corinth. III, 13* doceri, sibi persuaserint, diu Nolter circa hunc Apostoli locum hæret, & ad ultimum censet, omnino ignem hic describi proprium ac materialem, & per *diem* significari extremum judicium. Idem probari credit posse

posse ex *Marci IX, 49*, ubi fore dicitur, *ut omnis homo salietur igni*, & ex *Matth. III, 11*, ubi Christum legimus *igne baptizaturum homines*. Adducit hinc hujus sententiæ subscriptores. Origenem, Lactantium, Hilarium, Ambrosium, Basilium, Gregorios, Nazianzenum & Nyssenum. Addit, hanc doctrinam tempore Augustini corruptam fuisse, in eumque errorem de purgatorio. De tempore judicii extremi disserens, ipsos Apostolos existimat ex verbis Christi male intellectis credidisse, esse diem extremi judicii admodum propinquum, nec veretur hunc vocare errorem innocuum, in quem delabi Deus eos permiserit optimo consilio. *Cap. VIII* de mortuorum resurrectione disputare aggressus, ejus certitudinem e clarissimis S. Scripturæ locis probat. Hinc docet, corpora resurgentium non fore ea, quæ nunc habemus, sed cœlestia & incorruptibilia & inorganica, carnis & sanguinis expertia, qualia habeant angeli. Angelos enim statuit non esse substantias mere spirituales, sed vestiri corporibus sui generis, idque ex eo probat, quod visibiles futuri sint satellites Christi in judicio extremo. Ad materiam corporis futuri quod attinet, docet, eam non constare compage ossium, carnis, sanguinis & viscerum, sed fore purissimam ac tenuissimam instar ætheris, maximeque agilem & actuosam, ac lucidissimam. Cumque Scriptura S. doceat, corpus nostrum fore simile glorioso Christi corpori, hinc statuit, corpus Christi, quod post resurrectionem & ascensionem habet, esse instar flammæ, ætheris, aut lucis liquidæ. *Cap. IX* venit ad eam quæstionem, utrum in resurrectione habituri simus idem corpus, quod nunc habemus, an aliud. Refutat hic eos, qui putant, idem corpus resurgere debere, in quo hac in vita vel bona vel mala patravimus. Neque enim corpus esse aut præmii aut pœnæ capax, cum in sola anima sensus insit. Quærit porro, quodnam unius hominis corpus resurgere debeat, cum corpus nostrum sit in perpetuo fluxu & mutatione, atque ita dissipetur resarciaturque in dies, ut, qui diu in hac vita fuit, successive sex septemve habuerit diversa corpora. Cum etiam in confesso sit, in altera vita multis humani corporis partibus placere non fore opus, hinc concludit, Deum miraculum patraturum etiam supervacaneum, si particulis corporum undique recolle-

P. 125.

160.

clis eadem redderet nobis corpora, quæ gessimus in hoc mundo. Unde tandem confici existimat, corpora beatorum fore a pristinis corporibus diversa tam specie, quam numero, tam quoad substantiam, quam quoad accidentia. *Cap. X* agit initio de resurrectione prima, quod arcanum vocat a seculis absconditum, deumque a Joanne, ultimo prophetarum, aperte proditum. Statuit nimirum, post primam resurrectionem in terra nova corpus nostrum fore terrestre & ad formam hodierni corporis compositum, in fine autem millennii, cum ascendemus in cælum, mutatum iri illud corpus in cœleste & æthereum. Ceterum cum jam libro quarto suæ *Theoria telluris* hoc argumentum tractavit, pauca hic de eo affert. Finita scilicet conflagratione mundi & terra in chaos quoddam redacta, ex illo chaos formatum iri credit novam & paradisiacam tellurem. Hanc sententiam cum maxime perspicue per scriptam sibi invenisse videatur *2 Petri II, 11, 12, 13*, pluribus eum locum persequitur. In hoc renovato mundo celebratum iri millenne regnum Christi dum docet, non solum Patrum trium primorum seculorum consensum jactat, sed varia quoque e suo ingenio deprompta argumenta adjungit. Quis status hominum futurus sit hoc in millennio, cum jam in *Theoria telluris* exposuerit, nunc explicat sententiam suam de Christi in hoc millenni regno præsentia. Non putat scilicet, Christum descensurum esse in hanc novam terram forma humana, sed appariturum esse eminus in suo corpore glorioso per modum perpetuæ *Schechinah*, uti olim in sancto sanctorum: qua occasione longam exhibet de *Schechinah* digressionem, quam multis etiam Veteris Testamenti locis illustrandis dicavit. Addit, Judæos vi promissionum divinarum haud exiguas partes habituros esse in isto millenni Christi regno. Denique in hoc regno statuit religionem Christianam non parum mutatum iri, tam quoad cultum externum, quam quoad animorum sanctitatem & scientiam: fore enim veritatis revelationem multo clariorem, pleniorum, magisque distinctam, quam ea sit, qua fruimur in hodierno seculo. *Cap. XI* de cælo & inferno agit. Cælum autem hic dicit illud, quod sedes sanctorum erit expleto millennio, cum cœlestia induti corpora mutatis sedibus consummata gaudebunt felicitate. Lo-

cum



cum cœli beati definiri posse negat: illud pro certo habet, fedes beatorum fore in regionibus æthereis supra omnium planetarum atmosphæras positas, & quemlibet sanctum pro ratione suæ puritatis & perfectionis propius ad *Schechinah* sive folium gloriæ esse stationem suam habiturum. Ad statum beatorum quod attinet, statuit, eos supra omnes planetas elatos acie oculorum longe acutissima intuituros esse Oceanum mundanum & innumeros terrarum orbis suis repletos incolis: ex hac contemplatione redundaturam esse voluptatem incredibilem: longe vero majorem voluptatem consecuturam ex contemplatione & amore Dei, itemque ex cognitione hierarchiæ cœlestis angelorum & archangelorum. Hinc descendens ad infernum primo disquirat, an detur infernus subterraneus, hac occasione *descensum Christi ad inferos* interpretans de ejus incarnatione, cum relicto cœlo in hanc terram infimam dignatus est descendere bono generis humani. Dari infernum subterraneum, postquam negasset, argumentis nixus physicis, secundo loco quærit, an detur ullus infernus corporeus & localis ante judicium illud extremum. Hic fatetur, se propendere in eam sententiam, ut credat, nullas fore pœnas externas impiorum ante diem illum pantocriticum, sed eos internis tantum conscientiæ furiis agitatum & exercitum iri. Addit, nec diabolos ante illud tempus inferno igne torqueri, sed vagari per orbem terrarum vividos & nimis actuosos. Detrusis in infernum impiis (diabolos hic silentio præterit) an in æternum sua sint sustinenda supplicia, deinceps disputat. Atque hic quidem communem omnium Theologorum doctrinam summo animi impetu oppugnat, & cum rationem, tum naturam Dei, imo & naturam rerum huic dogmati alta voce reclamare scribit ac pluribus edisserit. Haud quidem diffitetur, Scripturam S. stare videri a partibus contrariis, sed monendum sibi ducit, commodam interpretationem verbis sacris esse adhibendam, ne divina simul & humana violentur jura, nec eo nomine male audiat Christiana religio. Non adducemus argumenta ejus, jamdudum quippe ab aliis istius sententiæ patronis, quos Augustinus *Doctores misericordes* vocat, in medium prolata. Illud indictum non prætermittimus, ipsi videri Christum sanctissimis de causis mansisse in traditione vulgari de

æter-

æternitate infernarum pœnarum, *venturumque diem*, (hæc ipsius verba sunt p. 249.) *cum non minus absurda habeatur odiosa hæc opinio, quam transubstantiatio hodie*. Adducit item in sententiam suam Justinum Martyrem, Hieronymum, & duos Gregorios, dissentientes Theologos appellans *Doctores immisericordes*. Utimo loco vetat hanc suam doctrinam efferri in vulgus, quippe quod merito tantæ formidine pœnæ a pravis facinoribus absterreatur, pronuntiatque, si quis hæc doctioribus a se scripta in linguam vulgarem transfulerit, eum malo id animo & consilio finitro facturum esse.

p. 260.

Sequuntur duæ Autoris epistolæ apologeticæ pro *Archæologis* suis *Philosophicis*. Priore respondet ad amicorum, posteriore ad inimicorum objectiones. Dixerant scilicet quidam, Burnetium in isto opere favere æternitati mundi, & rerum ex nihilo creationi adversari. Hoc vero injuste sibi tribui, ostendit e claris operis sui verbis. Illud tamen non dissimulat, se credere, per innumera secula ante visibilem hunc mundum exstitisse angelos, itemque materiam mundi primam. Deinde criminati erant nonnulli, ipsum minus reverenter habere historiam creationis Moisaicam. His respondet, se utique Mosè habere pro Propheta divinitus inspirato: ejus vero narrationem de creatione a se haberi pro descriptione allegorica, quales occurrant in sacro codice plures: ceterum facile se pati, colloquium illud inter Evam & Satanam, prout ipse (Burnetius) id exposuerit, evitandi offendi- culi causa tolli ac rescindi. Postremo monet, se librum illum suum scripsisse lingua Latina ad eruditos & mystas, nec velle hæc sacra sive mysteria temere in vulgus spargi. *Epist. II* contendit, Sabbathum non fuisse celebratum ante tempora Mosi, idque ad probandum adducit auctoritates Patrum Ecclesiæ, silentium historię sacræ, & ipsius Mosi testimonium *Exodi XXXI, 13*, itemque *Ezechielis cap. XX, 12 & 20*. Hinc docet, licet Moses videatur docere, Solem moveri, recte tamen Philosophos Christianos contrariam tueri sententiam, certissimis inductos argumentis. Mosè enim suas loquendi formulas ad opiniones captumque vulgi accommodasse, ac merito Anthropomorphitas sperni, qui e clarissimis sacri codicis dictis Deo tribuant membra corporea, item- que


265.

que Transubstantiationem jure rejici, licet ejus doctores literæ sacri codicis se inhæreere profiteantur. Ac plura quoque sacræ Scripturæ loca profert in medium, quæ qui literaliter interpretentur, eum aperire fenestram multis magnisque absurditatibus.


Progredimur ad alterum librum, *de fide & officiis Christianorum* inscriptum. Facile intelligitur, hoc esse Burnetianum systema theologiæ cum theoreticæ, tum moralis. Posteaquam igitur *Cap. I* supposuit, tanquam ab aliis abunde demonstratum, doctrinam Christianam in canone Scripturæ contineri tanquam libro Θεοπνεύσω, religionemque Christianorum non esse credulitatem, sed luculenter defendi posse contra Celsos ac Porphyrios; *Cap. II* de religione naturali differit, ostendens præstantiam hujus religionis, ejusque sinceros cultores, inter quos Enochum, Abelem, Noachum, Iobum, Abrahamum refert, credens pervenire ad æternam beatitudinem. Deinceps docet, fundamentis Theologiæ naturalis superstructam esse religionem Mosaicam sive Judaicam, Mosemque præceptis religionis naturalis tot ritus adjunxisse ob indolem populi sui hac ratione ab idololatria avocandi. Inde Prophetas observationem legum naturalium semper præferre observationi religiosæ institutorum Mosaicorum. Eadem via incessisse Christum & Apostolos, ac docuisse, viri Christiani officium absolvi studio culturaque virtutum naturali lege præscriptarum. Progressus hinc ad religionem ethnicam ostendit, quam longe ea recesserit a religione naturali, quamque absurda tradiderit: multis tamen Philosophis inter ethnicos exortis docentibus meliora. *Cap. III* religionem Judaicam contemplatur, ac primo defendit, Mosem fuisse non pseudopphetam, sed verissimum Dei legatum, idque multis maximisque confirmasse miraculis. Quod si quis suspicetur, ea patrata esse magicis artibus, idem reponi jubet responsum, quod *Matt. XII, 24 sqq.* Pharisæis id ipsum sibi objicientibus reddidisse legitur Christus. Si quis alius dicat, religionem Mosaicam supervacuis & minutis, adeoque Deo indignis, scaterere ritibus ac cærimoniis, perpendi jubet, Mosem tueri religionem naturalem, cum theoreticam, tum practicam, accuratissime; eundem non dare voluisse legem perfectissimam, sed aptissimam & utilissimam pro ratione temporis; nec id sibi

p. 8.

29.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART  
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS 1963-A



1:24

ACTA ERUDITORUM  
LEIPZIG 1728

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT  
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK  
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 612 Y 4<sup>0</sup>

- propofuisse, ut effet lex totius humani generis, sed unius sui populi; denique non voluisse, ut lex sua duraret in perpetuum, sed duntaxat usque ad tempora Messia. Legem enim Mosis fuisse primum veluti gradum ad reformandam gentem humanam idololatricæ immerfam: eam reformationem perfectam fuisse a Messia, cujus adventum Moses & ceteri Judæorum Prophetæ prædixerint, atque etiam prædicere & sic animos hominum ad majora & meliora præparare debuerint. *Cap. IV* ad religionem Christianam accedens, prærogativas ejus primo demonstrat præ religione sincere naturali Philoſophorum, itemque præ religione Judaica. Jesum a Deo missum esse, satis elucere e tot signis & miraculis miracula Mosis & Prophetarum magnitudine superantibus. Hic lustrans sacram historiam concinno ordine & compendio exhibet signa illa & miracula, e quibus cognoscimus, Jesum fuisse Prophetam & quidem Prophetam plane extraordinarium. Addit prædictiones Christi luculentissimas perfecteque impletas, itemque miraculosum religionis Christianæ progressum. Denique ostendit, summam Dei erga genus humanum benevolentiam e missione Christi elucere, quippe cum eo tempore totus orbis, qua ethnicus, qua Judaicus, fuerit corruptissimus, & reformatoris maxime indiguerit. *Cap. V* ad cultum Dei & ritus sacros Christianorum delatus docet, proponi sibi Deum unum purissimo cultu afficiendum: additos esse ritus tantummodo duos, Baptismum & Eucharistiam, ritus simplices, innocuos atque utiles. Utilitatem eorum in eo versari, quod, qui baptismo initiuntur, hoc ipso renuntient omni impuritati mentis, quodque, qui eucharistia utantur, beneficia sibi in mentem revocent a Christo profecta, qui sua morte nos redemit a peccatis & salutem nobis paravit æternam, simulque profiteantur caritatem erga proximum, acta prius ante commissorum peccatorum pœnitentia. Ceterum infantes in baptismo regenerari negat, exorcismum in eodem adhibitum quodammodo magicum esse putat, ac Eucharistiam mysterio careere pronuntiat. *Cap. VI* de vitæ præceptis Christianis differens, ea legi naturæ conformia judicat, & cum ad virtutem producendam, tum ad felicitatem utriusque vitæ consequendam accommodatissima. Hinc singula capita Theologiæ moralis breviter ac diligenter persequitur. *Cap. VII*
- p. 43.
- 65.
- 85.
- 104.
- do.

dogmata Christianæ religionis considerans, statuit, initio tantum postulatum fuisse ab ejus candidatis, ut crederent, Jesum esse Messiam, ac ipsis Apostolis ante ascensionem Christi non fuisse cognitam satis ejus Deitatem: imo eos principio nec gentilibus nec Judæis aperte manifestasse Deitatem Christi, quantum constat ex *Actis Apostolorum*. Eos id eo consilio fecisse conjicit, ne Judæos offenderent specie polytheismi, neve ethnicis viderentur veteri polytheismo substituere novum quendam. Postea satis præparatis hominum ad Christum converforum animis Apostolos aperte exposuisse Deitatem Christi, maxime Joannem in Evangelio suo, in Epistola prima, & in Apocalypsi. Paulum quoque in suis Epistolis, quorum pleræque scriptæ fuerint, cum magnos jam progressus fecisset Christiana religio, Christi Deitatem hand obscure prædicasse. Docet proinde, Deitatem Christi omnino credere debere Christianos ob manifestissima Joannis & Pauli de ea testimonia, nec hic rationem admittendam esse judicem, quippe quæ judicium ferre non valeat in materia infinita, qualis est natura Dei. Docet etiam, Spiritum S. in N. T. nobis exhiberi per modum personæ singularis ac divinæ, ideoque sub hac idea nobis colendum & glorificandum esse una cum Patre & Filio. C. VIII de secundariis Christianæ religionis dogmatibus agit. Hic docet ac dolet, a Theologis polemicis, repudiata primæva simplicitate, auctum esse articulorum fidei numerum. Appellat autem dogmata secundaria, quæ in nullo antiquo Symbolo reperiuntur, & quæ tenemur amplecti, in quantum probari possunt e sacris literis aut recta ratione: addens, hic multa posse in utramque partem disputari salva fide & amicitia. Orditur a *peccato originali*, per absurdum censens & in Dei sanctitatem injurium dogma de imputatione peccati Adami posteris facta, idque prope petulanter exagitans. Progressus hinc ad doctrinam de *satisfactione & justificatione*, statuit, Deum potuisse pœnitentibus peccata gratis remittere, sed eum voluisse consilio nobis imperferutabili, ut Christus se offerret in sacrificium propitiatorium & expiatorium pro peccatis humani generis. *Justificari* ipsi nihil est aliud, quam remissis peccatis Deo acceptum esse. Dum igitur dogma illud nefarium vocat, quo homo justificari creditur sola fide, hoc est, fide a bonis operibus & interiori sanctitate abstra-

p. 124.

cta, facile intelligitur, eum & a statu controversiæ aberrare & justificationem cum sanctificatione confundere. De *libero arbitrio* inutiliter multa disputari pronuntiat. Constat, inquit, nos esse nostrarum actionum autores, adeoque Deum non esse autorem peccati nostri. Constat item, nos aliquatenus conari posse, ac Deum semper paratum esse subvenire nostris conatibus, eamque gratiam esse universalem. Ad decreta divina *electionis & reprobationis* quod attinet, de præscientia Dei & directione rerum omnium dubitari non debere censet, nec item dubitari posse, nos habere libertatem in agendo. Concedit, occurrere hic aliquid perplexum & intellectui nostro impervium: sed agnosci jubet humani intellectus angustiam. *Cap. IX* de Ecclesia Christiana ejusque regimine & disciplina agens, rejicit absolutionem sive remissionem peccatorum privatam, contendens, versus impœnitentes eam esse frustraneam, & erga vere pœnitentes supervacaneam: ideoque consultius putat, abstineri ab his absolutionis formulis. Scripturæ S. loca, quibus potestas Apostolis tribuitur remittendi retinendique peccata, ad solos Apostolos restringit. Conciliis exiguam concedit autoritatem, nullum statuens in terris dari tribunal infallibile, idque propter corruptam humanam naturam. *Da mihi*, inquit, *Concilium liberum tam a vi externa, quam a partium studiis & præjudiciis. Hujusmodi cæcus augustinus quis non veneretur judicium? Sed hujusmodi cæcum a temporibus Apostolicis Sol nondum vidit. Interea sit tibi Concilium Prophetarum & Apostolorum chorus, eorum decreta evolve, eos sequere duces. Non decrit tibi lumen ad vitam æternam, modo sint aperti vigilesque oculi.* Cætera, quæ in hoc Capite Theologus noster eclecticus profert, quippe communibus doctrinis pleraque conformia, prætermittimus. Notamus tantum, Belgas hæc opuscula, recudisse eodem typo, appposito in titulo Londino, sed omisso Typographo.

**LEGES ET CONDITIONES, AD QUAS PRO-**  
*hibet in publicum nova Editio Librorum Veteris Testamen-*  
*ti, ex Versione Græca LXX Interpretum; Tiguri Hel-*  
*vetiorum ex officina Heideggeri & Soc.*

*Sacra*



JOAN. JACOBUS BREITINGERUS.

**T**ῶν ἐβδομήκοντα Bibliorum Interpretationem, quæ Græce legitur, rarum atque ineffabilem thesaurum esse, nemo ignorare poterit, nisi qui prorsus ab omni eruditione alienus est. Majores nostri religiosissimi juxta & doctissimi Viri, quantum illi tribuerint, ex Beati HVLDRICI ZVINGLIJ in præf. ad Apolog. Compl. Esaiæ effato cognoscere licet: *Quam, inquit, LXX totam chiliada ante natam Hebræorum Grammaticam ceteris sancta Volumina, apparet plurimum illis fidei deberi, atque hinc factum esse, ut veteres Theologi eos tantopere commendaverint.* Et rursus: *LXX vero Interpretationem omnibus & propter vetustatem anteferas, & propter dissimilitudinem innumerato habeas.* Constat, quanto olim in pretio Judæis Hellenistis ea fuerit habita; quanto studio ab Ecclesia Christiana in Oriente & Occidente fuerit excepta; ut priscis Patribus & Theologis græcis latinisque omni fere pagina commendata; quin & ab ipsis Novi Fœderis Scriptoribus, S. Evangelistis & Apostolis passim fuerit usurpata. Perspectum præterea & exploratum est omnibus, qui præter vulgus sapunt, singularem ejus esse usum ad Hebraicam veritatem percipiendam & stabiliendam; ad auctoritatem testimoniorum Apostolicorum confirmandam; ad nativum N. Fœderis stylum recte intelligendum; ad græcos iatinosque Patres rite tractandos; ad cognitionem denique linguæ Græcæ augendam, ipsamque Criticæ Sacram illustrandam. Hinc jam olim Ecclesiæ Christianæ Antistites omnem moverunt lapidem, ut hujus interpretationis puritatem intemeratam conservarent, & ubi ea corrupta esset, vindicarent atque restituerent: præter ceteros immortalæ nominis famam inde meruerunt ex Græcis ORIGENES, HIERONYMUS ex Latinis. Quorum exemplis nostra ætate excitati Viri eruditionis laude nobilissimi, ubi hujus Versionis Græcæ pristinam puritatem multis modis labefactatam atque interpolatam esse animadvertent, conquisitis undique & comparatis invicem MSS. Codicibus, consultis antiquissimorum Judæorum, *Philonis & Josephi*, nec non priscorum Patrum scriptis, variis quoque lectionibus ad Hebraici textus normam expensis, errores librorum oscitantia inductos profligare, & commendatissimam hanc Interpretationem pristinae integritati restituere aggressi sunt. Non fert animus, nec instituti ratio permittit, pluribus memorare, quid ab unoquoque in emaculanda & excolenda hac LXX Interpretum versione fuerit præstitum, vel singulorum operæ certum statuere pretium: extant imprimis duæ Editiones, quæ nostro hoc seculo in publicam lucem prodierunt, & facile omnibus communi sententia præstant: *Oxonienfis* altera, altera *Franequerana*. Hanc debemus studio Viri Clarissimi LAMBERTI BOS, qui in Academia Franequerana olim Græcas Litteras magna cum laude docuit. Sequitur hæc Bossiana editio in exprimendo textu Græco lectionem Editionis Romanæ: ad imam pagina-

rum oram subjacent varix Codicum MSS. Lectiones, quæ omnes, præter *Mafianas* in Josuam, & *Ufferianas* in librum Esther, ex Tomo VI operis Bibliici Anglicani polyglotti transcriptæ sunt; eas autem & exscriptorum & typothetarum culpa innumeris locis vitiosas esse & sublestæ fidei, observant jam dudum eruditissimi Viri: consulat in hanc rem, qui volet, litteratissimi *Græcæ Prolegom.* in *Oclateuch. cap. II §. 2.* ubi innumera *παρεσβήματα* ac lapsus circa varias lectiones, quæ opera *Huijssii* de Codice Alexandrino sunt depromptæ, notat; de quibus idem ingenue fatetur, quod illas omnibus, quæ cum aliis libris factæ, Tomo VI operis Anglicani exhibentur, accuratiores deprehenderit. Præterea in hac *Bosiana* editione & illud Lectorem non parum morabitur, quod textus per integrum Codicem *S. zifris* contaminatus & commaculatus est; quem morem infausto omine *scioli* quidam inducere, ut operam compendifacerent. Altera *Græcæ* hujus versionis editio e *Theatro Sheldoniano* prodiit opera ingenti Viri de re litteraria meritissimi *JO. ERNESTI GRABE*, S. T. P. qui primum textum *Græcum* ad fidem Codicis Alexandrini *Bibliothecæ Bodlejanæ* antiquissimi expressit, eumque autoritate veterum, imprimis vero *Hexaplaris* Editionis *Origenianæ* non sine adhibita *negice* castigavit ac supplevit reductis pallim asterischorum & obelorum signis. Ita quid in elegantissima hac Editione desiderari magnopere possit, non video; sed rara sunt ejus in nostris his oris exempla multo ære parata, & si fama nuntia veri, vel in ipsa *Anglia* vix adhuc egregii istius operis exempla invenire licet. Quare *Heiddeggero* Typographo autor extiti atque hortator, ut ipse pro suo de *Litteris* bene merendi studio, hanc cogitationem curamve susciperet, & novam commendatissimæ *Græcæ* hujus versionis editionem ære suo exprimere institueret, quæ rerum pondere & copia, nec minus typorum & chartæ elegantia nulli cederet & æquo veniret pretio; quem cum non alienum ab hoc consilio meo deprehendissem, operam illi meam addixi; is enim jure quodam a me postulare videbatur, ut idem consilii actor sim, qui autor fuerim. Ut igitur omnibus & singulis plenius constet, quid de nova hac nostra Editione promittere sibi possint, brevi quadam tabella universi operis rationem expediam.

*Conspectus novæ Editionis Librorum V. T. ex Versione Græcæ  
LXX Interpretum.*

- I. Præter *J. ERN. GRABE* & *LAMB. BOS* in *Græcam* hanc Interpretationem *Prolegomena*; accedent in nova hac Editione
1. *J. ERN. GRABE* Dissertatio de vitiis *LXX Interpretum* Versioni ante *Origenis* ævum illatis, ac remediis ab ipso in *Hexaplaris* editione adhibitis.
  2. *EJUSDEM* Dissertatio singularis de *Alexandrini Codicis* præ *Vaticano* præstantia quoad *V Libros* *Mosis* & *Historiam Josuæ*.
  3. *EDITORIS* *Vindicix* Codicis *Alexandrini* adversus oppositionem *Theologi* ejusdem *Salamancani* & iniquas *Casimiri Oudinii* cavillationes.  
EJUS.

4. EJUSDEM notitia Codicis Vaticanæ,
  5. J. ERN. GRABE Dissertatio Epistolica ad Clariss. *Millium*.
  6. EDITORIS notitia Codicis MS. Tigurini, libri Psalmorum, qui ætate Alexandrino & Vaticano haud inferior, & cujus ope insignes in utroque Codice lacunas explere animus est.
- II. Textum Græcum dabimus secundum Scripturam Codicis Alexandrini, ad fidem Editionis Oxoniensis summo studio expressum, additis quoque asteriscis & obelis Origenianis.
- III. Textui Græco subjicientur Codicis Vaticanæ diversæ Lectiones omnes, quas singulari studio ex ipsa Editione Romana, instituta nova ejus cum Alexandrino Codice collatione, excepiet EDITOR.
- IV. Ad calcem operis addam
1. Codicis MS. Basileensis X Seculi in Octateuchum var. LL.
  2. Variantes LL. Codicis MS. laceri in Octateuchum, qui erat quondam *Sarravii, Mentelii, Vossii* &c. nunc vero Bibliothecæ Lugd. Batav.
  3. Lectiones, quas olim Is. Vossius ad marginem editionis Romanæ allevit.
  4. Diversæ LL. Codicis MS. Tigurini vetustissimi in librum Psalmorum, hæctenus prorsus ineditas.

Quoniam vero Typographo, ex plurimorum voto, subscriptionum viam hodie frequentem & tritam insistere visum est; is a me postulavit, non tantum ut rationem consilii erudito orbi planius exponerem; sed etiam ut leges ac conditiones, quibus uterque nos adstringeremus, publico scripto promulgarem: quas proin in sequentia capita digessi, quæ, quantum ad nos attinet, vera & Helveta fide præstabimus. I. Forma Voluminis erit, quam vorant, Octava; ejusdemque si qui majorem modum desiderent, illis ut satisfacere possimus, curabimus. II. Opus integrum, quod CCL foliis constabit, VIII Voluminibus complectar. III. Si vero ille, quem credimus, foliorum numerus non exeat, vel etiam excedatur, pretio pro singulis 2 crucigeri vel detrahentur vel adjicientur. IV. Chartæ majoris formæ elegantia & typorum novorum gratia, ceteris quoque ornamentis vel ipsam expectationem superare studebimus; & ad Editionis Anglicanæ splendorem proxime accedemus. V. Imprimentur M. exemplaria. Si vero subscribentium copia hunc numerum excedat, nobis integrum erit exemplarium quoque numerum pro ratione augere, ita tamen ut præter illa, quæ tradentur iis, qui nomina dederunt, postea ne unum quidem venale proftet: in cuius rei fidem singulis exemplaribus addito chirographo suo appinget Typographus, quotum sit quodcunque numero. VI. Nomina quoque subscribentium operi præmittentur. VII. Inchoaturos nos Editionem promittimus, quamprimum D. nomina sua dederint. VIII. Operam quoque dabimus, ut omni adhibita cura opus maturetur, quantum fieri potest, & ad minimum post X mensium decursum duo priora volumina exeant; inde anno vertente tertium, quartum & quintum; & sub ejusdem anni exitum deni-

96 ACTA ERUD. M. FEBRUARII A. MDCCXXVIII.

denique 3 posteriora volumina. IX. Merces quæ librariis repræsentabitur erit modica & æquissima, & his pensionibus solvetur.

Ubi quis nomen suum dabit, solvet	. . . . .	fl. 2. cruc. 30.
Ubi 2 priora volumina accipiet	. . . . .	3. . . . .
Ubi ædium 4tum & 5tum	. . . . .	2. . . . . 30.
Ubi 6tum 7mum & 8vum	. . . . .	0 . . . . 0.

in Summa Fl. 8 . . . ●

X. Exteri edita volumina Francofurti ad Mœnum; qui vero nobis sunt propiores, ab ipsis Bibliopolis, quibus nomina dederant, repetere possunt. XI. Nomina quisque dare poterit Bibliopolis, quorum catalogum subjecimus, ab ipso illo, quo hoc edimus, die ad Kalendas usque Majas A. MDCCXXVIII, quæ cum venerint, mox præcludetur omnis aditus. Quotiam vero nonnulla necessaria erunt comparanda, ne in ultimos dies Subscriptiones differre, sed maturare velint, singulos majorem in modum rogamus.

Subscriptiones recipientur:

Basilæ apud *Bischoff*, Bernæ apud *Gottschall & Socias*, Genevæ apud *de Tournes & Barillot*, Lucernæ apud *Hauth*, Sanctogalli apud *Schoffler & Ebnrenzeller*, Schaffhusii apud *Seiler*, Altorfii apud *beati Tauberi heredes*, Altenburgi apud *Richter*, Argentorati apud *Dulßecker*, Augustæ Vindelicorum apud *Foith & viduam Kutzens*, Berolini apud *Nicolai & Haude*, Bremæ apud *Saurmann*, Brunsvici apud *Mejer & Schröder*, Büdingæ apud *Regelein*, Castellis apud *Cramer*, Coburgi apud *Pfotenbauer*, Colonix apud *Rommerskirch & Pütz*, Dantisci apud *Waesberg*, Dresdæ apud *Zimmermann & Gerlach*, Duisburgi apud *Bötticher*, Erfordix apud *Stöf- sel*, Francofurti ad Mœnum apud *Andrea & Hort*, Francofurti ad Viadrum apud *Conradi*, Giessæ apud *Müller*, Gothæ apud *Schall*, Halæ Saxonum apud *Orphanotrophii Bibliopolas*, Hamburgi apud viduam *Felginers*, Hannoveræ ap. *Förster*, Helmstadii ap. *Weigand*, Herbornæ apud *Andrea*, Jenæ apud *Bielke*, Hesenaci apud *Hartung*, Lemgovix apud *Meier*, Lipsiæ apud *B. Gleditschii Fil. & C. Martini*, Lubecæ apud *Böckmann*, Magdeburgi apud *Seidels* viduam, Merseburgi apud *Schuberth*, Norimbergæ apud *Monath & Stein*, Ratisbonæ apud *Peez*, Rostochii apud *Schwecht*, Stettini apud *Kun- ckel*, Stutgardix apud *Metzler & Erhard*, Tubingæ apud *Cottam*, Viennæ apud *Monath & Lehmann*, Ulmæ apud *Bartholomæi*, Uratislaviæ apud *Hu- bert*, Wittembergæ apud *Zimmermann*, Wolferbyti apud *Freitag*, Hafniæ apud *Roth*, Holmiæ apud *Rufsworm*, Parisiis apud *J. B. Caignard & Cavalier Junio- rem* (in via St. Jacobi) *Montalant & Coustelier* (in fossa Augustinorum) Lugduni apud *Anisson, Pofuel*, & viduam *Boudet*, Londini apud *Faillant* Fratres & *Prevost* (in platea vulgo *the Strand*) Amstelodami apud *Wet- stein, l' Honoré & Chatelain*, Groningæ apud *Spandau & van Velsen*, Lugdu- ni Batavorum apud *S. Luchtmans*, Trajecti ad Rhenum apud *van de Water & Bradelot*, Romæ apud *F. Gonzaga*, Venetiis apud *Albrizzi*.

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Martii Anno MDCCXXVIII.*

**ARETÆI CAPPADOCIS DE CAUSIS ET  
signis acutorum & diuturnorum morborum Libri IV, de cu-  
ratione acutorum & diuturnorum morborum Libri IV; Græ-  
ce & Lat. Cum MSS. duobus, Harleyano & Vaticano, con-  
tulit, novamque versionem dedit JOANNES WIGAN,  
A.M. Ædis Cbr. Alumnus. Accedit Præfatio, Dissertatt. in  
Aretæum, Variæ Lektionen, Notæ & Emendationes, Tracta-  
tus de Jonica Aretæi Dialecto, quodque difficiliores  
hujus Autoris voces exponit,  
Lexicon.**

Oxoniz, e Typographia Chlarendon. 1723, fol. auguft.

Alph. 5 pl. 4.

**T**Andem præstantissimum hoc & Oxonia sua perdignum  
Aretæi opus nancisei, ejusque excerptum hic nostris Actis  
inferere licuit. Scilicet, quum jam diu Aretæi exempla ab  
eruditis frustra quæri cœpissent; autor fuit Celeberrimus Jo.  
Freind Cl. Editori, ut illum utilissimum Autorem denno recen-  
feret, ipseque illi ad emaculandum limandumque Aretæum pluri-  
ma adjuncta comparavit, quamobrem Cl. *Wigan* quoque in  
gratæ mentis significationem novam hanc editionem laudato  
Freindio dedicavit. Inter Editiones olim parce editas facile emi-  
nere ait primam Græcam Jac. Goupyli cum 3 Codd. MSS. colla-  
tam & Parisiis ex Typographia Turnebiana 1554 in 8vo accurate  
& nitide editam, nec non variis lectionibus selectis & conjecturis  
haud contemnendis ornata: pessimam contra esse pronuntiat  
postremam Græco-Latinam Georg. Henischii, Augustæ Vindel.

Præf. fol. II.

III.

III.

- V. 1603 fol. splendide quidem, sed vitiose & oscitanter exscriptam, & futilibus jejunisque Editoris Commentariis oneratam. Petiti vero luculentas in Aretæum observationes se frustra Parisiis quæsisse dolet. Ad hanc suam novam autem adornandam, quam, quum nullum Aretæi exemplum Græcum impressum reperire posset,
- VI. integram sua manu exscriptam prelo commisisse monet, non libros solum duos editos inter se, sed eos etiam cum duobus Codd. MSS. contulit, uno Harleyno, altero vero Vaticano, a Dominico Regoletti fidelissime descripto; ex quorum illo, licet trecentis annis parum antiquior videatur, plurimum adjumenti in emendando Aretæo se habuisse fatetur, siquidem hujus ope non modo verbis Jónicas suas terminationes passim redditas esse; sed & proba ac sana sententiarum quarundam lectione nitido terfoque huic Autori sensum proprium atque elegantem restitutum fuisse ingenue prædicat, adeo ut hinc credat, Aretæi Codicem Harleyno quidem emendatiorem haud ullibi extare: ex hoc vero, Vaticano, vix quidquam suppetiarum hausit, utpote admodum vitioso & mutilo, nisi quod dialectum quandoque illius autoritate emendaverit. Præter hæc a Cl. nostro Fabricio & Mich. Maittaire bina exemplaria impressa habuit, variis lectionibus in margine conspersa, quas non conjecturas, sed ex MSS. decerptas collationes esse suspicatur. Univerſo operi præmisit quatuor Differentiunculas de Aretæi ætate, secta & opinionibus, scientia Anatomica & praxi denique medica.
- XIV. In prima Aretæum vel ante susceptum a Nerone principatum  
 XV. & exactum Titi imperium vixisse, vel Trajani saltim aut Adriani temporibus haud esse inferiorem, erudite disceptat. In altera post  
 XVIII. Cl. Dan. Clericum observat, eum Sectæ pneumaticæ fuisse addiditum, cujus disciplinæ princeps fuit Athenæus patria Cilix, Attaliæ natus, cum Plinio maj. fere ætate conjunctus, successores vero Agathinus, Magnus, Herodotus atque Archigenes, qui ex Aretæo plurima sua hausit, ut ex fragmentis apud Aetium adhuc superstibus clare patet, & uberius docetur a Cl. Editore in Notis versione suæ subjectis. Dicitur vero Secta ista pneumatica, quod spiritum vitæ motusque principium, & prout vel bene, vel male se habet, nunc sanitatis, nunc autem morborum causam esse crediderit.

In tertia accuratum specimen de Autoris scientia anatomica edit, **XXVIII.**  
 probatque, eum in nullius Magistri verba juratum, modo ad Hippocratis aut Erasistrati, modo vero ad Herophili sententiam accedere; suam tamen interea opinionem libere semper interponere. In quarta denique de curandi ratione Aretæi fuse & erudite tractat, inter alia vero annotat, vomitoria ab ipso præcipi, non modo, ut primæ viæ expurgentur; sed ut motu illo vehementi & contentione, qua inter vomendum ventriculus ceteraque viscera cientur, tum solidæ partes succutiantur & stimulentur, tum humores aut resolvantur aut revellantur, quam methodum vomitoria adhibendi vel hodie in morbis Chronicis præsertim, Ischiade, tumoribus œdematosi & Ictero apprime utilem esse Noster **XXIX.**  
 subnotat. Primum quoque fuisse Aretæum, qui venæsectionis in manu mentionem fecerit, ostendit: præterea eum arteriotomiam frequentius adhibuisse, item in diæteticis & chirurgicis accuratum & solertem fuisse, in externis vero remediis applicandis eum Methodicis, a quorum placitis Secta pneumatica ceterum abhorruit, conspirasse, perspicue docet. Ipse contextus operis Græcus luculenter & magnifice est impressus, nisi quod scripturæ compendia hodie paullo inusitata frequentius in eo occurrant, tanta ceterum cum cura, ut verum omnino scripserit Editor, eum **XXXI.**  
 unius tantum atque alterius literulæ menda laborare. Textum excipiunt variæ lectiones ex Codd. MSS. Harleyano, Vaticano & Augustano, ut & ex editione Goupyli, nec non Notis marginalibus MStis exemplarium Fabricii & Maittairei sedulo collectæ & in concinnum ordinem digestæ. His subjunxit Cl. Editor Notas in varias istas lectiones, suasque emendationes & conjecturas adjecit, ex quibus clare patet, quantum valeat in arte Critica & litteratura Græca, plerumque enim Aretæum felicissime emendat cum ex Homeri & Hippocratis peculiari loquendi modo, quem imprimis tenuisse Aretæum liquido ostendit; tum ex ipsis Aretæi atque Archigenis reliquiis, quas in suum opus, nominibus quamvis celatis, frequentius transtulisse ait Aetium supra notatum. Sequitur Commentariolus de Aretæi dialecto, quem Cl. Maittaire, rogatus a Celeb. Freind, composuit, in quo scite observat, Aretæum Jonice quidem scripsisse potissimum; Dorisium tamen at- **XXXII.**  
 que

que Æolisimum cum magno ubique Homerum imitandi studio frequentius admiscuisse. Idem Cl. Vir isti Commentario comitem esse voluit Indicem Græcum in Aretæum locupletissimum & accuratissimum, in quo, ceu ipse monet, in præfatiuncula ad Cl. *Wigan*, indici illi præmissa, annotantur pleræque voces raræ & insigniores, loquendique formulæ, Aretæo vel propriæ, vel cum aliis, Hippocrate præsertim, Homero & Herodoto communes, vocabula quoque a Constantino & Henr. Stephano in suis magnis Lexicis Græcis vel prætermissa, vel ἀμείβουσα, occurrunt, diversimode indicantur, præterea de quibusdam Aretæi locis, quorum lectio suspecta, item de stilo ejusdem peculiari syntaxique nonnihil adjectum legitur. Additæ quoque sunt huic Lexico ab eodem Cl. Viro binæ appendices, una de vocabulis medicis in Aretæo obviis, altera de variantibus lectionibus ex quinque MSS. Codd. Bibl. Reg. Paris. ad marginem Aretæi Turnebiani ad Cl. Freind transmissi adscriptis, quas vero aut nullius, aut perquam exigui esse momenti, & maximam saltim partem ineruditorum scribarum errata esse, candide fatetur Cl. Maittaire in præfatiuncula appendici præfixa: plurimum interim literarum Græcarum studiosi debent pertinaci illius industriæ in his omnibus perficiendis. Ad calcem denique universi operis, ad quarundam Stephani atque Wechelii Editionum Græco-Latinarum exemplum, rejecta est nova versio Latina magno studio & cura a Cl. *Wig.* elaborata, quum ipsi antiqua illa Junii Pauli Crassi anxie plerumque ad Textum Græcum efformata atque hinc intellectu passim difficilis in plurimis displiceret. In qua pari propemodum felicitate venustum latini Hippocratis, ut Celsus vocatur, stilum expressit Cl. Autor; ac ipse Aretæus Græci Hippocratis teres atque rotundum scribendi genus in suum opus transtulit. Fatendum tamen est, absolutissimam ceteroquin hanc Aretæi editionem lectoribus longe commodiorem & gratiorem fore, si elegans hæc versio textui suo e regione responderet. Paucissimi enim Græce adeo sunt periti, ut Autorem imprimis tam arduum, βραχυλόγον, & peculiari prorsus ac a communi multum recedente scribendi modo utentem, qualem Aretæum præsertim esse constat, sine versione legere & intelligere possint. Molestus vero & inamœnus labor est,



est, semper ad versionem in fine operis collocatam recurrere, ubi locus dubius & obscurus remoram injicit, idque ideo magis, quod paginas illius paginis Textus Græci minime respondere animadverterimus.

DANIELIS WILHELMI TRILLERI, M.D.  
*Conjecturae & Emendationes in Aretæum.*

Quum nuper nitidissimam Aretæi Editionem Oxoniensem paullo attentius perlustrarem, quædam mihi in aliquot loca dubia, obscura & desperata subnatæ sunt inter legendum conjecturæ, quas hic cum Lectoribus harum rerum cupidis communicare placet. Nec mihi succenserebit, spero, Cl. *Wigan*, modeste ab ipso nonnunquam dissentienti. Sed quid plura? fiat ergo initium.

Legitur: ἐξήρανται γὰρ τὰ ἄλλα ἀτὰρ καὶ τὰ ἄλλα διψαλέα ὄργανα σόμα. σόμαχ. Quid hæc sibi velint, equidem prorsus ignoro, inquit Cl. *Wigan*. Putem ego legendum esse: ἐξήρανται γὰρ τῇ ἀλέα, estu enim exaruerunt. ἀλέα seu ἀλή, xillus, in hoc significatu aliquoties apud Aretæum occurrit, item apud Homerum atque Hippocratem legitur.

p. 5.

Ἐρυγαὶ κακῶδες, βρομῶδες, ὡς ἐξ ἀλὸς ὄρυγμῆ. Longe petita videtur Cl. *Wigan* hæc de halitu ex salinis, ut quidem vertit, Comparatio, mallet ergo, deleta voce ἀλὸς, legere ὄρυγεγμῆ, voce Hippocrati familiari. Forfan tamen & ita sanari posset locus: ὡς ἐξ ἀλὸς ἐρυγοὶ, quemadmodum sunt ructus a muria, aut, quemadmodum sunt ructus & vomendi conatus ex mari naufragantium. Certe res nota est. Vox ἀλὸς quoque utrumque significatum admittit.

36.

Ἐὶ δὲ ἐκτανύσαι βιάται, ὅπως ξύλα ἰκανὰ καταξέων, τὰ μέλεα βραχύτερα ἐωυτέων γίνεται. Insigne mendum his verbis inesse credit Cl. *Wigan*, nec injuria. Videtur tamen hoc modo illud posse tolli: ὅπως ξύλα ἰκανὰ καταδέων, h. e. si quis idonea ligna, i. e. assulas ad extendenda & firmanda membra luxata aut fracta Chirurgis consuetas (νάρθηκας vocat Hippocr. de officin. Med. & ferulas Celsus) subligaverit, aut κάτω δέων, infra ligaverit, aut denique κάλαξευγνῶν, adjunxerit. Sensus sane ita clarus fit atque perspicuus. Paulo ante legitur μέλεα κοῖλος, membra cava,

40.

ubi maliam κυλά, κυρτα, sequitur enim: ἐς μῆκος ἀποτίνεται; forsitan tamen & illud sciendum. Nihil definitio.

P. 42.

Ἐιναιεν αὐτῶν (ἐνύχων) ἐσι πίνθη, ὡς περ καὶ τὰ σερραά. Mendosa hæc esse recte opinatur Cl. W. forsitan sic legendum fuerit: ὡς περ κέρατα σερραῶν, *dolor unguium veluti cornua rigidorum*. Sensus quidem haud ineptus.

43.

Κῆν μὲν εἰσω ῥέπη τὸ πύον, αἱ πλευραὶ τὰ ἴσια κατὰ χώρην τὴν σφῶν αὐτέων φθίσιν ἔλεξα πρόθεν ἐτέραν ἔμμεται, συμβαῖναι κατὰ φύσιν. Hæc, prout jacent, nemo intelligit, ut ipse cand. de quoque f. filius est Cl. Wigan. Hoc tamen modo sensus aliquis depravato huic loco reddi posse videtur: κῆν μὲν εἰσω ῥέπη, αἱ πλευραὶ τὰ ἴσια (κατὰ χώρην τὴν σφῶν αὐτέων φθίσιν ἔλεξα πρόθεν ἐτέραν ἔμμεται) συμβαίνουσι κατὰ φύσιν, h. e. *si interiora versus vergat abscessus, costarum ossa juxta quarum regionem phthisin illam alteram fore supra pronunciaui,*) *conjuncta manent secundum naturam suam*. Certe sentium huic intendisse Aræum, colligitur ex sequentibus: ἦν δὲ ἐξω ῥέπη, διῆσαι τὰ ἴσια, & mox: εὔτε εἶδα καὶ εἶδα ἢ πλευραὶ παρωθεύεται. Συμβαίνουσι vero hic significat *coalescunt, consentiunt*, item & *contingunt*, quomodo verbum συμβαίνειν uluipari notum est.

47.

Γέροντες ἀπόφρικτοι ἀλέντες, ὅσον βραχείης ῥεπῆς ἐς εὐνήν θανάτου χρεῖθη. Hæc sana esse nequeunt, inquit Cl. Wigan; mihi secus videtur. Interpungendus & vertendus locus: ἀπόφρικτοι ἀλέντες ὅσον βραχείης ῥεπῆς ἐς εὐνήν θανάτου. χρεῖθη: *senes quum semel horrore correpti fuerint, tunc levi saltim momento ad mortis quietem opus est*. Sensus planissimus. Citius extinguuntur senes exsuccii, ac alii vegeti & succi pleni.

49.

Ἄπορον μὲν εἰ γίγνεται τὸν ὄγκον τε τὸν σκληρὸν ἴζον ἐς σκίρρον ἰδρύεσθαι. Vitiata hæc esse putat Cl. Editor: mihi vero facile sanari posse locus videtur, legendo saltim ἴζοιτα, & vertendo: *vulnum quidem suboritur dubium, tumorem durum subsidentem in Scirrhum demum confirmari*, quod & jam in sua versione suboluisse Crassum mouet Cl. Maittaireius, qui ipse mallet τὸ τε σκληρὸν, ut concordet nempe melius cum τῷ ἴζον, quod tamen non necesse. Imo & ἴζον cum τῷ ὄγκον jungi potest πρὸς τὸ

τὸ σημαζόμενον, aut per ἀνακόλουθον figuram. Ut βρέφους φέρονται apud Anacr. od. III. Καρπὸς αἶ apud Lucian. in Amor. λέγειν, apud Ælian. V. H. XII, 60; plura collegere Grot. ad Luc. XXII, Cleric. Art. Crit. P. II S. I C. 10, Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 725, Voss. ad Catull. p. 296, imprimis vero Jensus in Lect. Lucim. L. II c. 4 & J. F. Gronov. ad Senec. L. IV de Benef. c. 32 p. 175.

Εὔτε τῶν παρόντων ἕκαστον ὡς τὸ μηδὲν ἐκ ἐπιστρέφειν. Ηπερ se non intelligere jure conqueritur Cl. Wigan. Sed ita fortasse verba sint constituenda: εἰ δὲ τῶν παρ. ἕκαστ. ὡς τὸ μηδὲν ἐκ ἐπιστρέφει, h. e. si vero horum quid, quæ antea in usu fuerant, seu penitus sublatum non revertitur, sensu loco accommodatissimo. Τὸ μηδὲν εἶναι Græci dicant de re plane sublata, inde οἱ μηδὲν ὄντες illis eleganter dicuntur mortui.

p. 54.

Στρέφοι βαρέες ἀνέλκιστοι, τὸ γὰρ ἐλικσεῖδες ἔντερον, ἀνέλκιστοι, tortuosi, legit Cl. Wigan ab ἀνελίσσω, quod tamen & alibi & apud ipsum Arctæum εὐολο significat, unde ἀέλκιστον, non tortuosum. Crassius hic legisse videtur ἀνελκίπτει, vertit enim tormina perseverantia, ab ἀνελκίπτω; verum hanc vocem in Thesaur. Stephani sine autoritate legi bene monet Cl. Maittaire, nec sensum quidquam hic juvat: ratio enim additur, cur involuta sint & tortuosa tormina, τὸ γὰρ ἐλικσεῖδες τὸ ἔντερον, ἵψιον ἐντὶν ἰντεστίνον, in quo scilicet morantur & luctantur, est tortuosum. Mihi vix dubium est, quin legendum hic sit: σρέφοι ἀνακύλιστα, ab ἀνακύλιω, tormina involuta, tortuosa.

61.

Ἄϊοθητι τῆ λίθου ἐδ:ιπορέοντ ζυνῶ ἑμ:βιαίω. Cl. Editor haud dubitat, quin Arctæus scripserit: ζυνπώω βιαίω. Concinna sane lectio; forsitan tamen & scripserit: ζένω ἑμω βιαίη, hoc sensu: violenta est sensatio calculi insolita via iter facientis, sive a calculo iter faciente. Οἶμ autem vox est poetica, Homericæ imprimis, quales crebro Nostro placuisse ex omnibus fere paginis constat; accedit, ipsum Hippocratem eadem usum fuisse.

ibid.

Καυκαλωσαι τὴν ὑστέρη, de feminis loquitur Autor ex uteri prolapsu laborantibus. Vertit Cl. Wigan: quasi a caule germinantem utrum, quasi vox sit a καυλός, quum potius secundum analo-

73.

analogiam derivanda esset a *Καυκαλίς*, herbæ notæ specie. In Notis vero procul dubio legendum esse censet *Κυρκαϊῶσαι*, *uterum inversum habentes*, ex Hippocrate, Hesychio & Suida. Optime quidem ad sensum loci; paullo vero remotius a veteri scriptura. Malim igitur simplicissime: *αἰαχαλῶσαι τὴν ἰσέρην*, *uterum relaxatum habentes*.

- p. 75. Καὶ γὰρ ὅσι τῶν εὐβδελικτέων ἡδονῆ. Locum insigniter corruptum pronunciat Cl. *Wigan*; nihil tamen tenet. Cl. *Maittaire* legere mavult *ἐκατέρων*, proxime quidem ad sensum; remotissime vero a priscis literarum εὐβδελικτέων vestigiis, ut ipse fatetur. Tentabo interim: καὶ γὰρ ὅσι τοῖτο εὐμείλικτⓈ ἡδονῆ, *tale enim* (frigus nempe aut calor,) *ipsis*, arthriticis, *suavisissima est voluptas*; sive sic: καὶ γὰρ ὅσι τέτων ἐν αἰβδελικτέων, ὅσι δὲ μὴ, *et enim horum unum quibusdam gratum est, quibusdam vero non*. Et hoc alteri præfero.
78. Ἐφροδισίαν αἰμῶν καὶ ἀπέπτων ἢ ἀναδόσις. Priorem vocem in σιτίων mutandam censet Cl. *Wigan*, optime. Malim vero: ἀπὸ σιτίων, quod melius adhuc repræsentat veterem scripturam αἰφροδισίων.
103. Διὰ εἰδῶν κέγγρε. διὰ ἀλῶν, acute legit Cl. *W*. sed legi quoque haud inepte posset: διὰ κριθῶν, κέγγρε, *per hordea, milium*, vel: διὰ κριθῶν καγγρίⓈ, *per farinam tostam hordeaceam*.
108. Τῇ ᾧ πλέονι πρὸς τοῖς δακτύλοις, καὶ μὴ ἐπ' ἀγκῶνι, τάμνοι τις αὐτέην. Haud recte hæc se habere manifestum est, inquit Cl. Editor. Facilis vero est emendatio: τί ᾧ πλέον κ. λ. *quid igitur prope digitos magis, ἔ non in cubito, eam venam incidit?*
112. Ἐἰς δὲ τις ἀριθμὸς ἐπίκαιρⓈ. Totam sententiam depravatam credit Cl. *W*. facili vero negotio eam restitui posse crediderim legendo: Ἐἰς δὲ τις ῥυθμὸς ἐπίκαιρⓈ, *si vero unica figura, unica dispositio, unicum indicium fuerit periculofum*. ῥυθμὸς enim idem est ac θέσις, διάταξις, ἡμίμα, τύπⓈ, ut exponit Eustath. ad Dionys. Perieget. Conf. Menag. ad Diog. Laert. L. IX Segm. 47 p. 414: sæpius vox ista occurrit apud Autorem Libelli de Anatome inter Hippocratea relati, ad quem plura notavimus in *Specimine Hippocratico*. Πτῆε-

Πτόρθων ευωδέων ηδονῆς ῥιπίσι. Pro ηδονῆς legendum suadet Cl. *VV. ηδέης, lenibus*. Facilior vero lectio: *εδαναίς ῥιπίσι, suauibus, voluptuanis stabellis*, voce Homerica Aretæo propria.

p. 14.

Ἐν ἥπατι τῶ αἵματι ἢ γέιναι, καὶ ἐς πᾶν ἔνθεν ἢ τῶ — — — ἀφεψῆ. Locus mutilus ex ingenio supplendus: Legi ergo sic posset: καὶ ἐς πᾶν σκῆν ἔνθεν ἢ τῶ αὐτῶ (αἵματι) ἀπόπεψις, ἔ in uniuersum corpus exinde illius distributio. Vel sic: καὶ ἐς πᾶν ἔντερον ἢ τῶ αὐτῶ ἀνάφρεψις, vel hoc modo: καὶ ἐς πᾶν ἔνθεν ἢ εὐπεψῆ, ut loquitur de Hepate Hippocrates: vel denique hunc in modum: καὶ ἐς πᾶν ἔνθεν ἢ τῶ σκῆεος ἐπεξῆ. Omnia hæc huc quadrare videntur, si subsequētia quidem contulantur.

113.

Χρῆ δὲ καὶ τοῖσι ἐπιθέτοισι διασκιδνάσαι τὰ ἐν τῷ ἥπατι σήθεα. Quid hoc significet, nescio. Crassus, *qua acervata sunt*, vertit. An *σαθέντα* vel *σηριχθέντα*? ita in Not. Cl. *Wigan*. Fortassis scripserit Aretæus *σαθέα*, ut dicitur *ἀσαθέα* & *εὐσαθέα*, quod ipsum apud Nostrum occurrit. Verum quia nullum mihi adhuc notatum exemplum, ubi simplex *σαθῆς* ita fuerit usurpatum, mitto hanc conjecturam. Magis vero verisimile est, scripsisse Aretæum *πλήθεα*, a *πλήθος*, quod nonnunquam idem esse solet ac *πληθώρα*, plenitudo, humorum ut & sanguinis redundantia atque infarctus. Ita enim Galenus *πλήθος* esse ait *πλεονεξίαν χυμῶν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι συνισαμένην, redundantem in toto corpore humorum consistentiam seu stagnationem*, vid. Foef. in Hipp. Oeconom. Haud ergo mihi amplius superest dubium, quin in Aretæo scribendum sit *πλήθεα*, imprimis quum *πλήθεα* & *σήθεα* vel apud ipsum Hippocratem aliquoties confundi inter se solere animadverterim.

ibid.

Τῆ ἐσχάτη καὶ δυνατωτάτη πάντων ἀγωγῆ. Mallet Cl. *Wigan* ἀρωγῆ, *auxilio*, voce Homerica & Nostrò hinc familiari, acutissime quidem; vix tamen videtur necessum. ἀγωγῆ hic est *eductio, euacuans*, ut sæpe apud Hippocr. & Galen. vocat ergo Aretæus Elleborum jure *ἐσχάτην καὶ δυνατωτάτην ἀγωγῆν, ultimum ἔ potentiissimum euacuans*.

130.

p. 133.

Εὐ καλὸν ἐν τέτοις τῶσιν, ἢ δὲ πεμμάτων εὐπεπτα καὶ ἀκνισσα καὶ κῆφα. Manifeste corrupta hæc reputat Cl. *Wigan*. Nos sic tentavimus locum desperatum: εὐχυλον ἐν τέτοις ἀνήσει, ἢ δὲ πεμμάτων κ. τ. λ. *præstat vero in his illud, quod bonum chylum generat, vel ex secundis mensis ea, quæ facile concoquuntur.* Commodior certe sensus huic loco reddi vix potest.

137.

De Melancholia: ἐγκοτῆ τε τῷ σκῆνεί ἐτέρων νοσημάτων τόκος. Hic ἐγκύες mavult Cl. *Wigan*, quia illam vocem nihil huic locum aptum significare invenit. Forſan tamen scripserit Aretæus: ἐγκοτῆ, a κοίτη, *cubile, coitus, feminis conceptio*, atque hic libertate poetica pro ἐγκύες usurpaverit.

Atque hæc fere sunt, quæ in Aretæo mihi emendanda & interpretanda visa sunt. Æquum nunc super his subitaneis mihi exposco iudicium cum a Cl. *Wigan*; tum ab aliis literarum Græcarum amatoribus.

**PETRI PETITI, MEDICI PARIS. IN TRES priores Aretæi Cappadocis Libros Commentarii nunc primum editi.**

Londini, impensis Jo. Pellet, 1726, 4 maj.

Plag. 22.

**Q**Uæ igitur in exquirendo hoc Petiti in Aretæum Commentario Cl. *Wigan* denegata fuit felicitas, obtigit demum Cl. Maittaire, non in hoc solum, sed & in univcrsum de Aretæo optime merito. Is quippe brevi post tempore, ex quo ipse Aretæus Oxoniæ splendide prodierat, egregium hoc Petiti opus ex schedis Grævianis, in quibus ab excessu sui Autoris, per quadraginta amplius annos delituerat, in lucem publicam protraxit, simulque laudabili opera paginarum numeros & linearum Indices ad novam istam Editionem ubique accommodavit, quum ipse Petitus ad paginas Edit. Turneb. qua usus fuerat, lectores ablegasset. Admodum vero est dolendum, quod eruditissimus hic Commentarius maximam sui partem mutilus sit & mancus, ad tres enim saltim Aretæi libros priores, neque hos integros, usque pertingit, quum tamen cum ex luculenta Petiti præfatione, tum ex Menagii testi-

monio

monio in Not. ad Diog. Laert. jam A. 1663 prolato, tuto colligere liceat, univcrsum hoc opus nomine Menagiano dedicatum jam tum fuisse absolutum. Magnam tamen interea gratiam ab eruditissimis inquit Cl. Editor, quod vel laceras has tabulas ex naufragio quasi servavit. Utinam vero parem inisset a piis manibus illustri sui conterranei Petri Petiti, de cujus vita & scriptis in limine operis commentari quidem voluit; sed adeo leviter & perfunctorie, ut nulla ipsius scripta laudaverit, præterquam Observationum miscellanearum & Poematum libros; quum tamen ipse Petitus longe plura eaque præstantissima ediderit, adeo ut ab uno homine, quantumvis septuagenario majore, eam enim ætatem attigerat Petitus, quum vivis excederet, tot exasciata ingenii monumenta absolvi potuisse credibile vix videatur. Illorum quidem tam editorum, quam ineditorum Catalogum libenter hic contextuissimus, nisi ferias nobis jam fecisset Cl. Claud. Nicassii Divionensis laudabilis industria in Epist. dedicatoria ad Celeber. J. G. Grævium, qua ipsi P. Petiti Dissertationem de Nepenthe Homeri obtulit, in qua non solum de vita & obitu, sed & de omnibus eruditissimis scriptis Petr. Petiti docte, diserte & accurate agitur; quam Epistolam proinde mirum est nesciisse Cl. Editorem, alias enim uberiores & succi pleniores Autoris sui vitam nobis haud dubie dedisset, simulque præter alia multa de scriptis Petiti ipsi plane incomperta, didicisset, Librum de *motu animalium spontaneo*, item alium de *Lacrymis* non pro *avendoreis* habendos, sed jam diu esse editos, illum quidem Paris. 1660, alterum vero ibidem anno sequenti 1661, quem suum errorem, quod ad Librum de animalium motu, ipsum demum revocasse ex Indice erratorum didicimus. Ipse Præf. fol. Petitus cum Cl. *Wigan* consentit, Aretzi ætatem ultra Neronis æ- XV. vum haud esse constituendam, ideo imprimis, quod in Theriacæ compositione carnis viperinæ ille meminert, quam Andromachum Neronis archiatrum isti demum admiscuisse autor est Galenus, item, quod curationes tardarum passionum accurate persequutus sit, quas ante Themisonem, qui Augusti tempore vixit & Corn. Celso æqualis fuisse creditur, neminem tradidisse commemorat Cæsar. Aurelianus. Diversus tamen in eo Noster est a Cl. *Wigan*, quando Aretzum Juliani Cæsaris principatu paullo superiorem

- riorem credit, quod Aetius Amiden. qui illius principis ætate vixit & Oribasio *συγγρον* fuit, Aretæi, ut antiquioris, autoritate aliquoties nitatur, quod & Paull. Ægineta fecit, ceteris interea scriptoribus, ne ipso quidem Photio in vasto Bibliothecæ opere excepto, alium de Aretæo silentibus. Iterum in eo ab ipso abijt Noster, quod Aretæum Secta dogmaticum fuisse statuat, quum tamen eum pneumaticum potius fuisse, post Cl. Dan. Clericum probaverit Cl. *Wigan*. De stilo vero Aretæi monet, eum, relicto aspero & hybrido dicendi Ca, padocum genere, ex quo ipsum Aretæi nomen, & non *ἀπὸ τῆς ἀρετῆς*, ut Goupylus quidem voluit, derivandum sit, ad venustatem Jonicam & concisum imprimis atque nervosum Hippocratis stilum fuisse feliciter efformatum. De Aretæi Editionibus idem fere Nostro est iudicium cum Cl. *Wigan*: laudat priamam Græcam Goupyli, nisi quod versione careat, sine qua Jonica a paucis intelligi possint; postremam vero Græco-Latinam Henischianam ceu fatuam & absurdam rejicit; improbat quoque Jun. Paulli Crassi versionem Latinam; commendat tamen alteram a filio ejus Celso ex Græca Goupyli editione expressam atque hinc priore longe emendatiorem, quamobrem eam propter paucos lapsus totam immutare, atque novam plane dare, ut animus quidem fuit, noluit, ne præposterae ambigionis reus videretur.
- XXIV. Tribus potissimum Codd. manu exaratis in conscribendo hoc suo Commentario se usum fuisse testatur, uno a Bibliothecæ Collegii Claromontani præfecto Cossardo ipsi concesso, duobus vero aliis ex Bibliotheca Menteliana petitis, a quorum altero sese alicubi insigniter adjutum fuisse fatetur. In ipso Commentariorum opere ita se ubique noster exhibet Petitus, quomodo decebat Medicum solide doctum & in re Critica probe versatum. Non enim solum in vocularum apicibus occupatus est & sterilem agrum arat; sed ubique res notatu dignas nec ubivis obvias interspergit, ex quibus paucas hic excerptisse juvabit. Sic de iis agit, qui aures ex arbitrio suo motitare potuerunt, exempla que Herculis apud Athen. sacerdotis cujusdam ap. Eustath. Mureti ap. Casaubon. aliorumque ap. Casp. Hofmann. allegat, additque ex Cruquio ad Horat. Epod. XV Flacci cognomen iis datum fuisse, qui flaccidas aures haberent. Curiosa quoque habet de turbidæ Nili aquæ percolatione, ut potui
- XVIII.
- XX.
- XXIII.
- Comment.  
p. 17.  
30. 31.



potui ea esse possit. Ex Goth. fr. Hegniti Itinerario Holland. memorabilem Historiam anatomicam refert de milite in corde faucio, qui ultra quindecim dies vitam sustentavit. Porro varia ex sacris æque ac profanis literis allegat exempla eorum, qui sub mortis articulo divinarunt. Mendacium prætera seu dolum bonum ad ægroti salutem directum Medicis concedit, Platonisque atque Galeni autoritate confirmat. De ipso suo patre, qui 85 annum attigit, narrat, quod ipsi usque ad mortem mens semper contiterit, tamque acere ingenium fuerit, ut, licet literis humanioribus non expositus, ingenii tamen bonitate id consequutus sit, ut de singulis rebus politicis & altiore indagine dignis multo melius judicaret iis, qui omne ævum in illa Philosophiæ parte triverant, adeo, ut hinc non doctus solum, sed & Philosophus haberetur. Miraculum etiam patientis Salvatoris magis extollit, dum dextram Malchi auriculam a Petro abscissam confestim redintegraret, quum alias per naturam dextra auricula sinistra longe difficiliter coalescere credatur ab Aristotele & Commentatore Aponensi, quorum loca ibi producit. Demum elegantem & doctam digressionem de fortuna Medici instituit, ut alia tacemus passim obvia. Non minus vero ingeniosæ sunt ipsius emendationes Criticæ, ex quibus aliquot scilicet hic delibemus. Pro Νυγμός verius substituit Μυγμός: pro αὐλοθεῖ concinnius legit ἀλιοθεν: pro ἀτμός ἀνά ῥήσας πολυς, feliciter emendat ἀτμός ἀνά ῥηόν πολυς, sensu perspicuo: pro ἐρέσει ἐν τῷ ἡέρι verius substituit ἐρέσει: pro πνεύμασι, quod delendum quidem censet Cl. Wigan, legendum acutissime jubet πιτυοκάμψησι, pro verbis Νέυει ὄκως πρέμνι, ingeniose legendum conjicit ὄκως πρέμνη: pro Φαρμάκων, opportune substituendum monet ἀΦορμῶν, initia morborum. Sed omnium Petiti consueturarum sequens nobis princeps videtur, ubi in Αρετῶ, loco, quo de syncope sermo, pro corruptis & nulli intellectis ἀκύφωι & κακῆ, felicissime legendum hariolatur: ἀκυφῶι & κακῆ, mali celerrime perimentis. Fatendum quidem est plerasque harum emendationum & hanc ipsam quoque postremam in mentem etiam venisse Cl. Wigan; nihil tamen vetat, quo minus inventionis gloria ad Petitem æque redundare possit ac ad illum, imprimis quum spatiosum temporis intervallum Nostrum ab omni

p. 51.

57.

73.

83.

92.

123.

9.

46.

56.

58.

69.

70.

119.

48. 49.

mani plagii suspitione plene absolvat. Ceterum huic Commentario adjectus est a Cl. Maittaire Index Autorum, rerum & verborum locupletissimus, in quo præter alia multa, non solum Jac. Goupyli Epistola Græca ad Oddon. Castillionium Cardinal. suæ editioni cum Octallico præfixa; sed & multæ Guilielmi Morelli & in Aretzum ipsum, & in versionem Junianam emendationes, ab Henischio omissæ, continentur.

**RAYMUNDI DUELLII, CANON. REGUL.**

*S. August. Lateran. Historia Ordinis Equitum Teutonicorum Hospitalis S. Mariæ V. Hierosolymitani.*

Viennæ Austriæ, apud Petr. Conr. Monath, 1727, fol.

Alph. 3 Tabb. æn. 7.

**I**Ntra biennium certasse videntur Germaniæ nostræ & Galliæ viri quidam eruditi de historia Ordinum equestrium Hierosolymitanorum consignanda atque illustranda. Prout enim Celeberr. Abbas *Vertotius* Equitum Hospitalium S. Joannis Baptistæ, qui deinceps Rhodiensium, tandem vero, & hodiernum Melitensium nomine inclaruerunt, res memoria dignas egregio nuper volumine persecutus est, ita Reverend. *Duellius*, Canonicus Regularis S. Augustini Lateranensis, studium industriamque suam collocavit in disquirendis rebus Equitum Hospitalium Teutonicorum, qui Mariani a tutrice sibi delecta S. Mariæ Virgine & Crucigeri ab insigni suo dicti sunt. Neque vero is integram Ordinis hujus historiam opere suo complexus est, sed ex bullis, diplomatibus, chartis, sigillis antiquis, tabulisque genealogicis tabularii potissimum Præfecturæ Austriacæ eam saltem adornavit, ita tamen ut parte prima Dissertationem Isagogicam seu compendium Historiæ Equestris Ordinis Teutonici præmiserit. In quo veritati historicæ tantam quantam par est operam daturus, *Petri Duisburgensis*, scriptoris Schurzfleischio quoque præbatissimi, *Annales Terræ Pruschiæ*, in eosque doctissimi *Hartknochii* notas exquisitas secutus est; neque tamen istas ita simpliciter, ut non interdum meliora docuerit. Sic enim statim ab initio Part. I Sectione I, qua origo, institutum, confirmatio & vestitus Equitum Teutonicorum de-

describuntur, Bullam quandam confirmatoriam Cœlestini III Pape, ab Hartknochio & Lunigio nostro publici juris factam, *videtur* arguit. Cumque in prioribus Ordinis temporibus prolixior, in posterioribus brevior esse instituerit, periodo temporis illi quæ ab A. 1190 ad annum usque 1498 fluxit, sectiones quatuor satis amplas, ei autem quæ inde ad nostra usque tempora extenditur, non nisi unam sectionem tribuit. In singulis res memoratu dignas attulit, quas autem malimus integras commendare legendas, quam carptim hoc loco delibare. Id vere de hoc etiam compendio historico accipi potest, quod seorsim de documentis chartaceis in fidei illius per partes operis sequentes evulgatis Autor affirmat, historiæ nimirum omni, mediæ præsertim ætatis, scientiæque genealogicæ lucem fœnerare haud exiguam. Ceterum id tacere non possumus, quod ipse Rev. Autor ad Amicum de Compendio hoc, quod primam operis Partem constituit, perscripsit, *optare se scilicet, illud ita legi, ut ad quodvis verbulum, maxime ea, quæ epitheta nominamus, Lector attendat; haud enim raro in iisdem animi ipsius sensum aut veritatis quidquam tale, quale explicite dicere haud licuerit, delitescere; adulatum se haud esse, etsi ad scribendum conductum.* Exhibet vero Pars II documenta antiqua sexaginta tria, quæ vel ad Ordinem Teutonicum universum spectant, vel certe ad Balliviam, quam dicunt, Austriacam nullo modo referuntur. Contra Parte III non nisi ea continentur monumenta diplomatica, ducenta quidem & undeviginti, quæ Præfecturæ huic propria sunt, quæque Autori colligere eo facilius fuit, dum ab Illustrissimo Comite Guidobaldo de Starenberg, cujus etiam nutu & auspicio librum suum edidit, ad perscrutandum locuples Præfecturæ equestris Viennensis tabularium fuit adhibitus. Præmittitur quoque hisce monumentis dissertatiuncula de origine Balliviæ Austriacæ, quam tamen certo exquirere non licuit, sed conjectura saltem assequi; catalogus item Præfectorum Ordinis provincialium, & Præfecturarum inferiorum, Equitumque Ordini in Austria adscriptorum, quorum quidem memoria superest. In Partem denique IV conjecta sunt nonaginta novem sigilla antiqua observata digniora in idem ex tabulario Præfecturæ Austriacæ figuris æri incisus satis eleganter & ac-

curate delineata; itemque viginti quatuor Tabulæ genealogicæ insigniorum quarundam familiarum equestrium, quæ ordine alphabetico disponuntur. Sed & appendix non prætereunda nobis est, quæ quippe totum hocce opus ornat selectis quibusdam apographis privilegiorum Ordini Teutonico ab Imperatoribus ac Pontificibus Romanis olim concessorum. Communicavit ea cum Autore nostro, pro singulari suo, quo rempublicam literariam identidem juvat, studio, Vir Doctiss. *Jo. Fridericus Schannat*, Historicus Fuldenfis celeberrimus; cui propterea Rev. Duellius noster gratias certe oportet habeat tanto majores, quanto plura rerum monumenta ad historiam & dignitatem Ordinis Teutonici spectantia absque illis privilegiorum literis libro ipsius decessissent.

Genealogische Adels - Historie etc.

h. e.

*VALENTINI KÖNIG, POT. REG. POL. ET EL. Sax. Inspectoris accisarum Kobrensis, Historia Genealogica Nobilium Familiarum, quæ in Saxoniam Electorali & vicinis provinciis tum olim floruerunt, tum adhuc florent; cum Præfatione D. JO. BURCHARDI MENCKENII, in Gerniz, Pot. Regi Pol. & El. Sax. a Consiliis Aulicis & Historia, Histor. P. P. & Societ. Britann. & Borussicæ Socii.*

*T o m u s I.*

Lipsiæ, sumptibus Wolfgangi Deer, 1727, fol.

Alph. 7 pl. 8 cum insignibus æri incisis.

**C**L. Autor cæptam a Patre cognomine, Pastore quondam Kobrensi, Historiam Nobilitatis Saxonicæ multorum annorum labore eo deduxit, ut, si monumentis paulo pluribus adjuvetur, integra quatuor & ultra Voluminibus vulgari possit. Prodit nunc primum, LX Nobilium familias complexum, in quo ita versatur, ut Sectione generali 1) de nomine, antiquitate & origine, 2) de insigni, quod initio cujusque capitis æri accurate incisum

sum exhibetur; 3) de feudis & prædiis cujusque agat; sectione vero speciali omnes in quavis familia cognitae personas nominet, illustriorum fata & res gestas notatu digniores commemoret, denique in Tabulis Genealogicis majores 32 e paterna maternaque hodie viventium stirpe representet. Nos nomina saltim dabimus familiarum illustrium, quæ hic recensentur; sunt vero: *Arnim, Berenstein, Benckendorff, Biesenroth, Brandenstein, Brande de Lindau, Carlowitz, Dacheröden, Dehn-Rothfelsler, Dieskau, Einsiedel, Ende, Feilitzsch, Friesen, Geusau, Grünrod, Haugwitz, Helldorff, Hopfgarten, Janus ab Eberstadt, Knochen, Könnertitz, Langelan, Löser, Lutichau, Nergenthal, Milckau, Müffling dict. Weis, Natzmar, Osterhausen, Peistel, Planitz, Plötzen, Poigk, Polentz, Pölnitz, Preussen, Reibold, Rockhausen, Sable, Sabrer de Sabr, Schauroth, Schellendorff, Schicken, Sommerlat, Stangen, Starschedel, Stein, Taupadel, Thümen, Thümmel, Thumsbirn, Troyff, Wambold de Umstadt, Weldewitz, Werder, Wilde, Witzleben, Wolframsdorff, Zehmen.* In Præfatione Celeb. *Menckenius* observat, hoc imprimis seculo studium familiarum nobilium, quod antea perpauci excoluerunt, magnopere florere, plurimamque, quæ huc pertinent atque exiguo annorum spatio in lucem prodierunt, scripta succincte recenset. Quibus addi utique meretur opus sequens.

Die löblichen Herrn, Herrn Stände des Erz-Herzogthum  
Oesterreich ob der Enns ꝛc.

h. e.

**JOHANNIS GEORGII ADAMI LIB. BARONIS** de HOHENECK, Domini in Schlüßelberg, Prunhof, Tratteneck, Gallspach, Reckberg, St. Panthal. & Steinbach, Status Provinciales Archi - Ducatus Austriae ultra Anisum, ut Prælati, Domini, Equites & Civitates, seu Genealogico-Historica Descriptio de horum origine, fundatione, propagatione, insignibus, clypeis, de monasteriis &c.

P

TOMUS I.

*Tomus I.*

Passavii, typis Gabrielis Mangold, 1727, fol.

Alph. 8 plag. 14 cum Insignibus æri incisis.

**O**pus compar priori sistimus, nisi quod paulo latius evagatur & præter familias illustres Austriæ ultra Anisum, etiam ejus Status reliquos, urbes scilicet, arces & monasteria, considerat. Imprimis vero huic operi pretium accedit ab Illustri Autore, qui ut inter amplissima munera, & curas æconomicas, labori & sumptibus minime pepercit, ita mire adjutus fuit instructissimo Archivo, a majoribus, ad tuenda Nobilitatis Austriacæ jura & res ejus conservandas admodum attentis, relicto. Facile etiam fidem eidem habemus, quando in Præfatione se scripsisse ait, ut Virum bonum decet (*als ein ehrlicher Mann*) procul invidia & amore: quare ne aliam præ alia familiam extollere videatur, secutus est fere ubique ordinem alphabeti. Et primo quidem insigne quam accuratissime describit, deinde Genealogiam ab eo tempore, quo confedere in hac Austriæ provincia cepere familiæ, explicat, ejusque varias stirpes investigat, & sedecim imprimis majores describit, non neglectis epitaphiorum inscriptionibus, postremo de Comitibus, seu ducibus & prædiis, quæ possident familiæ singulæ, luculenter agit. Nec suæ familiæ, e qua Rudolphus Habsburgicus Imp. dictus de Hohenegg ortus creditur, defuit, de qua a p. 345 ad 379 commentatus est. Ut vero illustriores tantum Principum vel Comitum familias hic memoratas nominemus, sunt illæ: *Auersperg, Bucellini, Cauriani, Dietrichstein, Geyersperg, Grundenmann, Gurland, Hamilton, Hardeck, Harrach, Közianner, Kueffstein, Lamberg, Liechtenstein, Hohen-Waldesk & Maxtrayn, Wartenburg.* Præmissa est operi Introductio, in qua de hujus Austriæ partis insigni, situ & proventu, arcibus & prædiis nobilium, de regimine & qua ratione provincia hæc pervenerit ad domum Austriacam, de Comitibus Libanorum & aliis hujus provinciæ Ministerialibus, de Statibus item provincialibus eorumque Comitibus, privilegiis & consuetudinibus agitur, & nonnullæ adduntur observationes de origine insignium, de sigillis e cera alba, viridi, nigra & rubra paratis, de mutatione nominum certarum familia-

rum,

rum, & imprimis de variis titulis, quibus tum olim tum hodie compellati sunt nobiles aliique viri illustres. Atque hic observat, titulum *Ehrbar*, honestus, & *Achtbar*, spectabilis, olim Principibus quoque & Comitibus concessum esse, & ex insigni diplomatum omnis ævi apparatu exempla eorum refert, qui *Werth*, *Ehrsam*, *Beschiden*, *Weiss*, *Edl*, *Vest*, *Gestreng* &c. dicti sunt, de fœminis quoque Comitum & Nobilium nonnulla addens, quibus titulum *Gemabl* demum circa A. 1460 indultum fuisse notat, cum ipsæ Principes antea elogium *ebeliche Wirthin* non alpernatæ sint.

FIRMA BURGI, OR AN HISTORICAL ESSAY  
concerning the Cities, Towns and Buroughs of England.

h. e.

SPECIMEN HISTORICUM CONCERNENS  
*Civitates, Urbes & Burgos Angliæ, ex Actis publicis depromptum, Autore THOMA MADOX, Equ. Historiographo Regio.*

Londini, apud Robertum Gosling, 1726, fol.

Alph. 3 pl. 20.

NON ignotum inter Historicos Angliæ Cl. *Madoxii* nomen, cui præter alia, *Formulare Anglicanum*, quod jam tum A. 1702, & *Historiam Scaccariæ* (of the Exchequer) quæ nuper prodit, debemus. Uti vero in illis id egit, ut usum imprimis diplomatum, quorum ipsi copia insignis suppetit, ostendat, parum curans, quid ab aliis scriptoribus dictum sit, ita hic quoque liber, quamvis dissertationibus quibusdam connectatur, totus tamen diplomatibus illustratus est, quæ unum Jus regium in urbes Angliæ concernunt. Cave enim putes, hic antiquitates aut alia explicari, quæ ad descriptiones urbium pertinent; id potius Autori propositum, ut probet, civitates Angliæ tam corporatas quam incorporatas a Rege teneri Firma feudi seu Burgi, quam vocant, ita ut onera ferre ac debita solvere tum communitates tum certi eives ex veteri jure, tot exemplis confirmato, adhuc obligentur. Quamvis nondum tamen hic absolvit omnia; multa quippe suppleturus in altero, quod pollicetur, opere, sub rubro: *Feudal History and Customier*.

*nicer of England* prodituro. Nos, quorum parum interest, de arguimento libri plura cognoscere, nihil addimus, nisi quod observamus, Autorem, ubi compendia literarum occurrunt in diplomatibus, ea supplere ex ingenio, lacunis tamen parenthesi inclusis, ex gr. in *Elem(osyna) noviter const(ituta)* & reliqua. Quod ad ornatum, nihil omnissum est, quo se liber subscriptoribus commendaret.

THE LITERAL ACCOMPLISHMENT OF  
Scripture-Prophecies.

h. e.

TRACTATUS DE PROPHETIIS SCRIPTURÆ S. ad literam impletis, quo cumulate respondetur Discursui non neminis, de fundamentis et rationibus religionis Christianæ; Autore **GUILIELMO WHISTONO, M.A.** Mathematicum in Universitate Cantabrigiensi quondam Professore.

Londini, apud J. Senex & W. Taylor, 1724, 8 maj.  
Plag. 12.

**C**L. *Whistonus*, postquam semel bellum indixit sensui allegorico & typico Prophetiarum Scripturæ S. omnes in hoc nervos ingenii, quo gaudet, fertilissimi intendit, ut per inductionem probet, singulas Prophetias tam Veteris quam Novi Instrumenti de unico tantum objecto futuro *dire:Te* pronuntiatas & ad *literam* suo tempore impletas, vel adhuc implendas esse. Cum autem sacri codicis textus, quo hodie Ecclesia nostra utitur, e diametro sæpius obstat Viri Cl. conatui, ne quid inde sententia sua detrimenti capiat, hunc textum mutilum, mancum, perplexum, corruptum, ab impiis Judæis & Masorethis adulteratum, ab Hieronymo autem ex ignorantia, loco genuini illius & perfecti, quem LXX interpretes, quem Christus & Apostoli, quem doctores Christiani Seculi I, *Whistono* agente, præ oculis habuerunt, sed qui nullibi nunc, nisi in restauratoris ingenio, exstat, in Ecclesiam inductum esse, satis pro imperio statuit.

Hiscæ præsuppositis, pag. 1 seq. prædictiones V. T. de Messia confert cum locis a quatuor Evangelistis & in Actis Apostolorum  
cita-



citatis, inque Jesum Nazarenum applicatis, ut ostendat, omnes has prædictiones *ἔνδοξ* impletas esse. Sed observat p. 19 horum textuum quosdam in vulgatis exemplaribus V. T. nunc plane deesse, e. g. *Matth. II, 15*, (loco *Hosæ XI, 1*, a Judæis, si Diis placet, corrupto) *Matth. II, 23*, *Matth. XIII, 34*, *Luc. XI, 49, 50, 51*, *Job. VII, 38, 39*; quosdam, licet in exemplaribus hodiernis adhuc existant, ex aliis tamen plane libris, quam ubi nunc conspiciuntur, esse defunctos, e. g. *Matth. XXVII, 9*, quem textum in codicibus Seculi I inter vaticinia Jeremiæ lectum, nunc mutilatum &, sine connectione, libro Zachariæ insertum esse, *Whistonus* nos docet: alios denique in Pentateucho Samaritano, vel Psalterio Romano integros inveniri, cum in nostris codicibus non nisi truncati, si fides penes Autorem est, reperiantur.

Pag. 27 seq. vaticinia ex *Danielis cap. XI*, cum literali eorum impletione, a tempore Cyri Persarum Regis ad hunc usque diem, proponit, & quidem v. 1 & 2 tres illi Reges, dicente Autore nostro, sunt *Cambyſis*, *Smerdis* & *Darius Histaspis*, quartus autem *Xerxes*. Versiculus 3 de *Alexandro M.* 4 de *Ptolemao Lagi*, *Philippo* sive *Aridæo*, *Seleuco Nicator* & *Antigono*, 6 de *Laodice* & *Berenice*, uxoribus Antiochi, 7 seq. de *Ptolemao Evergete*, 10 de *Seleuco Cerauno* & *Antiocho M. II* de *Ptolemao Philopatris directe* & ad literam vaticinantur; atque sic pergit Noster usque ad v. 44, quem exacte impletum esse ait, per nuperum bellum *Turcicum* & expeditionem *Imperatoris Russici Petri I* in *Persia*; quæ expeditio, *Whiston*o iudice, permagni refert, tum *Judeorum*, tum *Christianorum*, tum totius generis *humani*. Sed hæc exitus probabit: reliqua autem, quæ hoc & sequenti capite Danielis prædicuntur, adhuc futura esse Autor noster pronuntiat.

Pag. 76 & 77 *Prodromi* futuræ destructionis Antichristi, restitutionis Christianismi primitivi, & reditus Judæorum in Palestinam exhibentur, quos inter, præter institutionem *Orphanotrophii Glauchensis* prope *Halami* in *Saxonia*, Canonem quoque *Ptolemai*, *Pentateuchum Samaritanum*, *Historiam Aristæ* de LXXII Interpretibus, *Oracula Sibyllarum*, *Constitutiones Apostolicas*, *Epistolas Clementis Romani*, *Barnabæ*, *Ignatii* & *Polycarpi*, aliosque hujus generis libros, non ita pridem detectos, vel contra status

quæstionem a se assertos, Autor noster numerat; tum pag. 78 seq. *prædictiones*, quas vocat *preparatorias*, de Antichristi destructione, nec non restauratione Christianismi primævi & nationis Judaicæ in ultimis mundi temporibus, non tantum ex Scriptura S. sed ex foliis quoque *Sibyllarum*, & *Constitutionibus Apostolicis* & libro *Tobiæ* depromit, easque partim ad *litteram* jam impletas esse, partim adhuc implendas, more suo, demonstrat. Auclarii loco *correctiones & additiones* varias subnectit, cum ad Sermones ex legato *Boyllii*, de impletione Prophetiarum scripturæ, tum ad Exercitationem suam in *Apocalypsin* S. Johannis pertinentes. Adjicit quoque *Appendicem* vel potius dissertationem eruditam, qua *Aristææ* historiam de versione Pentateuchi per LXXII Interpretes sub auspiciis *Ptolemæi Philadelphi* & *Demetrii Phalerci* genuinam esse, magno argumentorum cumulo probare annititur, & objectiones *Josephi Scaligeri*, nec non *Humphredi Hodii* atque *Antonii van Dalei*, quorum Dissertationes contra Historiam *Aristææ* in his Actis recensuimus A. 1686 p. 265 & A. 1703 p. 81, peringeniose diluit. Hanc appendicem sequitur Propositio: de submittendis prelo subscriptionis lege *Documentis authenticis*, Judaicam pariter ac Christianam religionem concernentibus, qualia sunt Nostro, *Pentateuchus Samaritanus*, *Psalterium Romanum*, *liber tertius Maccabæorum* & hujus farinae alia. Agmen denique claudit enumeratio triginta & quod excurrit *assertionum*, quæ Autori nostro in *discursu de Fundamentis & rationibus religionis Christianæ* displicent, quas unquam probari posse negat, & quibus brevius, sed nervosius, respondet. Speciminis gratia assertionem 14 cum responsione *Whistoniana* hic subjiciemus.

Assert. Narratio, quæ de S. Johanne circumfertur, quod scilicet in caldarium fervente oleo repletum coniectus & percoctus, illesus evaserit, falsa est.

Resp. "Atqui testem habemus locupletem *Tertullianum de Præscript. C. XXXVI*, Virum doctissimum atque honestissimum, qui ab illo tempore propius abluit, ut adeo rei veritatem satis cognitam habere potuerit. Neque isthæc narratio magis incredibilis est, quam quæ *Actor. XVIII, seq.* narrantur de Paulo, viperam impune contrectante. Respondet autem exacte  
"pro-

promissis Apostolis a Christo datis, *Marc. XVI, 18*, & verbis Salvatoris *Job. XXI, 21, 22*, quibus Johannem non moriturum mar-tyrem subiudicat: sed novi objectionem Autoris, magnam illam & solam objectionem: *omnia miracula sunt absolute incredibilia.*

Hoc specimen eo lubentius protulimus, quod eadem controversia inter Viros Rev. *Moshemium & Heumannum* nuper fuit agitata. Vid. *Biblioth. Bremens.* Class. IV fasc. I num. III, ibid. fasc. V num. VI, Class. V fasc. III num. XI & *Heumanni Poccile*, Tom. I Lib. I p. 47.

A SUPPLEMENT TO THE LITERAL  
Accomplishment &c.

h. c.

SUPPLEMENTUM TRACTATUS DE PRO-  
phetiis Scripturæ S. ad literam impletis; Autore  
GUILIELMO WHISTONO.

Londini, apud Senex, W. & J. Innys, & rel. 1725, 8 maj.

Plag. 9¼.

Sicuti, teste Galeno contra Julianum, εὐδὲν ἐστὶν ἀπεραντολογώ-  
στειρον αἰ. θρώπε; ita Cl. *Whistonus* in tractatu, quem modo  
recentissimus, *de Prophetiis S. S. ad literam impletis*, se nondum  
omnem rem peregrisse ratus, *Supplementum* hoc superaddere sta-  
tuit, opere principali vix aliquot plagularum numero inferius.  
Thefin autem suam de literalis impletione Prophetiarum hac vice  
contra *Clericum & Chandlerum*, a pag. 1 ad p. 41, quantum potest,  
fortissime tuetur, omnem culpam excogitatæ *interpretationis*  
*duplicis*, seu sensus typici & allegorici, cum in *Judeos*, genuini  
textus S. S. corruptores, tum maxime in *Hieronimum* conferens,  
utpote qui codicem *κιβδηλόν*, a Judæis sui temporis acceptum, in  
linguam Latinam transtulerit. Quam versionem Hieronymia-  
nam cum Ecclesia Romana non tantum versioni septuagintavirali  
prætulit, sed ipsum quoque textum Hebraicum modernum am-  
plexa, eundem in Ecclesias Protestantium, sine ulla oppositione,  
deri-

derivaverit, infelix Hieronymus, statuente Autore nostro, præcipuus *Antichristianismi* choragus & introductor existimandus est. Neque minus male audit *Grotius*, qui in commentario suo ad *Matth. I, 22* doctrinam *de duplici sensu Prophetiarum* primus in formam quasi artis redegisse arguitur. Hæc observationes & responsiones ad supposita & asserta Chandleri & Clerici insequuntur quatuor Dissertationes, quarum I *de triplici prædictione Isaiæ, ad Achazum, ad domum Davidis, & ad populum Judaicum in capitibus hujus Prophetæ VII, IX & IX expressa*, nihil valde notatu dignum continet, nisi quod Autor verba Prophetica, in nostris exemplaribus, ut autumat, luxata ac nativa sede mota, in ordinem redigere ausus, integra commata, immo vero integros locos, ex Capite VII in Caput IX, ex Capite IX in Caput VII, pro lubitu transmigrare jubet, ut tres istas prædictiones a se invicem separet, vel potius confereat. Dissertatio II agit *de septuaginta hebdomadibus Danielis*, ubi Noster varia *lemmata*, seu *propositiones præparatorias* præmittit, quas omnes recensere longum foret, sequentes autem, pro specimine, sufficient: *Judæi post Sec. I religionis Christianæ substituerunt nobis librum imperfectum Ezræ in locum integri illius & genuini, quem nunc in Apocryphis habemus sub titulo libri primi Eudræ. Liber Nehemæ, quem nunc habemus, maxime differt ab authentico illo, quo usus est Josephus Sec. I. Liber Esther, quem a Judæis accepimus, longe differt ab exemplaribus τὸν LXX, nec non ab eo, quod Josephus sub manibus habuit, quæ exemplaria tamen satis inter se conveniunt.* Sufficient, inquam, hæc *lemmata* ad dijudicandum, quam firmo stent talo consecraria inde deducta in ipsa explicatione verborum Danielis; quæ explicatio hoc singulare habet, quod Autor noster, ut numerum 70 hebdomadum, vel annorum 490, compleat, *Dan. IX, 25*: septem hebdomades & dimidia, item sexaginta duæ hebdomades & dimidia, legendum, hancque lectionem genuinam, nostrum vero codicem etiam hic corruptum esse, confidenter, sed sine vade, asserit. Dissertatione III *oracula Sibyllarum cum Ecloga IV Virgilii* operose comparantur, & multis illustrantur observationibus. Utrumque enim opus Noster pro vera Prophetia habet. Dissertatio IV *execratio-*

nem *Caini & Lamechi* exponit, Indosque & Afros hodiernos eorum esse posteros, curiose demonstrat. Scilicet, postquam textum *Gen. IV, 9—15 & 23, 24* ex versione LXX Interpretum, Syriaca & vulgata Latina, nec non ex Targum Onkelos & Josepho, suis denique additionibus, ut solet, Autor adornavit, *signum* Caino a Domino impressum, *nigrum* totius corporis *colorem*, ipsum autem Cainum in *septima generatione* a Tubal-Caino, Lamechi filio, occisum fuisse, statuit; hanc eadem Lamechum deplorasse, & posteros suos *per septuaginta septem generationes*, i. e. explicante *Whistono, usque ad adventum Christi in carnem*, sub execratione futuros, prædixisse: hos autem posteros Afros & Indos esse affirmat, qui omnes aliquid ex colore progenitoris sui Caini participarint, & quorum species, in diluvio Indico & Americano (cujus historiam, quia in mundo plane diverso, & ad se non magis, quam globus lunaris pertinente scilicet, contigit, Mosen describere noluisse, *Whistonus* firmissime asseverat) vel in antris, vel in montibus, vel alio quovis modo servata fuerit; & quæ sunt reliqua Cl. Autoris hac de re commenta, quibus nebulas diverberare laborat. Annexa est huic dissertationi Appendicula, qua sententiam de literali Prophetiarum impletione adversus *Sykium* Autor defendit, quam autem, ne Sardos venales exponere videamur, fisco pede præterimus, majorem nos inuituros lectoris gratiam sperantes, si Catalogum omnium scriptorum, a Cl. *Whistono* hætenus editorum, quem ipse Autor opusculo huic, secundum ordinem Chronologicum, subtexere voluit, hic sistamus.

### CATALOGUS OMNIUM OPERUM WHISTONIANORUM.

1. **A** *new Theory of the Earth*, i. e. Nova Theoria Telluris a creatione mundi usque ad consummationem omnium rerum, magnis correctionibus & additionibus aucta, 8vo. Opus quarta nunc vice editum.
2. *The Chronology of the old Testament*, i. e. Chronologia veteris Testamenti, & Harmonia quatuor Evangelistarum, 4to.
3. *Euclidis Elementa*, juxta editionem Cl. Tacqueti, cum addi-

additamentis, 8vo. *Liber Latine scriptus, sed in Anglicam quoque linguam versus.*

4. *An Essay on the Revelation of St. John*, i. e. Exercitatio in Apocalypsi St. Johannis, cui annexæ sunt Dissertationes duæ, 4to. *Hæc ipsa exercitatio nunc demum valde correctæ & auctæ apparet in tractatu de Prophetiis S. S. ad literam impletis.*

5. Prælectiones Astronomicæ, Cantabrigiæ in Scholis publicis propositæ, 8. *Latine & Anglice.*

6. *The Accomplishment of Scripture Prophecies*, i. e. Impletio Prophetiarum Scripturæ S. octo sermonibus in memoriam Cl. Boylii comprehensa; cum Supplemento & Appendicula, vulgo Postscripto, 8. *Ist hæc exercitatio nunc auctior & emendatior in Tractatu Autoris de Prophetiis S. S. ad literam impletis reperitur.*

7. *Sermons and Essays*, i. e. Sermones & exercitationes diversæ, una cum Novatiano de Trinitate, 8.

8. Prælectiones Physico-Mathematicæ, five Philosophia Cl. Newtoni Mathematica, 8. Quibus accedent prælectiones de Eclipsibus antiquis, nunc primum imprimendæ. *Prælectiones istæ Anglice pariter ac Latine exstant.*

9. *Primitive Christianity reviv'd*, i. e. Christianismus primitivus reviviscens, opus in quinque volumina dispersitum, quo continentur 1) Præfatio historica, &c. item: Dissertatio in epistola Ignatii, una cum ipsis epistolis, Græce & Anglice, nec non Apologetico Eunomii. 2) Constitutiones sanctorum Apostolorum, Græce & Anglice, 3) Vindiciæ harum Constitutionum, 4) Enarratio Fidei primitivæ, cui adjectus est liber quartus Esdræ, ex Latina & Arabica in Anglicam linguam translatus. 5) Recognitiones Clementis Anglice redditæ, cum præfatione & duplici Appendice, &c. 8.

10. *Primitive Infant-Baptism reviv'd*, i. e. Baptismus Infantum primævus resuscitatus, cui annexum consilium de erigendis Scholis charitatis in Anglia & Wallia, 8.

11. Christianismus primitivus reviviscens, ex quinque voluminibus in unum contractus, 8. *Liber integer Anglice scriptus est.*

12. *A Scheme of the Solar System*, i. e. Schema Systematis solaris, cum orbitis 21 Cometarum, in latissimo chartæ Folio exhibitum.

13. *Dr. Mather's old Paths Reviv'd*, i. e. D. Mathesi semita vetus renovata, cum Præfatione Whistoni, 12mo.

14. *Reflections on a Discourse of Free-Thinking*, i. e. Animadversiones in discursum de libertate cogitandi. *Editio tertia*, 8.

15. *Three Essays*, i. e. Triga Conaminum 1) Concilium Nicenum ab Hæreli Athanasiana vindicatum. 2) Collectio veterum Monumentorum, ad hanc rem pertinentium. 3) Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ ad amussim primitivæ Ecclesiæ propius reducta.

16. *The Christians Rule of Faith*, i. e. Regula Fidei christianorum, sive Tabula vetustissimorum fidei symbolorum, *ari incisa*.

17. *An Argument concerning the dissenters Baptisms &c.* i. e. Argumentum, dissentientium Baptismos aliasque Ministraciones concernens, cum duplici Appendice, quarum altera est: Athanasius falsi convictus, altera adversus Hillium, 8.

18. *Course of Mechanical &c. experiments*, i. e. Cursus experimentorum Mechanicorum, Opticorum, Hydrostaticorum & Pneumaticorum, a Hauksbecjo & Whistono confectus, 4.

19. *A new Method &c.* i. e. Nova methodus detegendi longitudinem per signa monitoria (*signals*) autoribus Dittono & Whistono. *Editio altera*. 8.

20. *A Vindication of the Sibylline Oracles*, i. e. Vindicix oraculorum Sibyllinorum, ubi ipsa genuina oracula Anglice simul & Græce exhibentur. 8.

21. *My Defence &c.* i. e. Defensio Autoris, pro Curia delegatorum præparata, ejusdemque rationes adversus illius curiæ processum, &c. 8.

22. *An Account of the Eclipses &c.* i. e. Descriptio Eclipsos solaris A. 1715 & 1724 æri incisa. Nec non alterum schema Autoris pro A. 1715, item duo schemata Halleji, eandem Eclipsin describentia.

23. *The Copernicus*, i. e. Copernicus, seu descriptio instrumenti cujusdam Astronomici, cui hoc nomen ab autore inditum.

24. *St. Clemens and St. Irenæus's Vindication*, i. e. St. Clementis, & St. Irenæi defensio Constitutionum Apostolicarum, junctâ appendice ad Turnerum, & amplissimo Supplemento editionis posterioris. 8.

25. *Account of two Meteors*, i. e. Narratio de duobus Meteoris, visu admirabilibus, quorum alterum d. 6. M. Martii A. 1715, alterum d. 19 ejusdem Mensis A. 1718 in cælo apparuit. 8.

26. *An Address to the Princes of Europe*, i. e. Libellus supplicis ad Principes Europæ, pro Religione Christiana in suis territoriis admittenda, aut minimum toleranda. 8.

27. *Astronomical Principles of Religion*, i. e. Principia Astronomica Religionis naturalis ac revelatæ. 8.

28. *Scripture Politicks*, i. e. Politica Scripturæ S. five libera & a partium studio aliena Relatio originis & finium Regiminis cum Ecclesiastici, tum civilis, cui addita Fictio, seu novum schema imperii. 8.

29. *The primitive catechism*, i. e. Catechismus primitivus, in usum scholarum charitatis. 8.

30. *Two Letters*, i. e. Epistolæ binæ ad Episcopum Londinensem, modo defunctum, de usu novæque forma Doxologiæ. 8.

31. *Account of my Exclusion*, &c. i. e. Relatio de exclusione Autoris e Templo S. Andreæ, per Doctorem Sacheverelium, cui annexa Epistola ad Lydalium. 8.

32. *A commentary on the Three Epistles of St. John*, i. e. Commentarius in tres epistolas divi Johannis. 8.

33. *A Letter to the Earl of Nottingham*, i. e. Epistola Comiti de Nottingham inscripta, de æternitate Filii & Spiritus S. it. Republicæ ad responsionem prædicti Comitis, quibus jungitur proluxa appendix, qua continentur confessiones Athanasianæ, Scriptores Antenicenos Athanasianis fuisse contrarios. 8.

34. *The True Origin*, &c. i. e. Vera origo doctrinæ Sabellianæ & Athanasianæ de Trinitate. 8.

35. *The Longitude and Latitude found*, i. e. Longitudo & Latitudo inventa ope Acus inclinatoriæ (*Dipping Needle*.) 8.

36. *An Essay towards Restoring the true Text*, &c. i. e. Specimen restaurationis textus authentici veteris Testamenti, & de-



ensionis citationum ex isto in N. T. factarum, cum amplissima Appendice, in quatuor partes distributa, & Supplemento in Canticum Canticorum (*opus nostrum Palmarium* addit autor.) 8.

37. *A Chronological Table*, b. e. Tabula Hebraicarum, Punicarum, & Chaldaicarum Antiquitatum inter se comparatarum, ad appendicem præcedentis speciminis pertinens. 8.

38. *A Scheme of the Transits of Mercury*, &c. i. e. Schema Transitus Mercurii & Veneris per Solem, pro duobus seculis cum dimidio.

39. *A Scheme of the Solar Eclipse*, i. e. Schema Eclipsos solaris d. 12 Maji 1724.

40. *The literal Accomplishment*, &c. i. e. Tractatus de Prophetiis S. S. ad literam impletis, cum Supplemento, quod nunc typis exprimendum datur, D. Clerici & Episcopi Chandleri recensiones Prophetiarum Scripturæ examinans. 8.

41. *An Historical Review of all my Writings*, i. e. Revisio historica omnium scriptorum *Whistonianorum*, cum perpetuis ipsius autoris correctionibus & additamentis. Opus nondum publici juris factum: sed quod omnibus illis, qui integra *Whistoni* opera simul ement, pro auctuario dabitur. *Omnia hæc scripta in 23 Voluminibus, suis numeris distinctis, colligata, quinque aureis, quos Guineos vocant, vendantur.*

FRAGMENTUM EPISTOLÆ A CEL. D.  
CHRISTOPH. MATTHÆO PFAFFIO, Can-  
cellario Tubingensi & Abbate Laureacensi, ad doctis-  
simum quendam Virum perscriptæ.

DE litteris Leibnitianis ante hos fere duodecim annos ad me datis, quas in *Diss. Anti-Baliana III*, & in *schediasmate de morte naturali* allegavi, dubitari num existant, quod ad calcem *Institutionum Juris Ecclesiastici* non essent editæ, id quidem non minus miror, quam si quis causaretur, me *Orationem de silentio Theologico* in promotione Weismanniana habitam haud recitasse, quod nec illa ibidem cusa fuerit. Et memini sane in *Anthologia Coleriana* ejusmodi Scepticismum historicum abs me fuisse ob-

servatum. Sed salva res est. Orationem *de silentio Theologico* nunquam editurus eram, ne crabrones olim offensos irritarem amplius, atque ad maledicendum mihi viros iris adfectos provocarem denuo. Sed nec possum jam Orationem illam edere, si vellem quoque. Neque enim in scriniis meis illam amplius reperio, ita, ut haud absque fundamento conjiciam, fuisse unum ex illis, quæ Bibliotheca mea, uti nosti, patuit, qui, cum alia eaque majoris momenti manuscripta mihi surripuerit, & hoc quoque, quæ quidem egregia & tanto beneficio debita scilicet gratitudo est, suffragatus fuerit. Si vero & post hæc eandem repererim, me sane vivo & consentiente luci haud tradetur illa unquam, cum constitutum mihi sit, nullam rixosis hominibus in me invehendi, imo ne minimam quidem occasionem subministrare, maxime, cum & ipsius illius orationis argumentum hoc sit, præstare injurias silentio obvolvère, quam loqui. Quod vero *litteras illas Leibnitianas*, de quibus scribis, attinet, eas hanc ob causam publici nondum feci juris, quod Philosophis illis subtilissimis, qui novum illud philosophandi genus sectantur, in lite illa sua, cui impliciti sunt, nolo esse gravis, meque, qui olim ante motas has controversias *Dissertationes Anti-Leibnitianas* scripturus eram, pugnx istæ, & acerbæ quidem, immiscere, idque eo minus, quod adhuc antiqua illa animo meo sententia fedet, quam ad *Leibnitium* perscripsi olim, & quam ille, Vir sane judiciosissimus, pro ea, quam in literis ad me datis semper testatam fecit, animi sinceritate, prorsus approbavit. Rogaverat abs me Vir illustris, quid de *Theodicea* sentirem, methodoque illa, qua *Balium* refutasset? Scripsi, existimare me, quod animi saltem causa illud Philosophiæ confinxerit Systema, & quemadmodum *Clericus*, *Balium* refutaturus, Origenistam simulaverit, ita & ipse novam hanc philosophandi viam inierit ad refutandum *Balium*, quæ quidem, licet pulverem saltem oculis eorum, qui & altum alias haud vident, injiciat, tamen eo ingeniosior sit, quod, probe perspecta, & sententiam *Balii* crassio rem sub specie refutationis potius modo subtiliore, mysterio tamen non illic detegendo firmet, & diversis quoque dissidentium religionum systematis opinionibusque, alias vix defendendis, incrustandis, favorique adeo & Theologorum

gorum omnium fere partium, maxime nostratum aucupando, sit applicabilis; præoptare vero me, ut *Balii* tam periculosa sententia serio, solide & graviter refutetur. Quid quæso ad hæc respondit *Leibnitius*, quem credideram mihi ob ingenuam responsionem indignaturum? Ita autem ille in literis *Hannovera* A. 1716 d. 11 Maji ad me datis (do vero verba viri formalia, licet brevissima, reliqua enim epistolæ, quæ hoc negotium non tangunt, addere non convenit) *Ita prorsus est, Vir summe reverende, uti scribis de Theodicaa mea. Rem acu tetigisti. Et miror, neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc meum senserit. Neque enim philosophorum est, rem serio semper agere, qui in fingendis hypotheseibus, uti bene mones, ingenii sui vires experiuntur. Tu, qui Theologus es, in refutandis erroribus Theologum ages. Hæc Leibnitius*, hæc illa epistola verba, quæ nosse cupiunt Viri eruditi, & quæ ipsorum curiositati haud invideo. Recensui illa aliquando *Bulffingero* nostro, qui putabat, jam vero hæc ipsa *Leibnitium* seria mente haud scripsisse; quæ qui causari voluerit, is quidem per me suo sensu abundabit. Ego e contrario persuasissimus sum, certissimusque etiam, varia Religionis nostræ placita in *Theodicaa Leibnitium* defendisse, quæ risit alias & naso adunco suspendit: e. g. dogma de præsentia reali. Norunt mentem Viri aulici & Philosophi ipsiusque circa Religionem sententias, quibus Virum penitius nosse contigit. Sed de his quidem satis jam. Miror saltem, tot esse, qui hæc principia serio & tanto quidem cum conatu defendant. Rel.

TRAITE' DU FLUX ET REFLUX DE LA MER.

hoc est,

TRACTATUS DE FLUXU ET REFLUXU  
*Maris, in quo nova & simplici ratione natura, cause & singularia hujus phenomèni explicantur, & qui præmium obtinuit judicio Academiæ Burdegalensis d. 1 Maji 1720; Autore R. P. D. JACOBO ALEXANDRO, Benedictino Congregationis S. Mauri.*

Pari-

Parisiis, apud Babutæum, 1726, 12.

Plag. 8½ Tabb. æn. 7.

**I**Nter phænomena naturæ, quæ crucem Physicis figunt, merito refertur fluxus atque refluxus maris. Difficultatem argumenti Cl. Autor ipse exponit & nodum hunc soluturus ad hypothefin novam, sed valde paradoxam confugit, motum nempe Telluris circa Lunam. *Galileo* in eo assentitur, quod nullus foret fluxus atque refluxus maris, si terra immota quiesceret, quodque motus telluris sit æstus marini causa. Solum tamen motum vertiginis non sufficere arbitratur, eaque de causa eidem tribuit motum menstruum circa Lunam, ita tamen ut ea una cum Luna circa Solem spatio annuo deferatur: id quod perinde est ac in *Systemate Copernici* loca Telluris atque Lunæ invicem permutare. Per hanc hypothefin fluxum atque refluxum maris explicaturus, tanquam principia supponit 1) corpora, quæ libere moventur, diametrum minorem secundum lineam directionis motus disponere, ita ut major eandem ad angulos rectos secet. 2) Vorticem terræ atque Lunæ annuo spatio circa Solem revolvi. 3) Lunam esse in centro vorticis. 4) Terram circa Lunam revolvi intervallo 29½ dierum in orbita elliptica. 5) Eandem a Sole maximo intervallo elongari in noviluniis, minimo in pleniluniis, & 6) intra 24 horas motu vertiginis circumvolvi. Ex his principiis colligit, triplicem terræ competere motum. Primus nimirum est *motus vertiginis*, circa proprium axem; secundus *motus lunaris* circa Lunam menstruus; tertius denique *motus solaris* circa Solem annuus. Infert porro terram, dum circa Lunam revolvitur, diametrum minorem secundum lineam directionis motus disponere, & diametrum majorem eandem ad angulos rectos secare. Diametrum hanc majorem aquarum in duabus partibus oppositis elevatione augeri & anulum quasi formare ad Lunam tendentem. Dum Terra intra 24 horas circa axem rotatur, bis indies elevari aquas: unde æstus marinus ortum trahat. Easdem etiam aquas bis elevari propter motum annum circa Solem. In noviluniis & pleniluniis elevationes aquarum a motu lunari & solari terræ factas una contingere, ut hinc æstus fiat major. In quadraturis autem easdem minime concurrere, ut inde æstus evadat minor. *Æstum* quotidie in eadem

dem portu accidere, Luna ad Meridianum ejus appellente. Cum adeo idem cum motu Lunæ nonnisi ex accidente connectatur, Lunam perperam haberi pro causa fluxus maris, qui partium universi coordinatione oriatur & quotidie eadem hora lunari contingat. Tumorem aquarum, qui æstum causatur, ab oriente versus occidentem moveri secundum directionem zonæ torridæ, donec litora sese opponant, quæ directionem mutant. Et hinc specialia æstus in locis particularibus phænomena explicat. Prolixum nimis foret singulorum phænomenorum rationes, quas Autor reddit, in medium adducere; sufficiat nobis eas commemorasse, quibus hypothesein suam corroborare nititur. Primam rationem inde petit, quod per observationes Astronomorum Luna in noviluniis majore intervallo a Terra distat quam in pleniluniis. Vorticem enim, in cujus centro Luna, in peripheria vero Terra hæret, circa Solem revolvi & hinc in figuram ellipticam mutari, cujus major diameter per Solem & Lunam transit; quo facto Luna non amplius in medio diametri puncto subsistit, sed linea directionis motus vorticis circa Solem transiens per centrum Lunæ in partes inæquales eandem secat, ut, cum quadraturæ in eadem contingant, novilunia & plenilunia in diametro majore accidant, hæc quidem in Apogæo, ista in Perigæo. Quodsi Lunam ex centro in peripheriam evehas & Terram Lunæ locum occupare jubeas, invitis Astronomorum observationibus novilunia in distantia majore a Terra, plenilunia in minore fieri debent. Ratio altera desumitur ab inæqualitate motus lunaris, qui celerior circa plenilunia, quam circa novilunia deprehenditur, quemadmodum in hac hypothese fieri debet, ubi ea ellipseos pars, in qua novilunia contingunt, multo minor est altera, quæ pleniluniis inservit, linea quadraturarum diametrum majorem, quæ noviluniorum & pleniluniorum linea est, ellipsin in duas partes admodum inæquales dividente.

**LUDOVICI PHILIPPI THUMMIGII, PROF.**  
*Philos. Ordin. Regiæ Scientiarum Societ. Boruss. Sodalis,*  
*Meletemata varii & rarioris argumenti in unum*  
*Volumen collecta.*

Brunsvigæ & Lipsiæ, sumptibus Simonis Jac. Rengeri, 1727, 4.

Alph. 1 pl. 3 Tabb. æn. 1.

**C**ontinentur in hoc volumine Dissertationes Philosophicæ & Physico-Mathematicæ, quas Cl. Autor partim in Academia Halensî, partim in illustri Collegio Carolino Cassellis pro cathedra defendit & aliquoties sigillatim recusas nunc tandem in unum volumen collegit, ut desiderio curiosorum & doctrinam solidam deperientium satisfaceret. Propositum fuit Autori fecunditatem & utilitatem principiorum Philosophiæ *Wolfianæ* ostendere, dum iisdem in explicandis argumentis maxime specialibus usus, ut pateret, per ea ulterius continuo progredi licere. *Dissertatio prima* rarum naturæ phænomenon de arboribus ex folio educatis primum in Italia a *Mandivola*, deinde a generoso Da. de *Münchsbausen* & ab illustrissimo Comite de *Wratislau*, Cæsaris ad Comitum Imperialia Ratisbonam ablegato. Usi sunt foliis malorum citrinorum, tum imprimis limoniis ejus speciei, quam Itali *Limon a Rivo* vocant. Præter observationes Anatomicas, quas partim sibi, partim aliis Anatomicæ plantarum autoribus, *Malpighio*, *Grewio* & *Lecunvenbarkio* debet, imprimis Nostro subsidio suere, quæ Cel. *Wolfus* in Tentamine de vera multiplicationis frumenti causa (quod A. 1725 appendice ampla auctum recusum fuit, quo inventum Autoris experimentis majoribus passim cum successu factis confirmatur) dedit, sine quibus phænomeni hujus reconditi rationem sese nunquam daturum facile in præfatione confitetur. In *Dissert. 2* phænomenon singulare Solis cælo sereno pallefcens, a Cl. *Algwero* A. 1721 die 1 Junii Ulmæ observatum, ad rationes physicas revocat: quod idem in Gallia observatum, in Actis A. 1725 p. 108 retulimus. Cum hoc phænomeno ad eandem speciem refert varia portenta ab Historicis, *Plinio* lib. 2 c. 30, *Aurelio Victore* c. 78, *Paulo Diacono* in Hist. Misc. lib. 3 c. 7 & lib. 6 c. 41, *Livio* Dec. III lib. 2, *Georgio Cedreno* ad A. 137, *Tertulliano* ad *Scapulam* c. 3 §. 1, *Gemma Frisio* & *Cornelio* filio apud *Keplerum* in Paralipomenis ad *Vitellionem* p. 259, nec non *Hævelio* in Cometographia relata. Causam conjicit in vapores crassiores per superiorem aeris regionem dispersos. In *Dissert. 3* de propagatione luminis in systemate planetario ex theoremate, quod lumen  
Solis

Solis per Systema planetarium propagatum continuo decrefcatur in ratione duplicata reciproca distantiarum a centro Solis, & fup-  
 pofitis planetarum distantis refpectivis *Keplerianis*, ipfi *Newtono*  
 probatis, lumina planetarum in distantis mediocribus a Sole de-  
 terminat & *Wolffii* exemplo ad experimenta revocare docet. *Cur-  
 vam illuminationis*, quæ ad distantias a luminoso applicat lumi-  
 nis decremента, hyperboloidem cubicalem effe demonftrat. In  
*Differt. 4* fpecimen exhibet architecturæ civilis ad politicam ap-  
 plicatæ, Principis circa ædificia curam tum in genere, tum in fpe-  
 cie quoad firmitatem, utilitatem & venuftatem liftenf. Contendit  
 Noller, Reimp. architectos peritos & eruditos alere debere, mu-  
 neribus publicis præficiendos; fcholas & academias architecto-  
 nicas condendas; ædificandi licentiam legibus reftringendam;  
 ideas ædificiorum ab architectis eruditis examinandas; funtuum  
 in ædificando profufionem præcavendam; cives apibus abun-  
 dantes ad ædificia extruenda invitandos effe; & quomodo hifce  
 officiis fatisfacere poffit Princeps, pluribus docet. Specialis cura  
 ejufdem verfatur circa materiam & ejus ufum, circa fundamenta  
 ædium, muros, fornices, tecta, pergulas & podia, ædificiorum di-  
 ftributionem, fymmetriam & eurythmiam ædium, ordines & or-  
 natum, quatenus legibus obtineri datur, ut Architecturæ floreat  
 ufus, tollatur abufus. In *Differt. 5* immortalitatem animæ ex in-  
 tima ipfius natura demonftrare nititur. Notionem immortalita-  
 tis ampliat, ut non in fola indeftructibilitate acquiefcat; fed fimul  
 perfeverantiam in ftatu perceptionum diftinctarum & ftatuum  
 præteritorum memoriam requirat, & fic ampliatam habuiffe  
 Chriftum, ex fola narratione de divite epulone patere exiftimat.  
 Utitur hic potiffimum principiis *Wolffii*, ad cujus psychologiam  
 rationalem lectorem continuo ablegat. Etfi autem Systema har-  
 moniæ præftabilitæ *Leibnitianum* eo nomine commendat, quod  
 ipfius beneficio evidenter pateat, animam corpore pereunte pe-  
 rennare poffe; cum tamen *Wolffius* in Annotationibus metaphyfi-  
 cis oftenderit principia fua *Psychologiæ rationalis* falva effe, qua-  
 cunque in explicando commercio inter mentem & corpus hypo-  
 thefi utaris, & ipfe in Institutionibus Philofophiæ *Wolffianæ* om-  
 nem Psychologiam rationalem independentem a Systemate har-

moniz præstabilitæ tradiderit; ideo in præfatione negat, quod nonnullis visum fuerat, se harmonia præstabilita usum fuisse tanquam demonstrandi principio, atque adeo demonstrationem de immortalitate animæ ab illa hypothesi, quam suo loco ceteris omnibus præfert, pendulam essecisse. Controversia *Wolfiana* ansam ipsi dedit, ut in *Dissert. 6* genuinam & completam necessarii & contingentis notionem explicaret enucleatius. *Wolffium* nec in essendo, nec in existendo, nec in consecutione absolutam necessitatem tueri probat, quod plures mundos possibiles admittat, unius actum a libero Dei decreto derivet & leges motus mutabiles defendat. Ejus sententiam exponere ac defendere monet Cel. *Hoffmannum* in Tractatu de fato physico & medico. Quando *Lutherus* omnia necessitate fieri admodum mascule asseverat; eum non aliam nisi hypotheticam necessitatem intelligere, quæ partim a nexu inter causam & effectum, partim ab immutabili decreto divino pendeat, Nosler existimat, nec aliam, quam hanc necessitatis speciem requiri ad nexum rerum sapientem *Wolffianum* probat: quem ubi *satum Christianum* appellare volueris, te cum B. *Luthero* præeuntes habere Theologos *Lutheranos* orthodoxos, quod idem Cl. *Ricobovius* in Dilucidationibus meditationum metaphysicarum *Wolffianarum* de Deo, anima & mundo, exemplo *Dankaucri* & *Kromayeri*, evincit. In *Dissert. 7* denique de sinceritate animi & Principis circa eandem cura non modo omnem theoriam & praxin sinceritatis animi in sectione morali tradit; verum etiam studium sinceritatis quomodo in Rep promoveri queat, in sectione politica inculcat. Per sinceritatem animi intelligit consensum actionis externæ cum interna, nec aliis hic utitur principiis quam *Wolffi* in Institutionibus moralibus atque politicis a se expositis, exemplo hoc docturus, quam pragmatica sit Philosophia *Wolfiana*. Ad sinceritatem animi requirit 1) judicium de actione, notioni objecti, circa quod versatur, conforme; 2) motivum voluntatis inde penitum; 3) appetitus sensitivi cum rationali consensum, ita inflexis rationibus, quæ eam in contrariam partem traherent, ut cum rationali ad eundem scopum tendat; 4) motuum organorum corporis ad executionem operis, in quod uterque appetitus tendit, immo vultus, vocis, verborum, gestuum cum eodem



dem conformationem. Moralitatem notionis hujus stabilit ope principii moralitatis *Wolfiani*, identitate scilicet determinationis actionum naturalium & liberarum; Noster tamen subdubitat, id quod visum fuerat *Wolfo*, idem jam innotuisse *Confucio*, utut non concedat, ideo hoc principium, quod *Anti-Wolfianis* placuerat, tanquam impium rejiciendum esse, quod *Confucio* distincta Dei cognitione destituito innotuerit, cum per id demum honestatis intrinsecæ ratio penitissime persiciatur.

Addit *Cl. Thümmigius* duas Dissertationes *Wolfianas*, alteram de notione intellectus divini per opera naturæ illustrata, quod eas dignas judicaverit, quæ ab interitu vindicentur, qui dissertationibus facile accidere solet.

**D. LAURENTII HEISTERI, ANATOM. CHIRURG. ac Physiol. Profess. Publ. Helmstadiensis, Acad. Cæsar. & Regiæ Berolin. Collegæ, Compendium Anatomicum, totam rem Anatomicam brevissime comprehendens.**

*Editio III prioribus longe auctior atque emendatior.*

Aldorfii & Norimb. apud Georg. Christoph. Weberum, 1727, 8.  
Alph. 1 pl. 3 & Tabb. æn. maj. 8.

**Q**Uæ Clariss. Autori fuerit intentio Compendium Anatomicum edituro, & quas additiones secundæ editioni facere libuerit, A. 1717 Mense Augusto p. 367 & A. 1719 Mense Decembri p. 533 satis indicavimus. Cum nunc nova ejusdem prodierit editio, in quo hæc priori sit locupletior, brevibus jam innuemus, postquam monuerimus, quod libri pretium vel ex eo sit æstimandum, quod priorum editionum exemplar non solum nullum amplius proset, veram etiam in Germanicam pariter ac Gallicam linguam sit translatum Compendium. Auctum hoc iterum nunc esse, numerus & plagularum, & notarum, & tabularum, quorum ille ultra Alphabetum, iste in alterum tantum, hic ad septuaginta quinque excrevit, satis testatur. Præter ea enim, quæ hinc inde textui majoris illustrationis gratia fuerunt inserta, novæ accesserunt notæ, in quibus & quidem in nota 5, an a musculis abdominis vomitus

mitus dependeat, disquiritur, in 7 de apertura omenti naturali a Winsloo inventa, in 9 de fibris carnis & papillis ventriculi, in 10 de glandulis Brunneri agitur. In 11 Albini Dissertatio de nova tenuium intestinorum descriptione commendatur. In 12 de tunica villosa intestinorum, in 13 de inventoribus lacteorum, in 15 de receptaculo chyli, in 16 de usu valvulæ ad finem ductus thoracici fistulæ, in 18 de ductibus hepatico-cysticis, in 19 de itinere & redituque bilis, in 20 de renibus saccenturiatis, in 26 de epididymide peculiari, in 28 de ligamentis penis lateralibus, in 31 de uteri crassitie in gravidis & musculo novo Ruyschiano, in 32 de menstruorum fontibus, disseritur. In 33 ovula & corpora lutea examinantur. In 35 de foetibus extra uterum, in 36 de circulo sanguinis inter matrem & foetum, in 38 de foraminis ovalis usu, in 39 de mediastini interstitio, in 40 de thymi vasis excretoriis tractatur. In 41, quare arteria pulmonalis amplior vena? inquiritur. In 43 de magnitudine cavitationum cordis, in 44 de tuberculo cordis, quod negatur, in 45 de fibris cordis rectis, in 46 de vero oesophagi situ, in 48 de sinibus duræ matris, in 49 de rete mirabili, in 50 de primario visus organo, in 54 de quantitate salivæ, in 55 de glandulæ sublingualis ductibus, in 56 de linguæ foramine cæco ejusque novi canalibus, in 57 de glandulis molaribus, in 58 de ductu mucoso in pharyngis fornice, in 59 de ductu e naribus ad palatum, in 60 de quinque tunnicis arteriarum, in 65 de carotidum divisione, in 66 & 67 de arteriis vertebralibus & oesophagæis, in 68 de valvula Eustachii, in 70 de ortu nervorum incerto, & speciatim de intercostali, in 71 de pari cerebri decimo nervorum, in 72 de musculo cerato-staphilino, in 73 de musculis intercostalibus sermo fit, & in 74 de musculis interosseis Winsloii, Douglassii, & Stockhusii sententia explicatur. In tabulis IV novis additis fig. 22 & 23 penis, cujus venæ & substantia cavernosa argento vivo repletæ sunt, fig. 24 testiculi humani vasa feminalia more Ruyschiano resoluta, fig. 25 peculiaris testiculi cujusdam humani compositio, fig. 26 vesiculæ feminalis cellulæ & facies interna reticulata, fig. 27 foetus humanus abortu ex muliere tertio mense gravida rejectus, membranis inclusus & liquori suo consueto innatans, ut & ovulum a muliere per 4 circiter hebdomadas gravida rejectum, fig. 28 pars ani & inte-

intestini recti aperta, fig. 29 & 30 intestinum ileum, colon & cæcum cum processu vermiformi infantis recens nati, fig. 31 processus quidam vermiformis hominis adulti justo longior ac peculiaribus flexionibus & quasi gyris donatus, fig. 32, sinus peculiaris inter laterales duræ matris interpositus, fig. 33 oscula ductuum salivalium glandula sublingualis, fig. 34 & 35 in linguæ foramine cæco duo notabiles ductus salivales observati, fig. 36 varia in palato, juxta palatum & in labro superiori consideranda, fig. 38 varia circa fauces & uvulam spectanda, & fig. 39 os vomeris repræsentantur.

*JO. CHRISTOPH. COLERI, ANTHOLOGIA,  
sive Epistolæ varii argumenti, ad illustrandam potissimum  
Historiam Ecclesiasticam & Literariam com-  
paratæ.*

*Tomus I.*

*Cum Indicibus.*

Lipsiæ, ex officina Brauniana, 1725—1727, 8.

**N**Os priorem Tomi hujus Fasciculum saltem commemoravimus in his *Actis*, A. 1725 p. 517. Reliquum est, ut & ceteros, qui integrum hunc Tomum constituunt, Fasciculos breviter perlitremus.

*Fasc.* igitur altero hæc continentur: 1) Expositio de libro, qui vulgo Parkero tribuitur: de antiquitate ecclesiæ Britannicæ. Docet Noster ex Thom. Hearnii Præf. ad Robertum Avesburiensem, non Parkerum, sed Jo. Joscelinum verum hujus libri autorem esse. Idque ipse confirmat ex Henrici Whartoni Anglia sacra. Qua quidem occasione & de controversia inter P. Harduinum atque Courayerium, & de Ant. Woodo quædam haud contemnenda submonet. 2) De Notariis Gregorii M. 3) De sæcta Adamitarum sæculi XIV. 4) De Bibliotheca Cyprianica. 5) De Benedicto XIII P. R. 6) De Epistolis & schedis quibusdam Leibnitio, Balio, & Burneto tributis. Hic vero Vindicix simul horum virorum afferuntur. 7) De Barth. Camerario. 8) De Camerarii  
Dia-

Dialogo, qui inscriptus est *Rbetor*. 9) Elogium Nic. Franci, ex Pinacotheca Beneventana.

*Fasc. tertio* hæc insunt fere: 1) Notitia rarissimi libri de Statutis Ord. Cisterciensis. Quid in his statutis sit *Minuere, & Minutio*, p. 170 docte exponitur. Laudatur etiam iudicium Langleti de eodem hoc libro, qui in Bibliotheca Cel. D. Cypriani asservatur, ex cuius ad Autorem nostrum datis literis p. 171 affirmatur, fuisse, qui centum Joachimicis illum redimere voluerit. 2) De Fabri Lexico, ejusque editione novissima Gesneriana. Lectu dignum est, quid optet Noster p. 183 de hoc libro. 3) De Meditamentis Literariis Frederici Borromæi, libro non ubivis obvio. Notatur simul lepidus error in Lex. Hist. Univ. Fritschiano, ubi allegantur Medicamenta Literaria Borromæi. 4) Observationes variæ, e. g. de Sixto Siberiano, de libro de tribus impostoribus an extet in Bibliotheca Cassellana, uti ferunt nonnulli; quod ex ipsis Cl. Schminckii literis regatur; de Hassensteinio nonnulla &c. 5) De Burmanni Epistola ad Capperonarium. 6) De Pasquillo Extatico, ubi simul de ipsis Tomis Pasquillorum agitur. 7) De fastis Acad. Lovaniensis Valerii Andreae.

*Fasc. quarto* sequentia deprehenduntur: 1) Apologia pro Joanne Castello, liber, ipso Bælio fatente, rarissimus. 2) Antonii Arnaldi Aëlio forensis. 3) Apologia Francisci Montani. P. 288 docetur, latere sub hac persona Richeomium, Jesuitam haud incelebrem. 4) Oratio ad Regem Christianissimum de restitutione Jesuitarum. 5) Eusebii Philadelphi Dialogi. Liber inidem perquam rarus, ex quo varia hic specimina, Lectori haud ingrata futura, afferuntur. Placcius putat, Autorem esse Bernaudum quendam Delphinatensem.

*Fasc. quinto* agitur: 1) De Jos. Scaligeri Emendationibus MSS. ad Fl. Josephum. Extant hæc Emendationes in Bibl. Vinar. 2) De J. H. Reimii Consultatione de nova Grammatica Græca, non ineleganter conscripta. De Nic. Abrami libris de Veritate & Mendacio, ex Bibl. Siberiana. 4) De Mariangeli Accursii fabula, quæ inscribitur: *Testudo*, & integra hic inserta legitur.

*Fasc. denique sexto* hæc potissimum videas: Fragmentum Epistolæ Uffenbachianæ de MS. quodam Trithemiano; 2) Apologiam

logiam Jesuitarum ad Henr. IV R.G. ; 3) *Emundi Figrelii* de Statu Romanorum librum, neque Graviano, neque Sallengriano Thesauro insertum ; 4) Bibliothecæ Menckenianæ novam editionem ; 5) Philothecam Stromerianam, multaque alia subinde illustrata.

Optamus, ut persequatur amplius hoc institutum Rev. Autor. Intelligimus enim, non immerito Cl. *Schelbornium* Tom. V A-moen. Liter. p. 271 Epistolas has bonæ fragis plenissimas vocasse. Cui assentitur Cel. *Heumannus*, qui in Pœcile sua Tom. II p. 391 sq. confirmat, cupide hanc *Anthologiam* legi ab omni doctorum hominum genere, proferrique ibi rarissima plurima, quibus pascantur oculi eruditorum non sine magno gaudio.

Monemus etiam, eundem Rev. Autorem nuper Tomum II *Bibliothecæ Theol. Selectæ*, a nobis alio jam loco laudatæ, ad finem perduxisse, immo Tomum etiam III jam feliciter auspiciatum esse.

**FL. JUSTINIANI IMP. INSTITUTIONUM**  
*Libri IV, seu legitimæ scientiæ Elementa. JUSTUS HENNINGIUS BOEHMER J. C. recensuit, ex Codice MSto optimæ notæ emendavit, annotationibus illustravit atque THEOPHILI Paraphrasin subjunxit, cum duplici Indice. Secunda editio, auctior atque emendatior.*

Halæ Magdeburgicæ, impensis Orphanotrophei, 1728, 4.  
 Alph. 4 pl. 12.

**M**Ultis dotibus instructa prodiit iterum Bœhmeriana in Libros Institutionum Justinianearum commentatio, quæ, postquam decennio abhinc primum edita sat habet celebritatis, videtur laudis nihil indigere nostræ. Officii tantum nostri est, quid præcipuum sit, quod in hac editione nupera accesserit, indicare. Prima vero Ill. *Bœhmeri* cura fuit, ut ipsum Institutionum contextum pariter ac rubricas singularum cujusque tituli sectionum emendaret, proxima, ut commentarium suum novis observationibus redderet auctiorem, tertia, ut paraphrasin Theophili ex interpretatione meliori, cominodo insigni juris studioforum, nec mi-

nori hujus editionis ornamento, adjiceret. De priori cura sese in Actis Eruditorum, quæ in vernacula apud nos prodire solent, Parte LX admonitum, ipse profitetur, quibus hæc duo in prima Institutionum editione desiderata intellexerat, quod nonnunquam meliorem in contextu lectionem omisisset, communio rem ut plurimum secutus, & quod rubricas singulorum paragraphorum vulgares retinisset, emendatione tamen multa indigentes. Utrique igitur desiderio satisfacere studuit & cum in prima editione solum de illustrando contextu sollicitus fuisset, satis arbitratus, quæ in illo dubia lectio subinde videretur, in notis passim dixisse, præsertim quod meliores lectiones plerumque non adeo sensum contextus mutare animadverteret, nunc majorem utique contextus habuit rationem & meliorem lectionem prætulit semper, vel si ambigua & anceps esset, sub ipso contextu variantem indicavit. Petivit vero præcipuas emendationes ex optimæ notæ Codice MSto Bibliothecæ Uffenbachianæ, sexcentorum annorum ætatem attingente: ne tamen a vulgatis lectionibus nimium recederet, plurimas variantes, ut diximus, contextui subjunxit, libera cuique circa easdem electione permittenda. Spem etiam injicit plenioris emendationis olim suscipiendæ, postquam a V. C. Jo. Rudolpho Helio, J. U. D. in Academia Basileensi, benevole secum communicatas accepit variantes lectiones ad librum I Institutionum, quas ille, Parisiis dum commemoraretur, excerpfit ex codice MSto Bibliothecæ Regiæ, longe locupletiores istis, quæ ex Codice Uffenbachiano dari poterunt. Reliquas vero ad tres Institutionum libros sese pariter obtenturum, confidit Noster. Perpetuæ, quibus in Justinianas Institutiones commentatur, notæ, ut antea egregiis ex antiquitate Romana observationibus constabant & ex præstantissimis Jureconsultis, qui humaniores literas cum Jurisprudentia conjunxerunt, haustæ erant, ita nunc plurimis augmentis & hodiernorum potissimum Jureconsultorum observatis locupletatæ comparent. Denique laudandum maxime est Nostri consilium, quod paraphrasin Institutionum Theophili adjungere eamque vulgo neglectam & paucorum in manibus versantem juvenibus limpidioris Jurisprudentiæ cupidis reddere denuoque commendare voluerit. Quod consilium tanto præclarius est, quanto infelicius jam est seculum, quo insu-

per

per habitis Jurisprudentiæ fontibus ea ex lutulentis atque turbidis lacunis & propinari a docentibus & gustari a discipulis solent, qui scholas heri aut nudius tertius ingressi forum jam meditantur, mox in judicia prorumpunt atque cruda studia propellunt. Optaris forsitan, Græcam paraphrasin additam esse. Verum & metuenda erat libri moles, & satis interea consultum erit Jurisprudentiæ studio, si vel interpretationem Latinam diligenter consulere fructumque ejus percipere velint studiosi, donec meliora probantium desideriis nova & eleganti Græci contextus editione subveniat. Ufus autem est Nosler ea interpretatione Latina, quæ Lugduni Batavorum A. 1715 ex typographia Joannis van der Linden junioris prodiit. Hæc enim quidem autorem habet Carolum Annibalem Fabrotium, illum accuratissimum Theophili editorem, sed tamen aliquot locis est emendata & sensum in nonnullis planum magis facilemque reddit. Notis peculiaribus quidem Nosler ad paraphrasin non commentatus, quæ vero annotandæ omnino erant, ipsi Institutionum illustrationi commode inseruit. Ceterum, ad conciliandam paraphrasi auctoritatem fidemque tanto majorem & accendendos animos studiosorum, non solum causam Theophili egit adversus ejus obrectatores, sed & disseruit de ipsius ætate. Theophilum enim utique inter Justinianearum Institutionum compositores, eumque ipsum fuisse, qui laudatur ab Imperatore in *Proem. Institutionum*, erudite disputat, quamvis Fabrotium in eo errasse senserit, dum ille Theophilum a Thalelæo citatum scribit. Et hoc est argumentum potissimum novæ præfationis.

*IMP. CÆSARIS AUGUSTI TEMPORUM  
notatio, genus & Scriptorum fragmenta ; curante JO.  
ALBERTO FABRICIO, D. & P. P.  
Hamburg.*

Hamburgi, sumtu viduæ Felgineræ, 1727, 4.

Alph. 1 pl. 9 fig. æn. 1.

**C**ollegerat olim summo studio exquisitæ eruditionis Vir, *Janus Rutgerius*, Imp. Cæsaris Augusti scriptorum varii generis,

ris, Epistolarum scilicet, Orationum, Carminum, legum &c. reliquias, laudabili industria abs historiæ Augustæ conditoribus, veluti ex naufragio tabulas, ad posteritatis memoriam conservatas, unoque Volumine juxta cum graviter arguteque a summo Principe dictis, in veterum Commentariis itidem passim obviis, evulgaverat. Hanc collectionem fragmentorum Augusti Rütgerianam denuo typis exscriptam heic exhibet Cel. *Fabricius*, variis accessionibus locupletatam, & adspersis passim ad paginarum calcem annotationibus doctissimis insignem. Præmissus *Nicolai Damasceni de institutione Augusti* libellus, cum Latina *H. Grotii* versione & *Henrici Valefi* annotamentis; *Chronographia* itidem *Augusti*, sive rerum ab ipso gestarum dispositio Chronologica; & *Genus* denique *Augusti*, *Godfridi Peschwizii de familia Caesarum Augustæ* Commentariolo separatim antehac excuso illustratum, pretium huic editioni præ antiquiori illa Rütgerii haud proleterium conciliant, quæ tanto gratior Romanæ historiæ cultoribus accidet, quanto magis ipsi hac Sylloge, ubi maximi Imperatoris res gestas atque virtutes ex antiquis autoribus cognoscere desideraverint, adjuvari possunt. Ad p. 217 jucundo admodum spectaculo famigeratissimi illius *monumenti Ancyrani* typus exhibetur.

A VOYAGE ROUND THE WORLD BY THE  
Way of the Great South-Sea.

sive

ITER CIRCUM UNIVERSUM ORBEM PER  
*mare australe institutum ab A. 1719 ad 1722, a GEORGIO  
SHELVOCKE, Præfecto navis.*

Londini, apud Jo. Senex, W. & J. Innys & rel. 1726, 8.

Alph. 1 pl. 9 Tabb. 2 n. 5.

**N**avigaciones circa orbem totum institutæ, quæ miraculi instar initio erant, jam adeo frequentes sunt & tritæ, ut in posterioribus quandoque repetitiones saltem legantur priorum, additis circumstantiis factorum vel eventuum, quorum cognitio ad augmentum scientiarum parum facit; in quorum adeo recensio-ibus brevioribus esse licebit. Ex horum maxime genere est præterens quo-



quæque relatio, Apologiam potissimum proponens Præfecti in titulo citati, cui in expeditione sua sociorum invidorum & nautarum suorum culpa multa sinistra acciderunt. Suscepta fuerat ipsa impensis Anglorum quorundam, qui excurrendi contra Hispanos, & in specie in Oceanum Australem pacificum, veniam commissione vel literis patentibus Imperatoris nostri Romani CAROLI VI, tunc cum Hispanis bellum etiamnum gerentis, A. 1718 datis, post vero, orto quoque inter Anglos & Hispanos bello, ab ipso Angliæ Rege obtinuerant. Infaustis vero avibus datus est Autori nostro socius expeditionis in alia navi Clippertonus, qui contra eum nautas non solum ipsius animavit, sed & post quadriduum statim ab initio itineris numeratum eum deseruit. Nos prætermisissis Autoris fati adversis ipsoque Itineris ordine insuper habito, unum hic memorabimus, quod de Californiæ incolis Noster memorat.

Mores barbarorum sedatissimi & simplicissimi. Adeo inter eos nulla invidia, ut quæ uni eorum donarentur, statim omnibus divideret ex æquo. Nemini timendi, ipsi nullos timent, in navigiis advenarum maximo numero versantes tanquam in suis. Laborantibus Anglis ultro & non rogati laborem sublevabant. Albos tamen homines magis suspiciunt, nigros abhorrent. Mos salutandi advenas barbarus, in gestulationibus & discursionibus, quæ furiosos potius deceant, consistens. Viri nudi incedunt, mulieribus vero expellibus sunt vel ex avium plumis palliola ad genua usque promissa. Arma habent arcus & sagittas; venatu enim, ut & piscatu, solo vivunt: in piscibus maxime indagine quadam cingendis, dum ipsi aquas ingrediuntur nudi, mira eorum dexteritas. Arboribus fere destituitur solum, arbuscula monstrantantum, quæ & ipsa locustæ, quarum tanta copia, ut Solem obscurent, ita depascuntur, ut omni virore careant. Unde suspicatur Autor, qui priores in hisce regionibus fuere, & perpetuam hyemem in iis existere tradiderunt, hac arbusculorum specie seductos fuisse.

A NEW VOYAGE ROUND THE WORLD:

five

S 3

NOVUM

ACTA ERUDITORUM  
 NOVUM ITER CIRCUM GLOBUM TERRE-  
 stre perfectum, via aliis nunquam tentata.

*Partes II.*

Londini, apud A. Bettesworth & W. Mears, 1725, 8.

Alph. I pl. 4, Tab. æn. 4.

**M**agis singularia continet hæc relatio, cujus Autor idemque expeditionis primarius præfectus ridet ipse eos, qui cum nostris temporibus orbem circumnavigarunt, magni aliquid se fecisse putant, vulgantque relationes de rebus dudum in vulgus notis. Imo ridet eos, qui consilia & monita salutaria nautis eadem via ituris proponunt. Ipse narrationes potius exigit de rebus talibus, quæ iis, qui domi desidere malant, gratæ atque utiles existunt, de statu nempe mercaturæ, modisque lucrum faciendi & commercia exercendi.

Suscepta est expeditio hæc clanculum ab Anglis nonnullis, qui deinde Societatem Indicam in Belgio Austriaco promoverunt, eo quidem proposito ut modo se Anglos, modo Gallos, modo Flandros, sub auspiciis Imperatoris CAROLIVI navigantes, venditarent. Unde & navis non ex Anglia, sed Flandria sub ipsum initium A. 1714 solvit. Institutum erat non solum prædas agere de Hispanis, sed & commercia exercere cum ipsis, novasque imprimis terras circa polum australem indagare.

Prima consultatione cum Autor sociis persuadere non posset, ut viam in australem Americam eundi consuetæ contrariam, eam scilicet, qua tenditur versus Orientem, eligerent; progressi sunt usque ad 45° latit. Austr. in Americæ litore orientali. Quem tractum jam tum sibi visum esse civibus suis pro colonia deducenda commendandum, Autor commemorat. Inde usque ad 64° lat. Austr. profecti; cum vero propter ventos contrarios pertinacissimos procurrentem Americæ australissimam superare non valerent, sed potius usque ad *Cap. B. Spei* rejecti essent; ex re ipsa consilium capiens Autor (licet non sine maximo tumultu nautarum) iter versus *Insulas Philippinas* dirigit. Ventorum tamen vehementia iterum cogitur deflectere, & *Insulam Madagascar* adire; in qua ad sedem piratarum Europæorum accessit, quorum tamen plurimi tædio  
 mise.

miseræ illius vitæ ad Nostrum accedunt, sub eo militaturi. Inde peninsula *India ceterioris*, insulaque *Ceylan* salutatis, per fretum *Mallaccense Manillam* deveniunt. Hic vexilli Gallici commendatione merces suas Europæas, per conniventiam Vice-Regis, licet hoc fieret contra edicta Regia, carissimo pretio vendentes, Asiaticas vero exiguo pretio redimentes, insigne lucrum faciunt. Iter denique ductum ad *Latronum* insulas, & deliberatum, an ad polum *Arcticum* propius accederent, atque in regiones inter *Asiam & Americam* interjectas inquirerent. Placuit sententia ad Australem potius partem cursum dirigendi.

In hoc cursu primum terram vidit Autor sub latit. Austr. 17°, quam conjectat esse continuam *novæ Guineæ*. Populus sine ulla nauticæ scientia, nullum habet navigium vel minimum: sine armis quoque ullis degit. Terra fructibus abundans, sed nihil ibi, quod ad commercia invitare possit. Iterum terra visa sub latit. Austral. 27° 13' & longitud. a meridiano *Insularum Latronum* 16°. (Si quidem justa est æstimatio hæc longitudinis hic & in sequentibus, & non potius multo major, quod tum ab aliis autoribus proditus horum locorum situs, tum ipsæ hujus itineris circumstantiæ videntur exigere.) Hanc auro in rivis collecto ditissimam compererunt. Homines ibi summe tractabiles & simplices, ferro & aliis necessariis instrumentis destituti, saxis saltem grandioribus, ad auri particulas in formam rotundam pro usu in aurium redigendas, usi. Principi vel Regi parent, cultu parum a se differenti. Aliquot gradibus Australius terra occurrit alia, vel potius cum priori coherens, ad vitam necessariis abundans, sed minus auri habens. Nulla ibi vestigia templorum vel ceremoniarum aut cultus divini, sed tamen gestibus vili sunt juramenti sanctitatem denotare. Regio hæc nautis nonnullis ita placuit, ut clam se subducerent, in eaque manerent, quibus ad vitam tolerandam fructusque ferendos necessaria Noster reliquit. Uterius versus Austrum ad 41° latit. insulam offendit, cujus incolæ magis feri, & hostiliter se gerentes; verum exiguo numero. Non longe distat alia insula grandior, utpote ad 150 mill. mar. longitudine continens, ulteriusque alia sub latitudine 50° 21', ubi insignem copiam pulcherrimarum margaritarum invenerunt & collegerunt nautæ. Inde vento argente ad latitudi-

titudinem usque Australem 67° perveniunt, ubi frigus jam ingens & glaci montes mari innatantes. Tandem itinere versus boream converso, primum Americam vident in Latitud. 47°. Unde ad insulam *Fernandes* se conferunt, recolligendi sui causa. Post iterum sub specie & persona mercatoris Gallici in singulis portibus a *Baldivia* ad *Limam* usque merces vendendo Asiaticas immensum lucrum Noster fecit. Dein conversus ad consilium diu mente agitatum, *Baldivia* iterum in terram exscendit, & cum Hispano, qui prope urbem *Vilamvicam* possessiones rusticas habebat, quemque a piratis redemerat, amicitia contracta, transitum terrestrem per *Andium* juga tentavit. Ipse contentus fuit transitum saltem ipsum per juga contemplari; dumque apud hospitem est, vidit non sine terrore vulcanum ardentem & noctem clara luce collustrantem, incolis nihil facientem terroris, quia regulariter hoc contingit, & sine ullo terræ motu. Majori quoque admirationi & stupori fuit, cum in summo jugo horum montium noctem ageret in modica aliqua valle, eaque inter tres Vulcanos 6 vel 7 leucis distantes interjacente: in qua adeo latera montium vallem cingentia cum tota valle flammis eorum collucentia, & in aliqua distantia rivus ardens (rarius ejus fluxum intermittere incolæ ferunt) liquatoque metallo & igne fluens, speciem quandam inferni poetici præbuerunt. Majori & contrario voluptati fuerat auri granorum in rivulis & passim occurrente tanta copia, ut manibus colligi posset. Post misit cohortem ex suis numero 53, qui ab eadem urbe *Villa rica*, transitu per Andes facto, ad alterum litus orientale Oceani Atlantici penetrarent. Ipse navi per viam ordinariam præcessit, eos expectaturus in litore. Successus expectationi optime respondit. Viri enim illi, *Andium* jugo superato, in planum descendentes, fluviorum primo & imprimis fluvii *Camaronum* ductum sequuntur, partim quoque terra progrediuntur. Et terram quidem, per quam venerant, incolis plane destitutam, imprimis quæ paulo removebatur ab *Andibus*; sed lacum montibus adsitum & fluvios, imprimis quæ propius montes existunt, exundationibus maximis obnoxios deprehenderunt: ripas vero illius lacus & fluviorum passim, ubi imprimis diverticula quædam & lenis acclivitas, copiosissimo auro, quod granulorum instar inter sabulum colligi potest, refertas. Nullum ex animalibus rapacibus, lupum, vulpem, &c. armentorum vero, nec non Peruvianorum ovium onerariarum uberem proventum ostenderunt. Solum bonum, & multa promittens, si colatur. Ceterum fluvius ille *Camaronum*, quem nominavimus, alicubi in duos ramos scinditur, post longum intervallum iterum confluentes; in altero ramo Australiori, quem tenuerunt illi homines, *Cataractæ* vel *Catadupz* 5 in spatio 20 fere miliar. Angl. existunt; in quibus aqua tanto impetu præcipitatur, ut usum aurum per 5 vel 6 miliaria impediatur. Hujusce adeo regionis commoditates videntur Autori nostro tantæ, ut merito civium suorum coloniam recipere posse putet. Iter finitum vere  
anni 1716.

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Aprilis Anno MDCCXXVIII.*

**THOMÆ DEMPSTERI A MURESK, SCOTTI,**  
*Pandectarum in Pisano Lyceo Professoris Ordinarii, de E-*  
*truria Regali Libri VII, nunc primum editi, curante*  
**THOMA COKE, M. Brit.**

*Armig.*

**Tomi II.**

Florentiæ, apud J. Cajet. Tartinium & S. Franchium, T. I 1723,  
T. II 1726, fol.

Alph. 13 pl. 7, Tabb. æn. maj. 95, præter minores passim insertas,  
una cum Tabula Geogr.

**O**pus posthumum exhibemus, at splendidissimum & ante  
centum annos jam prelo paratum, sed hæcenus fere in-  
ter deperdita numeratum, quod universam veterum E-  
truscorum memoriam complexum, nunc demum duobus Tomis,  
quorum primus A. 1723, COSMO III, alter A. 1726, ut ex fine li-  
bri patet, (nam titulus unus Tomi II A. 1723, alter 1724 falso præ-  
fert) JO. GASTONI M. Etruriæ Duci inscriptus, prodit. Præ-  
misit Nobilissimus Editor Tomo I Præfationem, in qua non mo-  
do de vita Dempsteri nonnihil commentatur, inter alia observans,  
eum ita sub Jasto Lipsio profecisse, ut sextum decimum annum  
agens Tornaci humaniores litteras publice docuerit, ac sequenti  
anno Lutetiæ Paris. Juris Doctor renunciatus mox in ea Academia  
sacceserit Davidi Sinclero, inde a M. Britannicæ Rege ad munus  
Historici evocatus: verum etiam Catalogum exhibet operum  
Dempsteri, ab ipso compositum; ex quo patet, eum hoc opus de  
T Etru-

Etruria Regali suggestu Camilli Guidii Equitis Volaterrani, quem *florem illius seculi hominum & alterum parentem suum* vocat, & jussu COSMI II, M. D. qui opus inter arcana sua servet, magno pretio iavitatum conscripisse, quod & ex Epistola, quæ apud hæredes Volaterrani inter multas alias Dempsteri ineditas exstat, confirmatur. Utcunque ergo tandem ad Cl. Editorem liber pervenerit, certe bona fortuna rei literariæ id accidit; quandoquidem is nequam hoc Thesauro fraudandam putavit Hetruriam, quin potius opus, quod sibi comparaverat, in ipsa ejus urbe principe, splendide imprimi, & figuris plurimis, quæ in opere desiderabantur, ex ipsis antiquitatis reliquiis, magnam partem in vicinia Florentiæ conspicuis, non modico sumtu depictis, exornari curavit. Permovit etiam Viruum in re antiquaria exercitatissimum *Philippum Bonarotam*, ut sub finem Tomi II adderet explicationes & conjecturas, in quibus, Scriptorum fere testimoniis sepositis, sola monumentorum ipsorum, quorum integritatem vindicat & numerum auget, autoritate, vel mutua eorundem inter se collatione, multa ad mores Tuscorum spectantia, quæ nusquam in antiquis scriptoribus reperire speres, e tenebris veluti eruta exhibentur. Ut rudem primo Dempsteriani operis, cujus Libri tres priores primo Tomo, reliqui posteriore continentur, conspectum demus, *Libro I* de nomine Etruriæ, quam negat Hetruriam vocandam, & Tusciæ, de incolis ejus olim claris, Tyrrhenis, Lydis, Pelasgis, Arcadibus, Aboriginibus, aliis, de eorum potentia, soli qualitate, vino, aere, aquis & thermis, Diis & oraculo Tethyos, lingua, literis & Inscriptionibus (qua occasione hic p. 91 Editor inferit Tabulas Eugubinas VII, quarum unam tantum Baldius, duas Gruterus, longe quidem ab his aberrantes, edidit, nunc ad archetypum diligentius expressas & ab illis ipsis, qui Eugubinam ecclesiam rexerunt, communicatas) de quadruplici dialecto Etrusci sermonis, Osca, Rhetica, Umbrica & Phalisca, de politia Etruscorum, & de gentibus ab iis oriundis agitur. *Libro II*, in quo principem sibi fuisse suscepti operis curam Autor testatur, id agit, ut seriem aliquam (nam continuam vix sperandam putat) Regum per bis mille & quingentos annos, quibus jure Regio hæc provincia usa esset, laboriose erueret, tacentibus fere ob invidiam, ut putat, Scriptoribus

Lib. I.

Lib. II.  
p. 103.

bus Latinis, apud quos quingentis pæne annis, quibus gloriose Etrufci cum Romanis bellarunt, trium tantum Regum Etrufcorum fit mentio. Veros itaque Reges numerat L., ceteros omnes Annio Viterb. aliisque nominatos commentitios vocat. *Libro III* varia recensentur Etrufcorum inventa capitibus XCV, simulque de moribus eorum quædam annotantur. Inter illa numerantur, divinatio per auguria & aruspicinam, fulminum & ostentorum observatio, mos orandi stando & manibus supinis; modus urbem condendi, pomærio, fossa, muris muniendi; insignia regni, secures & falces, trabea, sella curulis, annuli, phaleræ, paludamenta, prætesta, calcei militares, senatorii, tragici; triumphus cum curru, equis, corona, toga picta, tunica palmata; gladiatores, (quibus c. 43, 44, 45. subjunguntur Pythagoræ Etrufci inventa, nomen Philosophiæ, sphaera mechanica &c.) claves & seræ ostiorum, phialæ &c. agricultura, medicina, musica & res militaris, cum variis instrumentis, quam ab Etrufcis Romani didicere; tum ærea tibia, molæ, atria, columnæ, ludi, histriones, pugiles, plastice, res navalis, jura fecialia & id generis alia. Ad mores pertinet, quod moneta signata, it. floridis vestibus usi; quod in corticibus arborum, in cera &c. scripserint; quod bis in die mensas posuerint, cum Romani semel tantum idque vesperi comederint, prandia apud eos rarius fuerint in usu; quod servos aluerint delicatos, & reliqua.

227 sq.

Lib. III.

*Libro IV*, præmissa Etruriæ antiquæ & novæ tabula, status ejus antiquus CXXII Capitibus explicatur, locaque omnia antiquis memorata, quorum pars magna non amplius superest, erudite illustrantur. Sigillatim vero *Libro V* de urbibus, quæ & olim florere & nunc florent, ita agit Autor, ut primum de origine & conditoribus, de rebus porro præclare gestis, de Viris scriptis aut bello claris, de Sanctis eorumque Festis solennibus, de Pontificibus & Cardinalibus, Præsulibus item eorumque successione disserat. Hic igitur de Pisis, Volaterris, Luca, Arretio, Cortona, Perusia, Pistorio, Senis, Florentia & Aquila, quæ hodie Aquapendente. His *Libro VI*æ adduntur urbes, quæ post inclinationem Romani Imperii excitatæ ac civitatum jure donatæ sunt, simili, ut illæ, ratione descriptæ. Notamus tamen, Autorem in recensendis cujusque urbis civibus eruditus paulo nimis parcum videri, &

T. II.

Lib. IV.

Lib. V.

Lib. VI.

Lib.VII. raro singulare quid, præter nomen, de quoquam afferre. Deni-  
 p. 451 sq. que *Libro VII* de familia Medicea ejusque origine ac Viris illu-  
 stribus commentatur, eorum explodens fabulas, qui a Theseo, ab  
 476. Antenore, a Dardano, ab Ænea aliisque heroibus fabulosis ortos  
 Mediceos tradidere, & inter reliquos ejus gentis extollens Lau-  
 rentium, qui *Patris literarum & literatorum* dictus Pisanam  
 Academiam restauravit, & Viros doctissimos fovit ditavitque.

8. Quod ad Appendicem Cl. *Bonarota*, multa is suppeditat cri-  
 teria, quibus monumenta Etrusca ab aliis dignosci possunt. Ita  
 notat, Etruscos Diis suis insignia quædam addere suevisse, quæ  
 pro sacris augustisque habuerint, ut alas, faces, inaures quoque,  
 armillas, torques & similem ornatum muliebrem, & licet iisdem  
 92. homines uterentur, simulacra tamen hominum mulierumque  
 honestiorum absque iis ornamentis effinxisse. Frequenter porro  
 literæ Etruscæ in anaglyphis, statuis aliisque monumentis, etiam  
 in fimbriis vestium, inscriptæ deprehenduntur, unde facile judi-  
 ces, ipsa etiam monumenta Etrusca esse. Sæpius etiam varii iique  
 vivi colores figuris inducti ab Etruscis observantur, ut mireris,  
 eorum post bis mille & amplius annos adhuc indicium exsta-  
 re. Quomodo ex amictu militum aliisque signis, quæ ad rem  
 militarem spectant, monumenta Etrusca dignosci possint, Cl. *Bo-  
 narota* §. 27, 28, sq. demonstrat; totam etiam rem vestiariam  
 ejus gentis virorum & mulierum §. 33 exponit & in sequentibus  
 de nuptiis & conviviis, de artibus ad Graphicen spectantibus,  
 77. (ubi inter alia observat, templa antiquitus angusta & parum alta  
 fuisse, quod tantum ad tegendas statuas, quas continebant, extru-  
 erentur) de moneta, in qua sæpe spectatur Janus bifrons, in eo a Ro-  
 79. mano diversus, quod imberbis & pileo tectus; de lingua Etrusca,  
 quam frustra tentatam ab eruditis putat Noster, quanquam alpha-  
 betum aliquod ipse subministret, notans etiam §. 42, Etruscos ut  
 plurimum a dextra in lævam scripsisse; de locis item, in quibus  
 inscriptiones Etruscæ visuntur, de septem tabulis Etruscis, E ngu-  
 bii 1444 sub terra repertis, Nostro quidem suspectis, quarum duæ  
 Venetias pervenere, differit, tandemque §. 47 de Etruscis ab Ægy-  
 ptiis oriundis conjecturam proponit, & §. 48 doctos ad indagandam  
 accuratius linguam illam sollicitat atque instruit.


JUSTI



TAB. II ad A. 1728 M. April. pag. 149.



Christ. Sch.



**JUSTI FONTANINI, ARCHIEPISCOPI**  
*Ancyran, Discus argenteus votivus Veterum Christiano-  
 rum Perusiæ repertus, ex Museo Albano depromptus &  
 Commentario illustratus, ubi formulæ quedam & ritus  
 præcipui donaria sacra Deo in Ecclesia offerendi sin-  
 gulatim enucleantur.*

Romæ, ex Typographia Rochi Bernabò, in vico ad  
 Muratas, 1727, 4.

Plag. 17 cum-Fig. passim insertis.

**P**Ergit adhuc Reverendissimus & Illustrissimus Archiepiscopus  
*Fontanus* late jam diffusam sui nominis famam elucubra-  
 tissimis scriptis extendere atque quam optime de republica litera-  
 ria mereri. Cujus rei novo documento esse potest vel Discus hic  
 votivus, cujus hic ætypon repræsentamus, eruditissimo Com-  
 mentario ab ipso illustratus. Postquam eruditorum hominum,  
 imprimis Romanæ Ecclesiæ addictorum, in antiquitates sacras &  
 Christianas merita luculenter percensuisset Ill. Autor; Disci hu-  
 jus votivi historiam sequentem in modum enarrat: Anno Christi  
 Domini 1717 die XIV Jan. Perusiæ e regione arcis, quæ proxima  
 est geminæ viæ, in totidem fora exeunti, Viro generoso Philippo  
 Doninio fundamenta novi palatii intra mœnia antiqua civitatis,  
 arcemque ad plagam Occidentalem substruente, latomi ollam si-  
 ve amphoram ex ære Cyprio detexerunt, in qua nummi aurei  
 CXL Justiniani, Justinique jun. Augustorum reperti sunt, utriusque  
 unius moduli & typi. Ex olla, ferreo ligone operarum contusa,  
 aqua flava atque adeo foetens manavit, ut sua mephiti omnes in fu-  
 gam verterit. Ejus jacturam Chymici adhuc lugent. Ad hæc eru-  
 ta pulcherrima fibula aurea, digiti humani longitudinem æquans,  
 lata vero duos. Mox detecta catenula, pariter aurea, duos palmos  
 longa, geminæ in aures & totidem annuli, omnia ex purissimo  
 auro. Discus etiam argenteus prodiit, duos palmos infra lami-  
 nam plumbeam locatus, quæ longa erat palmos X, lata IV, pondo  
 XXX librarum. Mox cadaver, communem magnitudinem supe-  
 rans, ut ex ossium juncturis observatum, sub magnis tegulis la-  
 tens effossum. Omnia judicio aurificum, ad monetæ Romanæ

TAB. II.

Præf. fol.  
 XIX, XX.

XXII.

- XXIII. pretium scutorum 415 redacta sunt. Discum hunc una cum reliquis in gazam Albanam illatum quinquelibrem & quincuncem esse comperit Ill. Autor, ex puro argento couflatum; alicubi vero fractum duraque rubigine asperum; interioris tamen orbiculi literas † **DE DONIS DEI ET DOMNI PETRI UTERE FELIX CUM GAUDIO**, & cœlaturam, adhuc esse illæfas, illius ceterum diametrum æquare palmos duos Roman. architectonicos, unciis tribus minores, observavit. Ipsa Disci cœlatura hæc est: dux capite nudo, imberbis, thorace & chlamyde indutus, sine stapiis equo infidens, quem freno regit, hastam dextera, gladium sinistra tenens, peditem galeatum & barbaturum clypeo se protegentem insultat. Pedes parazonium dextra in equitem stringit, humi totus ferme procumbens, conto seu mavis pilo in lævo crure transfossus. Ingeniose vero tum ex statura procera, tum ex adjectis nummis conjicit Ill. Autor, Gothi militis istud esse cadaver, qui a capta per Totilam Regem Perusia, sive ab A. D. 548 ad A. D. 571 ibidem manserit, forsitan in castra Justiniani & Justinii Thracis II transiens, tumque cum hoc Disco argenteo ex S. Petri basilica Romæ circiter A. D. 552 ablato, reliquisque cum spoliis sacris ex more gentis suæ sepultus fuerit, imprimis quum veterum Germanorum mos ferret, ut cum thesauris & opibus suis cadavera humarent, quod fusc & erudite probatur. Ipse Commentarius XXIV Capp. absolvitur, quæ strictim nunc percurrere lubet. Luculenter igitur Ill. Autor ostendit, Discum hunc gabatam esse fundatam, anaglypham & interrabilem h. e. per intervalla lævigatam & politam. Gabatz vero erant lances seu disci in Ecclesiarum sanctioribus locis servati, a veteribus Christianis donariorum loco crebro dedicati & in sanctis Basilicis in sacros usus oblatis, præsertim quum mos esset per antiquus rerum præclare gestarum historias in orbiculatis clypeis & discis votivis cœlare, quod maximorum virorum autoritate uberius docetur. Unde vel in hoc Disco Albano victoriam de Maxentio Tyranno ad pontem Milvium Tiberi impositum, prodigioso signo Crucis Constantino M. prænuatiam, quam majores nostri omnibus monumentis testatam esse voluerunt, denotari autumat. Maxentium enim e ripa in fluminis alveum mox ruiturum, vel potius antea demersum aut præcipi-

cipitatum & equo lapsum, ex alveo evadere frustra conantem vi-  
 dere sibi videtur. Eques nimirum in ripa eminentiori, pedes in  
 depressiori loco calati conspiciuntur. Is scilicet in Tiberis ripa,  
 hic intra Tiberim locumque altum atque inum in calatura ipsa  
 graphice repræsentatur. Quare hunc Discum Deo sacrum & in  
 honorem S. Petri in Basilica Vaticana munus oblatum rei divinæ  
 ministris utendum fuisse existimat. De ipsa Disci inscriptione or-  
 biculari observat, medii ævi inscriptiones orbiculatim dispositas  
 inde primum legi cœptas fuisse, ubi crucis venerabile signum in-  
 fixum fuerit. Formulam DE. DONIS. DEI. primæ pietatis  
 insigne documentum credit, quod veteres Christiani ea nihil de  
 suo se offerre declararent, sed de his omnia, quæ alias Dei essent,  
 quæque is ipsis largitus fuisset. Variis quoque aliis venerandæ  
 antiquitatis Inscriptionibus Romanis, unaque Græca Justiniani &  
 Theodoræ, in quibus eadem formula legitur, rem scite & copiose  
 illustrat. Adhuc observat etiam formulam *de donis Dei* a sum-  
 mis Pontificibus usurpatam, item & mere liturgicam fuisse post  
 consecrationem S. Cœnæ adhiberi consuetam, & a piis Christia-  
 nis ad Sec. XII usque custoditam. Domnos porro seu, quod idem,  
 Dominos antiquitus ex reverentia appellatos fuisse Apostolos ali-  
 osque Sanctos, ex Gregorii II Pont. Max. donatione Petro & Pau-  
 lo facta, item Commodiano, Cypriano Episcopo æquali, Cangio  
 & Hugone imprimis Menardo erudite ostendit: profert quoque  
 nummum æreum, in quo Petrus & Paulus Romani Principes di-  
 cuntur. Sancti vero prænomen seculo demum V usurpari, pro-  
 cessuque temporis per varia literarum compendia scribi cœpisse,  
 multis probat, variisque ex nummis Pontificum seculo IX & X  
 percussis demonstrat. Nunc de orbiculis erudite disserit, eosque  
 scuta rotunda, sive clypeos fuisse affirmat, quibus sacræ imagines  
 atque historiarum continebantur, dictos quoque fuisse thoraces, ex Ru-  
 fino & aliunde docet. Ad partem denique Inscriptionis postre-  
 mam III. Autem transit, probatque hanc formulam a Tiberio Con-  
 stantino Aug. Justini jun. successore, imprimis usurpatam, UTE-  
 RE. FELIX. frequentem fuisse veteribus, & idem esse ac: in uti-  
 litatem tuam, felix hunc discum verte. Fuisse vero Gabatam hanc  
 Albanam recipiendis Eulogiis destinatam, ex Venantio Fortunato  
 potissi-

Cap. VIII.

IX.

X, XI, XII.

XV.

XVI.

XIII.

XIV

XVII.

XVIII.

XIX.

- potissimum colligit, qui similis gabatæ argenteæ Inscriptio or-  
biculari pariter ornatæ, in qua ipsi Eulogiæ mitterentur, mentio-  
nem fecit. Erant autem Eulogiæ panes oblati in ecclesia, ex qui-  
bus pars aliqua ad usum S. Cœnæ seligeretur, *περισσέματα* vero  
inter rei sacræ administratos distribuere, qua de re pluribus Ba-  
ronius, Menardus & omnium luculentissime Cangius, item, quem  
nos addimus, Simplicius Verinus, h. e. Cl. Salmasius Lib. de Trans-  
substantiatione contra H. Grot. Qua occasione simul egregie pro-  
bat, ejusmodi vasa aurea & argentea, seu anathemata a principibus  
XXI. viris in ædibus sacris fuisse oblata. Ritum quoque & vasa ista Deo,  
XXII. offerendi, & literas donationum testes super altare deponendi in  
sequentibus perspicue docet. Ista vero donationes, quamvis ec-  
clesiæ factas, ipsi tamen Deo fuisse exhibitas, ex Caroli M. Capi-  
XXIII. tularibus Baluzianis diserte probare instituit. Sub finem denique  
univerfi Commentarii, donationes ecclesiis factas sacrificium &  
XXIV. holocaustum fuisse dictas, contra quendam sibi adversarium vali-  
de ostendere conatur.

*RUFII EPHESII DE VESICÆ RENUMQUE  
morbis, de purgantibus medicamentis, de partibus Corpo-  
ris humani, nunc iterum typis mandavit GUILIELMUS  
CLINCH, M. D. qui & Dissertationem de Autore ejus-  
que scriptis, una cum Commentariolo de usu idoneo  
Vesicantium in morbis curandis  
adjecit.*

Londini, typis J. Bettenham, 1726, 4.

Alph. 1 pl. 2.

**R**ufum Ephesum, scriptorem nitidum & eruditum, hactenus  
vero tantum non intermortuum, doctis philiatris redonare  
Diff. de Ruf. consilium cepit Cl. Guil. Clinch. Quum enim unica Turnebiana  
ejusq; script. Editio Græca adeo rara esset, ut in amplissima urbe Londinensi  
fol. XIX. vix unum aut alterum exemplum posset inveniri; Cl. Autor ho-  
ras se haud melius collocaturum judicabat, quam si antiquum  
hunc scriptorem denuo prelo subjiceret. Rufi ætatem ad Trajani  
Imperium, Smidæ autoritate, esse referendam, cum Dan. Cleri-  
co,

co, Mercklino, Fabricio aliisque Cl. Editor potius credit; quam quod Tzetæ fidei habendam esse statuat, qui Rufum Cleopatrz reginz Medicum fuisse asseruerat in suis Chiliadibus. Continen- tur vero hoc Libro tria *Rufi Ephesi* Opuscula, ex pluribus aliis de- perditis & a Cl. Fabricio commemoratis nobis adhuc reliqua. Primum de renum & vesicæ affectibus ita comparatum esse arbi- tratur Cl. *Clinch*, ut Autor in eo non modo minutissima quæque morbi discrimina breviter & dilucide notaverit, sed etiam curan- di viam indicaverit & uberiorem remediorum copiam suggesse- rit, quod ibi fusius per capita docet, ut omnem fere in hac re no- titiam, quam assequuti sunt posteri, a *Ruso* accepisse videantur. Alterum de purgantibus, quamvis magnam sui partem inutilem, dignum quoque attentione Noster cenlet, quod singulorum pur- gantium virtutes peculiâres, & in quibus humoribus subducendis & affectibus curandis quædam præ ceteris excellant, accurate in eo tradantur. Tertium denique tripartitum de Corporis humani partibus, ideo lectu utile atque jucundum iudicat, quod Autor in illo non nudam solummodo partium descriptionem ante oculos posuerit; sed earundem etiam usus pro istis temporibus haud perperam explicaverit; præterea primus Erasistrati errorem Me- dicis eripuerit, venas quidem sanguine, arterias vero spiritibus solum impleri; & licet cum illius, tum Herophilli sententias in rebus anatomicis ut plurimum sequeretur, sæpius tamen in cor- poribus incidendis a calcato tramite eum deflexisse monet, quod vel ex eo liquido patet, quod vasa quædam in utero antecessoribus suis incognitaprehenderit. De ipso *Rufi* stilo Noster ita exi- stimat, esse eum nitidum, simplicem, ad argumenti scopum re- rumque dignitatem accommodatum, dictione Atticâ decorum. Textus Græcus ex Editione Turnebiana satis nitide & emendate est descriptus, quum Cl. Editor Codicem nullum MSt. nec Ber- nensem ac Cel. nostro Fabricio laudatum, ad manus haberet, quem consuleret. Versionem adiecit partim ab Anonymo, partim a Ju- nio Crasso continuatam, in plurimis vero, ut ipse fatetur, infide- lem & manca, hincque ab ipso passim emendatam. Nullas plane Observationes Textui subiecit, quum tamen dignus esset omnino *Rufus*, qui docto Commentario illustraretur, unde factum, ut duo

fol. XI.

IV.

XIV.

XVI.

XVII.

XIX.

XVIII.

- manifesta & insigniora menda in ipso resederint, quæ bona cum Cl. Editoris venia hic indicare & emendare placet. Lib. II de Part. human. Corp. Cap. de Liene legitur : *σπλήν κείτω κατὰ τὸ εὐώμεν ὑποχόνδριον παρεκτενόμενον ἐπὶ μῆκ*Ⓞ. *αἰθρωπίνω ἴχνη*. Quis hic non videt, legendum esse *παρεκτενόμεν*Ⓞ, nam ad antecedens *σπλήν* respicit, nec bene quoque Græce dici *ἐπὶ μῆκ*Ⓞ *αἰθρωπίνω ἴχνη*? Scilicet locus integer, ut plura alia, transcriptus est ex Hippocrate sive Autore Libelli de Anatome, ubi ita legitur : *ἐκ δὲ πλευρῆς νύθης, λέγω δὲ ἀριστερῆς, σπλήν ἀρξάμεν*Ⓞ *ἐκτέτατα, ὁμοειροσμός ἴχνη πιδός*. Hæc vix dubitamus sic expressisse *Rufum* : *παρεκτενόμεν*Ⓞ *ἐπὶ μῆκ*Ⓞ, *ἐπεικώς αἰθρωπίνω ἴχνη*, quum probabile videatur, vocem *ἐπεικώς*, ob soni æque ac literarum vicinitatem, propter antecedens *ἐπὶ μῆκ*Ⓞ, excidisse : imo magis placet, illud *ἐπὶ μῆκ*Ⓞ plane esse mutandum in *ἐπεικώς*, quia significationis vis latet jam in antecedenti voce *παρεκτενόμεν*Ⓞ, meliusque sic conspirat cum loco Hippocratis. Lindanus quidem in Med. Phys. C. V p. 68 hunc locum emendare quoque tentavit ; sed paulo violentius pro more & infelicius, quod ibi legi potest. Alter locus apud *Rufum* eodem Libro Cap. de Intestinis legitur : *τὰ ἔντερα ἐλακκῶν εἰλημένω πρὸς ὑποδοχὴν τῶν τῆς κοιλίας ὑποβιβαζόμενων σισμῶν*. Certe vox *σισμῶν* monstrum est Græcæ ignotum, & quivis Græce modice peritus ex contextu legendum esse videt *σιτίων*, quod modo præcesserat, ut emendandum jam monuit Foef. in Comment. ad Hippocr. Lib. de Anatome. Nec inconcinrior vero foret lectio *σηπτῶν*, h. e. alimenta digesta, concocta jam & hinc infra dejicienda, quibus apud Hippocratem opponuntur *σιτία ἀσηπτα*, cibi indigesti, apud quem *σῆψις* quoque pro concoctione sumitur, & *σηπτική κοιλίη* pro ventriculo concoquente ; plura Foefius in Oeconom. Hippocr. & Casaubon. ad Athen. L. VII c. I p. 475. Ut aliquid tamen de suo adjiceret Cl. Editor novæ huic *Rufi Ephefi* Editioni, præter duplicem Indicem vocum Græcarum & Latinarum, ad calcem Libri addidit Commentariolum de usu idoneo vesicantium in morbis curandis. In quo, præmissa brevi de inventione hujus remedii historia, multus est, ut probet, vesicantia in febribus malignis & inflammatoriis, pleuritide, peri-



pnevmonia, item variolis, nec non Ischiade, imprimis vero in p. 10.  
 apoplexia, vertigine, Comate & epilepsia egregium prorsus usum II.  
 præstare, si caute & opportune adhibeantur. In Ischuria quoque 12.  
 renali & vesicali, diureticis nihil sæpe proficientibus, urinam  
 quandoque provocari a vesicantibus, tribus vel quatuor ad sum-  
 mum adhibitis, subnotat. Utrum vero in cutaneis affectibus sa- 13.  
 nandis proficiant Cantharides cuti appositæ, nec ne, se nondum  
 expertum fuisse fatetur, quamvis eas in alopecia ab Archigene  
 commendatas fuisse scripserit Aetius Amiden. qui ipse ad lepram  
 curandam, cum aliis medicamentis erodentibus muscas illas foetid-  
 as se commiscuisse commemorat.

*SYLLOGES EPISTOLARUM A VIRIS IL-  
 lustribus scriptarum Tomi V, collecti & digesti per  
 PETRUM BURMANNUM.*

Leidæ, apud Sam. Luchtmans, 1727, 4.

Tom. I Alph. 4 plag. 4; Tom. II Alph. 4 pl. 14; Tom. III Alph. 4  
 pl. 17; Tom. IV Alph. 4 pl. 12, & Tom. V Alph. 4 pl. 19.

**S**ylloge hæc Epistolarum tot nominibus sese commendat, lecto-  
 risque animum advertit, ut difficile sit, de ea dicendi initium  
 expedire. Et quamquam ejusdem generis plura Corpora dudum  
 in manibus eruditorum fuerint; nunquam tamen antea tam in-  
 signe, tamque utile Opus vulgatum esse, quilibet fatebitur, qui  
 has illustrium Virorum Epistolas vel obiter inspexerit. Argu-  
 mentum hujus laudis, prorsus singularis, nos minime a magnitu-  
 dine libri, ab nitore chartæ & elegantia typorum, quo utroque ex-  
 cellit, desumimus: neque eruditis tot nomina, Morellum, Span-  
 hemium, Meursium, Reinesium, Mercerum, Vulcanium, Meibo-  
 nium, Livinejum, Rigaltium, Lindenbrogium, Lernutium, Jun-  
 germannum, Torrentium, Camerarium, Sarravium, Bochartum,  
 Rittershusium, Gevartium, Vossios, Gifanium, Sirmondum, Gru-  
 terum, Casaubonum, Valesios, Douzam, Gronovios, Salmasium,  
 Rubenium, Seldenum, Grotium, Perizonium; ne quidem Paul-  
 lum V Papam, Christinam Sueciæ Reginam, Nassaviium Comi-  
 tem, Sfortiam Cardinalem, Baronium & plurima alia nomina il-

lustris, quorum Epistolæ hic exhibentur, imputamus, utut magnificentum satis existimandum sit, trecentorum amplius hominum doctissimorum, & quorundam plusquam trecentas epistolas a Celeb. Editore evulgatas esse. Sed illud nos maxime movit, quod historiarum universarum, potissimum autem literarum, earumque secretiori, novæ lux, quæ integrum seculum illustrat, accensa sit: quod de omnibus partibus eruditionis istarum epistolæ familiariter disserant, eaque etiam proponant, quæ in scriptis omnium oculis exponendis auctores gravissimi dissimulassent: quod denique Artis potissimum Criticæ innumera specimina contineant, quæ ab amicis examinata, & sine fuce aut probata, aut rejecta sunt: quo nihil utilius in illa disciplina reperiri potest. Amici enim aperte disputant, neque retractare & emendare, quæ amico tantum exhibita sunt, multum pudet, si meliora fueris edoctus. At qui cogitationes immaturas in publicum propellunt, ne errasse videantur, pertinaciam induunt pro causa, & non sine detrimento eruditionis, si non peritis, inperitiosis tamen imponunt. Qui mores in omni doctrinarum genere periculosi, in arte autem Criticæ & periculosi, & frequentissimi sunt. Ista autem specimina ad omnes fere, saltem potiores, Latinos Græcosque Scriptores pertinent, & quod diximus, magno numero afferuntur, quod in aliis hujusmodi collectionibus, si paucissimas excipias, non reperitur: sive quod auctores earum epistolarum ab hac parte eruditionis alieni fuerint; sive quod colligentes hæc bellaria non curarent. Quod utrumque in præfenti Sylloge aliter se habet. Omittimus, quæ singularia hic per familiaria colloquia manifestantur ad notitiam personarum atque interioris & domesticæ vitæ eruditorum Virorum, aut scriptorum eorundem apprime utili, ita, ut nunc certo intelligi queant, quæ, absque his subsidiis fuisset, per suspensiones tantum indaganda erant. Cujus rei non ex Lipsii tantum, sed etiam ex Grotii, Heinsii aliorumque epistolis varia documenta afferre liceret. Omittimus etiam characteres egregie depictos, & dulcissimas confabulationes, quæ multo magis animum demulcent, quam si remotam longe a nostra ætate rem gestam, historiam Amatoriam, Tragediam aut Comœdiam legas. Tot bona debemus industris Viri Celeberrimi *Petri Burmanni*, qui incredibili studio

&amp;

& improbo labore non tam collegit (multæ enim in bibliotheca Leidenſi jam paratæ jacebant epiſtolæ, plures undique ab omnibus eruditis offerebantur) quam propria manu, ne operæ aberrarent, deſcripſit & diſſoluit eruditiffimas has Epiſtolas. Quod quanto cum tædio fuerit conjunctum, vel ex Lipſi manu, ejusque obſcuris & inexplicabilibus literarum ductibus conſpicere licet: cui ſi addas, tot Eruditorum ſcripturas legendas fuiſſe & intelligendas, vel hanc ob cauſam Celeb. Editoris patientiam miraberis. Præterea non modo utiliſſimos Indices toti Operi ſubjici curavit; ſed etiam paſſim Epiſtolis ſuas obſervationes adjecit, quibus aut errores quosdam emendat, aut obſcuriora ex optimis monumentis, sæpe etiam ex Actis Academiæ Leidenſis ineditis illuſtrat, hiſtoriam maxime attendens, ut eo majore cum fructu hæ epiſtolæ a quolibet legi queant. Quo ſpectat, quod breves etiam annotationes imprimi curaverit, quas aut illi, qui epiſtolas acceperant, aut hi, quibus communicatæ erant, oræ exemplorum appinxerunt: quod ex ſingulari exemplo patebit ex Tomi I Epiſt. CV, ubi a manu M. Ant. Delrii notæ. Adderemus, eruditam, ut ſolet, Præſationem a Celeb. *Burmanno* præmiſſam eſſe, qua de uſu hujus Sylloges, exemplo etiam ab Lipſio & N. Heinfio petito, late diſſerit, niſi hoc, nobis etiam tacentibus, omnibus notum eſſet, & nos de Lipſio ſilere malimus. Sed de Epiſtolis Lipſii hoc monere debemus, non hic vulgari Epiſtolas, olim ab ipſo autore, aut poſtea a Pontano, Goldaſto, Uffenbachio aliisque editas, quæ opinio in quorundam animos irrepiſit; ſed novas & antea nunquam typis deſcriptas, in quibus adeo multæ, quas Lipſius in vulgus edi minime voluit: multæ, quas alii viri illuſtres & doctiſſimi ad Lipſium ſcripſerunt. Unde factum eſt, ut Lipſianæ hujusmodi Epiſtolæ integrum *Tomum primum*, & primam partem Tomi ſecundi occuparent. Sunt quidem paucæ, quæ jam alibi evulgatæ leguntur: interim tamen & illæ non fruſtra hic repetuntur. Etenim non ipſe modo Lipſius Epiſtolas ſuas aliter edidit, ac ad amicos ſcripſit, quod exemplis ex hujus Sylloges Tom. I Epiſt. XXIX, XCI, CXLV, CXLVI, DCLXI, DCLXXII, DCCCI patet; ſed etiam quæ in communibus editionibus leguntur ab aliis evulgatæ, aut mutilæ ſunt, quod vel una iſta Epiſt. DCLXXXIV & alia Jani

T. I.

Douze in hac Sylloge No. CCXXVI & alia Lipsii No. DCCXL, quam Gesnerus edidit (ubi omnino Celeb. *Burmannus* videndus) nec non Tom. III, inter Heinsii & H. Vossii mutuas Epist. LXXIX, declarabit, aut iis locis, iisque libris descriptæ sunt, ubi lector eas haud facile quærat, quomodo Epist. XXV a Th. Crenio olim A. 1696 vulgata est post tractatus de Philologia pag. 480, & Epist. CCCLXXXVII in Editione Statii Crucei post notas Morelli ad lib. I Silv. IV v. 100. Præterea & hoc memorabile existimamus, non modo satis amplas emendationes Taciti Autore *Hieron. Groslotio Lisleo* post Epist. CCCXL, nec non *ζητήματα* quædam & *ἀπορήματα* super libris Lipsii de militia Romana, Autore Dausquejo, & Observationes ad eisdem Poliorcetica, & alias Autore Delrio post Epist. DCCCXXX ex MS. subjici: sed etiam rariores duas Epistolas in ista Sylloge reperiri a Polonis scriptas; altera est DCCXXXV Fabiani Biacovii, modici libri instar, inepta sedulitate, ut ipsi Autori visum, conscripta; altera Stanislaï Rescii, No. DCXVI, infanissimæ imitationis specimen, quippe cujus omnia fere verba ex aliis autoribus descripta, & quod putidissimum, autorum nomina, unde sua hausit, in margine annotata sunt. Tantum de *Lipsianis*.

T. II.

Post eas sequuntur *Tom. II* Variorum Epistolæ partim ex Bibliotheca Leidensi, partim aliunde depromptæ. In his sunt Epistolæ Bernardi Oricellarii, Julii Pflugii, Nicolai Nicolai, Hier. Montii, Splinteri ab Harge, Philippi Cobelii, Jo. Calvini, Joannis Saxonis oppido eruditæ, Jo. Pipini, plures ad *Cassandrum* ab Joach. Hoppero, Jo. Molinæo, Com. Gesnero, Petro Ximenio, Andrea Masio, Jo. Metello, Peregrino Wilachio aliisque scriptæ. Epist. LXX est Pauli Manutii Aldi F. Sequuntur non parvo numero ad *Jos. Scaligerum* datæ a Gifanio, Bosio, Morello, Sylburgio, Christmanno, Rittershusio, Taubmanno, Lindenbrogio atque aliis usque ad Epist. CXXVIII, licet his etiam quædam aliæ Epistolæ, uti ad Douzam &c. insertæ sint. Christmanni illa tota de Arabico textu in literas Hebræas transfundendo agit, deque ejus argumento per Collegam suum Cl. Jo. Heymannum eruditam observationem adjici curavit Celeb. Editor, qui in eadem parte, pag. nempe 308, festinando notulam loco non suo aptasse videtur.

detur. Deinde leguntur *Hug. Grotii* ad *Rutgerium*, *Dan. Heinsium* maxima parte, quæ *Baudii uxoris* mores, inter alia, graphice depingunt, *Elmenhorstium*, *Schottum*, alios gravissimæ *Epistolæ*, ex quibus notari, ob insignem utilitatem, meretur *Epist. CXXXVI*, qua de *Oratione Baudii* exactum tulit iudicium: quam nec reliquæ minorem utilitatem præstabunt. His subjunguntur a No. *CCXXIV Danielis Heinsii* ad *Elmenhorstium*, *Polyandrum*, aliosque, nec non *Buxtorffii*, *Bangii*, *Lud. Camerarii*, *Colvii*, *Schoockii* aliorumque ad *Heinsium* *Epistolæ*. Deinde a No. *CCLV* incipiunt *Salmasianæ*; hoc est, a *Jungerimanno* potissimum & *Jo. Frid. Gronovio*, tum & paucis aliis ad *Claud. Salmasium* scriptæ, ex quibus maximum ingenium *Salmasii* etiamnum pueri, & humanitatem atque integritatem summi *Gronovii* non sine voluptate recognoscas. Notatu digna est *Epist. CCCXXXII*, ex qua apparet, quibus artibus obtrectatores *Salmasii* eum & *Gronovium* committere tentarunt: nec minus jucunda, quæ *Epist. CCCXLVIII* adtexuntur, unde discimus, quanta *superstitione Batavorum* nonnulli comæ habitum examinaverint. *Epist. CCCLI* justo acerbius *Freinsheimio* irascitur *Gronovius*: inde tamen liquet, cur ad *Tacitum* & alibi paullo durius acceptus sit bonus ille *Freinsheimius*. Neque *Epist. CCCLXV* contemnenda est, quam publico nomine *Jo. Wevelinchovius* ad *Salmasium* scripsit, ut in *Academiam Lugdunensem*, bonis conditionibus, sese conferret. Excipiunt has, quas viri docti ad *Nicol. Blancardum*, & hic ad alios scripsit, inter quas *Epist. CCCLXXIII* *Jo. Fr. Gronovius* docet, quam rationem in edendis autoribus sit secutus, & ad eandem *Blancardum* vocat. Cum *Epist. CCCXCII* jam incipiunt *Heinsianæ*, nempe primo loco *Gisb. Cuperi* & *N. Heinsii* mutæ, & unica *Epist. CCCCXLVII* *Cuperi* ad *Stephanum le Moyne*. Deinde *R. H. Schelii* & *Heinsii* mutæ: tum *Rubenii* ad *Heinsium*, in quibus unica tantum *Heinsii* responsoria: post *Casparis Gevartii* ad *Heinsium*, quæ ubertate eruditionis cum *Cuperianis* prope certare possunt. Imprimis autem multa ad *Nasonem*, *Valer. Flaccum* & *Claudianum*, quos tum temporis edebat *Heinsius*, a viris doctis conferuntur, unde neque iudicia de *Claudio Barthii* interposita lector mirabitur. His adhz-

rent

rent deinde Henschenii, Steenbergii, Bollandi, Wallii, Papebrochii, Ad. Vorstii, Jani Delly, Sam. Tennulii, Jo. Colini & quorundam aliorum Epistolæ, de quibus notamus, quod Janus ille Delly Epist. DII acerbissime Salmasium exagitet, & Heinsum stimulet, ut contra illum infurgat; Epist. autem CCCCLXXXV Jac. Wallius, & Epist. CCCXCVIDan. Papebrochius, uterque ex Societate Jesu, bonum Heinsum nimis aperte sollicitant, ut ad castra Pontificiorum transeat. Atque hæc de Tomo II.

T. III.

*Tomus III* N. Heinsii, J. Fr. Gronovii, If. Vossii, Jan. Vlitii, Arn. Schlichtenhorsii, Vinc. Fabricii, Ez. Spanhemii & Hadr. Wallii maximam partem mutuas exhibet, de quibus si dicere incipimus, vix videmus, quomodo exitum huic scriptioni invenire licebit, quam jam nimis excrevisse sentimus. Gronovio animum fuisse edendi Guntheri Ligurinum, ex Epist. II discimus, sed deterritus est judiciis hominum de Statio & Silio, quibus non male fecerat. Critici munus idem vir maximus describit Epist. XII. Ex Epist. LXXX & LXXXIII non ingratum est cognoscere, quæ acciderint Gronovio, famæ jam tradito, cum apud Gallos summos in jure honores ambiret. Emendationes autorum, & alias pereruditas observationes singulæ Epistolæ habent. Dolendum tamen, non omnes Responsorias Heinsii, quæ demum ab Epist. XCV (circa quæ tempora Heinsum binis exemplis epistolas scripsisse, conjicimus: quod ipsum in Heinsii & Grævii Amœbæis alicubi indicatum legisse meminimus) incipiunt frequentiores esse, his adjici, quas tamen Leidæ servari necesse est, cum Gronovium eas perdidisse vero minime omnium sit simile. Facile lectores de invidia suspicabuntur. Lepidas sane fuisse & hilares ab adolescente Heinsio scriptas, ex Gronovii testimoniis patet, qui toties leporem, venustatem & elegantiam Heinsii prædicat. Idem firmat exemplum Epist. XXXV, ubi ita Heinsius: *Amicissime mortalium. Mœvris κακίῳν fui. Postquam enim a nobis discessisti, non contemnendo morbo operam dedimus, & ne omnino ociarmur, egrotare vix tandem vacavit. Fauces vehementi tumore constrictæ agrum respirare vix permittebant, usum deinde cibi recusabant, ne jam dicam de Baccho, cui profecto bellum acerrimum indictum erat, & anginam rivalem experiebatur, miserrimeque*

meque exclusus, invito Heinſio tuo, plorare cogebatur. Vides, quam degenere morbo laboraverim? ſed Medicorum opera, purgatoriis, cataplaſmatis, & vena ſeſſione faucibus meis tandem proſpectum eſt. Nunc cum natibus meis res eſt. Negat enim Medicus bona ſanitate me poſſe frui, niſi inferius guttur obſtructione liberetur. Quid agam, amice! egone nates meas, partem tam nobilem, tam illuſtrem, tonſori aut pharmacopœo alicui inſimo mortalium purgandas committam? quod nunquam futurum exiſtiſſem, poſt manus ſerula ſubductas, Analyticis poſterioribus adhuc metuendum fore? in quas pedagogorum turba nunquam ſexiit, nunc demum inſpectum iri? quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati? proſpecto parum abeſt, quin cum Theſeo præcepta juſtitia diſſent. Si tu adeſſes, amice, nuſquam effugeret, quin a natibus mihi eſſes conſiliarius. Magni enim momenti res eſt. Ego interim, ut fortem & prudentem decet virum, neceſſitati conſulam. Hæc Heinſius. Reſpondet Gronovius Epist. XXXVI: Nefcio an jam aptus ſis redditis jociſ audiendis: ſed ſi non periit pyga tibi, aut apud inferos Theſeja æmula præcepta bene ſedendi diſſat, tantisper, ſpero, te ſuffulciat, dum unas ad me exares. De munere, quo me cohonestatum fuiſſe liberaliter pollicebaris, ſi aſſorem, gratiam feciſſem lubens. Periculoſum eſt enim alienis intervenire ſecretis, & merito verubar, ne Iſis irato ſiſtro lumina mea feriret, ſi tam ſacram cryptam præfano viſu turbare auderem. Hæc Gronovius, ſatis graviter. Sed hilaritatem & libertatem Heinſii nuſquam melius, quam ex ejus & Grævii mutuis cognoſcas, & nos ejus rei paullo infra exempla dabimus. Interim & iſte jocus pudoris Heinſiani documentum eſſe poterit: & habet totum illud, de quo agitur, negotium, quæ viro ingenuo ſimilem laborem, ſimilemque indignationem excutere queant, ut facile excuſandus ſit, ſi ea in re paullo verbosior appareat. Attentione digna eſt Epist. CXXXI, qua Gronovius Heinſium docet, quomodo agere debeat, ſi Bibliothecarum Italicarum, Medicæ potiffimum, aditum ſibi facilem & utilem reddere velit. Epist. CCLXI narrat Gronovius de Caſp. Barthii Adverſariorum Commentariorum Tomis reliquis duobus jam editis, ſed illi Tomi lucem nondum viderunt, neque tamen ſtran-

gulati jam sunt, ut in nota suspicatur *Celeb. Burmannus*, sed premuntur a certis hominibus, qui eos bibliopolæ magno pretio, vendere tamen volunt. Interim ex iis quædam sublegit Vir magnus, & inter Reliquias MSptorum vulgavit, si famæ credere licet. Epist. CCLXIX de morte & singularibus opinionibus Salmasii agit Heinſius. De illa hæc habet: *De spectro* (de quo Gronov. Epist. CCLXVII) *res faceta est. Conjux vicum exagitarat, nunc ille conjugem mortuus. Appositum apud nos proverbium scis*, Elcke Duyvel heeft syn maent. De Christina Regina multus hic sermo. De causa ejus ex Romana aula discessus ira Heinſius Epist. CCLXXXVII: *Pontificem nonnihil offendisse dicitur dicitate sua, cum alias ob causas, tum quod Insignibus, seu Armis ejus, quæ tres montes præ se ferunt, subscripserit, PARTURIUNT, nostri cetera*. Gravissimum est judicium Gronovii Epist. CCCLXXVIII, qui, postquam loca quædam ab Heinſio sollicitata bona expositione vindicaverat, addit: *Obsecro te, ne lomento & nitro nimis utamur, & dum sordes eluimus, venas ac viscera autorum aperiamus*. Sed abstinemus plura notare, & monemus, hanc partem Epistolarum claudere Laur. Theodori & Jac. Gronoviorum, quibus de morte venerandi Patris & fortunis suis Heinſium reddunt certiore. Sequuntur *Isaaci Vossii* & ejusdem N. Heinſii mutæ, in quibus non tantum quidem eruditionis, quantum in istis: multa tamen de historia rei literariæ ejus temporis, de libris, viris eruditis & celebrioribus Bibliothecis continentur. Proximæ sunt *Jani Vlitii* & N. Heinſii mutæ, priores tamen XLVII Vlitii tantum, sine responsionibus Heinſii, quæ cum Epist. XLIX incipiunt. Sequuntur *Arn. Schlichtenhorsii* ad Heinſium: post *Vinc. Fabricii* & Heinſii mutæ: mox *Ezech. Spanhemii* & ejusdem Heinſii mutæ: quæ, præter eruditionem, etiam publicæ rei partem aliquam attingunt, cum huic apud Batavos, illi apud Electorem Palatinum ejus cura aliquo modo esset commissa. Explicit hic Tomus in Hadr. Wallii & Heinſii mutis.

T. IV.

*Tomus IV* Heinſii & Grævii mutas complectitur, quibus in fine Perizonii & Heinſii mutæ subunguntur. Et illæ quidem tot deliciis, ea eruditione, ea venustate & lepore refertæ sunt, ut animum



num legentis mire afficiant, & hæ vel solæ insigne pretium huic Syllogæ concilient. Videbis hic candidissimas animas modo de rebus eruditis disputantes, modo familiariter jocantes, de privatis modo, modo de publicis rebus graviter differentes, eo quidem stilo, qui per se lectorem capere posset. Grævius cum uxore sua ad Heinsium excucurrerat, & ille pro epulis, quibus accepti erant, gratias rescribat: respondet Heinsius Epist. LXX: *Apparatum, quo tu ac uxor nuper apud me excepti estis, tenuem admodum ac frugalem, quod extollis miris laudibus, quasi laudissimum, aut ludis ac jocularis, aut non meministi, quam tu dissimilis nostri in his soleas apparere, homo splendidissimus & mire dapflis. Quapropter sic velim hac parte laudandus tibi ac aliis videri, ut frugalitatem meam epulemini. Quanquam urbane hoc, ut cetera, a te factum credo, ne ego excusando deprecandoque culpam altius desudem, quam non admitti satius omnino fuisset. Sed vos videritis, ne si iterum ad egrotum visitatis, cœna ferali denuo excipiamini. . . . Tu quidem patribus conscriptis cum me ultro accenseas, oportet recorderis tamen, non esse ex pedariis. Avolavit a me tota Pegasorum cohors jam pridem, ut nec meis nec alienis pedibus ad vos venire integrum sit mihi. Autor potius sum vobis, ut, quando dentes rursus prurient esuritionis libidine, recta ad me contendatis. Ita enim fiet, ut inanitate pleni, sicut nuper, domum revertamini. Similia fere habes Epist. LXXIII. Cum Grævius editionem Suetonii nimis prolataret, & ob id aliquoties reprehensus esset ab Heinsio, hic deinde, data occasione, ita Epist. LXXVIII: *Uxori tuæ Junonem Lucinam obvenisse propitiam, letor equidem atque exulto: de feminino partu, non est quod mireris tamen. Nam a te cunctatore tanto quid virile masculumque potuit expectari? In eo etiam injuriosus es, quod persuasum nobis cupis, exaruisse tua in conjugè venam illam, quæ masculos erat datura. Graviter illa partibus suis equidem est functa, nec ultra maternos menses protraxit: tuum secuta exemplum non mense decimo, quod fecit naturæ convenientissimum, sed bercule decimo anno, elephantinum in morem, peperisse debuit. Tuum sit igitur masculorum genitura totum te dare &c. De Jac. Gronovio**

Epist. LXXX, CV, CXC, CCXXVI, & aliis quædam, tecto nomine, memorabilia referuntur. Inde ab Epist. LXXXIII, multa de re publica, & maxime de invasione Gallorum in Fœderatas Provincias, quam longe præviderat Heinſius; qui & de cauſis ſapienter diſputat. Et cum Trajectini, apud quos tum temporis Græuius docebat, Gallis ſeſe dediffent, ita ludit Heinſius Epist. XCI: *Si periculofum cenſebis ſuaviſſimis tuis intermiſcere nonnihil de rep. da ſaltem operam, ne, quo privata domi tuæ ſit loco, me ſinas ignorare. Quin & totum te in hoc nuncio occupari velim, & quidem verboſe ſic ſatis: quod ſi ſolutam legibus orationem ejuraſti, cantato ſaltem, ut gallum decet. Nam nos inter gallinas adhuc numeramur: reliqua omnino digna ſunt lectu.* Proxima Epist. XCII Græuius deditiõnem Trajectinorum multis verbis excuſat, eum tamen ſequentibus aliquoties pungit Heinſius. Epist. CIX iterum ingenii ſui ſingulare ſpecimen edidit Heinſius, ubi de nuncio Apoſtolico agit, de quo pergit Epist. CXI. Et huiuſce modi innumera annotare poſſemus, ſi leges noſtras transgredi vellemus. Addere tamen & illud licebit, frequentem in his Epistolis mentionem eſſe tricarum forenſium, & moleſtiarum, quas bono Heinſio creabat femina haud integri pudoris, quæ ope magiſtratus tori ſocia illi eſſe vehementer laborabat. Obtinuerat etiam mulier, cui nomen erat *Margaretha Wullenia*, (ſi reſte conjicimus ex Epist. CCXCIII Heinſii ad Gronovium) ut Senatus Amſtelodamenſis litem ſecundum ipſam daret; ſed Heinſius, qui tum illi Senatui ab Epistolis politicis erat, provocabat ad Senatum Hagenſem, eoque facto munus ſuum perdere, quam famam, malebat. Ut propius eam Venerem noſcas, vide & Tom. III huius Sylloge Epist. CCCXVII. Optime ſuadebat integerrimus ille J. Fr. Gronovius, tutiſſimumque putabat contemnere nummos & decidere cum femina. Sed Heinſius cauſæ fidebat, & jam non modo liber eſſe, verum etiam vindictam volebat. At vix erit ulla fides tam inſperatæ ſententiæ: honeſta perſona, de ſumma rep. tot legationibus bene merita, tanta nominis & literarum fama, ſcorto condonabatur: quaſi ad lenocinium damnari pœna eſſet, ut ad beſtias aut in metallum. Abiente Heinſio, illa publice, ut dicunt, proclamabatur cum marito ſuo nolente & abominante.

Immo nuptias celebrat omni pompa, & paratissimis epulis excipit, more sollemni, convivas, Heinsio interim pro rep. laborante, aut in Maronianis & Silianis curis desudante. Quid est illudere probitati & literis ipsis, si hoc non est? sed plura de isto negotio ex his Epistolis colligi possunt, etiam de filio istius mulieris, qui Heinsium parentem dicitabat, quæ non transcribimus. *Perizoniana* Epistolæ, quæ Grævianis subjunguntur, notam ejus viri eruditionem spirant, & vel solo nomine sese satis commendant.

*Tomo V & ultimo Epistolæ Nic. Heinsii & Schefferi, Columbi, Reinesii*, (post quas una J. Fr. Gronovii ad Reinesium inseritur) *Jo. Andr. Bossii, Daumii, Rottendorffii, Fr. Ben. Carpovii, Christoph. Arnoldi, Th. & Philippi Munckerorum, Luc. Holstenii, Leonis Allatii, Jo. Rhodii, Nat. Rondinini, Off. Falconerii, Guid. Patini, Fabrotti, Sarravii, Heraldii, Bullialdi, Bern. Medonii, Jo. Bapt. Lantini, Philiberti de la Mare, P. Possini, Henr. & Hadr. Valcesorum, Sam. Bocharti, P. Seguii, Claudii Joly, P. Petiti, Thevenoti, Huetii* maximam partem mutæ, deinde Heinsii ad *Christinam Reginam* plures, paucæ denique ad *J. Fr. Gronovium* inter projectas schedas repertæ, & una ejusdem ad *II. Vossium* continentur. Subjunguntur Indices, primus eorum, qui Epistolas scripserunt; secundus Virorum & Illustrium, quorum mentio in iis facta est; tertius Rerum & Verborum; quartus Autorum illustratorum & emendatorum.

T. V.

CONTINUATION DES MEMOIRES DE LITERATURE & d' Histoire de Mr. DE SALENGRE.

h. e.

CONTINUATIO RELATIONUM SALENGRIANARUM ad rem literariam historiamque spectantium.

*Tomi I P. I & II.*

Parisiis, apud Sibartum, 1727, 12 maj.

Alph. 1 pl. 8 ½.

**A**Nte decennium, & quod excurrit, Vir doctissimus, *Albertus Henricus de Salengre*, Batavus, Fasciculos aliquot Dissertationum

tionum a se ipso elaboratarum, quibus, præter alia ad historiam & rem literariam spectantia, imprimis de libris jam dudum impressis, sed qui vel merito suo, vel raritate, vel fama etiam singulari, se commendant, eorumque autoribus, aliquid scitu dignum referret, sub titulo: *Memoires de Litterature*, in publicum edere cœpit successu satis felici & magno eruditorum plausu. Hoc institutum antea, ni fallimur, jam interruptum, postquam morte Salengrii, quæ A. 1723 accidit, plane cessavit, præsentî libello restaurare videtur hujus *Continuationis* Cl. Autor *P. Desmolets*: sed videtur tantum. Haud enim idem ipsius, ac Salengrii, institutum est; sed plane diversum: scilicet dissertationes, non a se ipso, sed aliis autoribus elaboratas; tractatus, non dudum in publicum emissos, sed adhuc ineditos, ad imitationem Bibliothecæ Bremensis & Observationum Halensium exhibet: ut adeo titulum: *Continuationis relationum Salengrianarum*, hoc opus sine titulo possidere jure dicatur. Sed hæc satis de rubro, videamus jam quid nigrum contineat.

Sistit autem pagina 1 sq. epistolam anonymi de veteri modo observandi Sabbathum diesque festos, nec non de zelo Laicorum pro officio divino, qua Christianos olim noctes diesque in templis inter preces & cultum divinum peregrisse, imprimis autem diem Dominicam a Solis occasu feriæ septimæ usque ad vesperam feriæ primæ magna devotione & indefesso pervigilio celebrasse, multis autoritatibus probatur. Pag. 19 seqq. exhibetur *Claudii Maibai Oliverii, Massiliensis Advocati*, dissertatio peringeniosa, in Criticam Platonis, qua Autor historiam Insula Atlantica, quæ in hoc dialogo enarratur, nihil aliud esse, quam historiam populi Judaici, tecte propositam, demonstrat, quam Plato a Solone, Solon autem a sacerdotibus Ægyptiacis acceperit. Populum enim Judaicum, dum per ducentos annos & ultra in Ægypto commoratus est, sat temporis habuisse, ut, quæ Deus patribus suis fecerat, populo, quocum vivebat, ordine enumeraret. Porro Josephi eminens inter Ægyptios dignitas, utriusque gentis, post exitum Israelitarum, commercium, matrimonium Salomonis cum Regis Ægyptiorum filia, compluraque alia, quæ de regibus Israelis & Ægypti in sacris monumentis leguntur, nullum dubitationi locum

cum relinquunt, quin historia Hebræorum celebratissima in Ægypto fuerit. Nec minus certum est, Philosophos Græcos perquam multa communicasse cum Ægyptiis, ad quos Solonem, Pythagoram, ipsum etiam Platonem, eruditionis causa, profectos esse constat. Cum ergo Critias, Solonis nepos, avunculus Platonis fuerit, non mirum esse, inquit *Oliverius*, si tanta notitia historię Judaicę a Sacerdotibus Ægyptiacis ad eum usque pervenerit. Descriptionem autem ipsius Insulę Atlanticę, fertilissimę nempe & amœnissimę, valde convenire Terrę Sanctę, adeo ut Solinus etiam ea, quę de Palęstina literis prodidit, ex hoc Platonis dialogo descripsisse videatur. Regio vero omnis a decem filiis Neptuni, qui ipsius Dei jussu terram inter se diviserant, habitata, perfecte respondet Terrę Judaicę, inter filios Jacobi jussu Domini distributę. Nec obstat numerus denarius. Josephus enim & Levi inter fratres suos proprie partem non habebant: unde etiam Justinus, qui ea ætate vixit, qua Judęi universo terrarum orbi erant notissimi, non plures, quam decem Judęorum tribus numerat. Quid quod Autor noster ipsa nomina tribuum Israelis in plerisque nominibus filiorum Neptuni invenit & detexit. Nam *Aser* idem est quod *Eudemon*, nempe Felicitas; *Gad* & *Ampheres* significat Cinctum; *Eumelus* divitem pecoris, *Ephraim* divitem fructibus designat; *Mestor* Consiliarius est, *Dan* Judex seu Judicium; *Autotenes* & *Benjamin* parum inter se differunt. Utrumque enim filium in ipsa regione, sub oculis patris natum, i. e. *filium dextra*, exprimit; *Manasse* demique, h. e. Memoria, *κττ' ἀντιφρασιν* idem est quod *Manasse*, h. e. Oblivio. *Atlas* autem, ex cujus familia, Critia narrante, perpetuo Reges Atlantici creabantur, & a quo ipsa Insula nomen acceperat, tribum *Judę* optime designat, apud quam regia dignitas diutissime permansit, & quę Judęę nomen indidit. Quod si quis templum Neptuni ejusdemque currum & quadrigas alatas ex auro puro cum templo Hierosolymitano & arca fœderis (vid. i Paralip. XXVIII, 18) item descriptionem urbis & palatii regii, cum descriptione Hierosolymarum & domus Salomonis, conferre voluerit, non unam inveniet similitudinem. Ex quibus omnibus pluribusque aliis argumentis Autor noster concludit, non Americam, sed Palęstinam, populi-

que

que Judaici historiam, ficta hac narratione describi. Pag. 48 *seqq.*  
*A. M. Gravcrius* peculiari dissertatione de Deo Crepitu infantum  
 illum Ægyptiorum cultum, quo crepitum ventris pro Deo ado-  
 rasse feruntur, excusat. Cum vero doctissimus Autor Scripturæ  
 dictis, verbi causa: *Psalmo CXXXV, 7, producit ventos de the-  
 sauris suis; Psal. XLIX, 11, qui volas & ambulat super pennas  
 ventorum, item Job. III, 8, Spiritus ubi vult spirat, & vocem  
 ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quo vadat &c.* hunc in fi-  
 nem abutatur, parum abest, quin blasphemix, vel ad minimum  
 profanationis verbi divini, crimen incurrat. Reliqua, quæ hujus  
 Tomi Parti primæ inserta sunt, opuscula non videtur operæ præ-  
 tium curatius recensere, cum præter *poemata quædam* & disserta-  
 tionem, de præferendo Herodoto præ Ctesia, vix aliquid lectu di-  
 gnum in iis invenerimus.

Accedimus jam ad Partem II, ubi primo loco nobis se offert  
*L. Annaei Seneca* Ἀπικειλοκύντωσις *Claudii Casaris, in linguam  
 Gallicam translata, stylo* sane eleganti & judicio limato: cujus  
 Autor qui nomen suum celare voluit, cum ex ingenio hiatus il-  
 lum, quem omnes post verba Claudii: *multo plus ego stercoreis  
 exhausti*, in hæc satyra esse sentiunt, paucis verbis explere & com-  
 planare, ex sequentibus etiam quædam conturbata in ordinem re-  
 digere, conatus sit; nos ea supplementa & emendationes, de qui-  
 bus doctorum sententiam Autor explorat, non equidem exacta  
 Gallici sermonis versione, sed stylo ad Latinum Senecæ textum  
 accommodato, hic exhibebimus. Post verba igitur Claudii modo  
 adducta, hæc sequantur: “His delinitus Hercules, Claudium in-  
 “ducit in cælum; ad cujus aspectum ingens subito tumultus  
 “inter minorum gentium Deos ortus est. Omnis turba circum-  
 “stat Claudium Herculemque, & num hoc monstrum dignum  
 “existimet, quod Diis misceretur, interrogant. Non quod dignus  
 “sit, respondet Alcides; *sed quoniam volo.* Tunc Semonum  
 “Princeps: *non mirum, quod impetum in curiam fecisti; nihil  
 tibi clausi est. Modo dic nobis, qualem Deum istum fieri velis;*  
 ἐπιπέρι Θεός non potest esse: ἔτε αὐτός περῶγμος ἔχει, ἔτε  
 ἄλλοις περῶγες. Stoicus? *quomodo potest rotundus esse? (ut  
 ait Varro) sine capite, sine præputio?* Mox alius defixis oculis  
 Clau-

Claudium intuens, est, ait, aliquid in eo Stoici Dei, jam video, nec cor nec caput habet. Si me hercules a Saturno petisset hoc beneficium, cujus mensam toto anno celebravit, fors tulisset. Sed non, inquit, Princeps spero admissum iri illum Deum ab Jove, quem quidem, quantum in illo fuit, damnavit incesti. Lucium Silanum enim generum suum occidit. Oro propter quid? Sororem suam festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare. Tum Claudius, quæso, inquit, quæro etiamnum, licetne sororem suam? . . . S. Stulte stude! Athenis dimidium licet, Alexandria totum. Cl. Atqui Romani, inquit, mores nos obligant. S. Hic nobis curva corriget; quid in cubiculo suo faciat nescio; ut jam cæli scrutatur plagas! Deus fieri vult? parum est quod templum in Britannia habet? quod hunc barbari colunt, & ut Deum orant? αἶψά λωπῆ Φυλάττε χῆν! Tandem Jovi &c. Hæc omnia si Senecæ non sunt, haud incredibile tamen est ea, vel simillima, Senecam scripisse.

Sequitur porro in libro nostro Epistola R. P. Poujati ad Abbatem Olivetum de conversione famigeratissimi Gallorum Poetæ de la Fontaine; tunc iterum poemata quædam haud magni momenti, nec non dissertationes aliquot historicæ, inter quas eminet illa, quæ Ctesiam Herodoto præfert, & regnum Assyriorum inter Noachi & Abrahami tempora collocat. Sed hæc, & quæ supersunt, bona lectoris pace præterire nos posse confidimus, cum jam plura de hoc libello dicta videantur, quam forte opus fuerat.

## HISTOIRE SECRETE DE NERON.

h. e.

NERONIS CÆSARIS HISTORIA SECRETA, seu cæna Trimalcionis, ex Satyra Menippæa PETRONII in linguam Gallicam conversa, & Notis historicis illustrata, a Dn. LABAUR.

Parisus, apud Steph. Ganeau & G.F. Quillau fil. 1727, 12 maj.

Plag. 19.

Y

Frag-

**F**ragmentum Petronii, *de libera cœna Trimalcionis*, ante hos septuaginta annos in Bibliotheca Cippicorum apud Tragurium Dalmatiæ civitatem integrum repertum, posteaquam jam dudum a Marino Statileo aliisque contra Valesii & Wagenfeilii objectiones Autori suo oppido assertum, & a Cl. *Petro Burmanno*, ad exemplum Blævii, nitidissimæ operum Petronianorum editioni loco congruo intextum fuit, nemo eruditorum amplius dubitat pro vero & genuino Petronii foetu agnoscere. Hoc ipsum fragmentum Tragurianum, satis accurate expressum, una cum versione Gallica, e regione textus latini posita, adjectis etiam quam plurimis annotationibus, doctissimus *Lavaurius*, tanquam *Historiam secretam Neronis*, lectoribus hic offert; non quasi *cœndora* & hætenus incognita de hoc Imperatore prodatur, sed quod sub nominibus, personis & actionibus fictis, privatam Neronis inter aulicos vitam, incontinentem illam & plane deridiculam, moresque perditos, cum ipsius Imperatoris, tam collibertorum & sodalium ejus, quasi in tabula depingat & repræsentet. Hæc Autoris nostri palmaria thesis est, quam post Joh. Christoph. Wagenfeilii molimina demonstrandam sibi sumisit. Huic finis in amplo, quo libellum hunc orditur, præfamine multas rationes accumulatur, ut probet, sub larva Trimalcionis Neronem a Petronio occultari, præter Taciti testimonium, nummosque faciem Neronis & inversa parte *Trimalcionis* nomen exhibentes, non pauca hujus rei indicia interna, ex hoc ipso Petronii fragmento desumpta, in medium afferens. Primo enim, ut præcipua paucis attingamus, infamis voluptas & mollities cum luxu & ebrietate conjuncta in Nerone eminebat; eadem sunt Trimalcionis vitia: nec atroci crudelitatis nota magis quam Nero, Trimalcio caret, qui servo suo sic minatur: *Vide tu, Stiche, ne ista mures tangant, aut tinea: alioquin te vivum comburam.* Tum magnificentia Neronis & impendiorum furor, quo mensam, imprimis autem domum suam, adeo ornabat augebatque, ut vererentur Quirites, ne Roma domus fieret, a Trimalcione minime alienus est, qui tot lautitiis, tot automatis, per omnem hanc cœnam convivas obstupefacit, & de ædibus suis sic gloriatur: *ædificavi hanc domum, uti scitis, casa erat, nunc templum est . . . hospitium mille*

P. 440.

436.



mille hospites capit &c. accedunt cœnationes laqueatz, camaræ  
 versatiles & immanis fervorum multitudo, de qua unus conviva  
 Trimalcionis, *Familia vero, inquit, babe! babe! non, me hercu-* p. 44  
*les, puto decumam partem esse, quæ dominum suum novit.* Por-  
 ro pantomimorum, petauristariorum cantorumque fatuus amor,  
 spectaculorum quantumvis vilium vulgariunque aviditas, & car-  
 mina pangendi, refragante Minerva, pruritus, in persona Tri-  
 malcionis subinde a Petronio, æque ac in Nerone ab historicis,  
 deridentur. Sunt & alia quædam signa, quæ Neronem præcipue  
 & certe indigitare *Lavaurius* existimat. Ita pictura in aditu ædi- 32  
 um Trimalcionis, ubi *ipse caduccum tenebat, Minervaque du-*  
*centæ tenia, Romam intrabat,* subindicat ei Neronem, artibus  
*Pallantis* Claudii liberti, ad imperii fastigium evectum. In alio 26.  
 loco *Veneris signum marmoreum & pyxis aurea non pusilla, in*  
*qua barbam Trimalcionis conditam esse dicebant,* Neronis va-  
 nam gloriam tangunt, qui a Venere, per Æneam, se genus ducere  
 jactabat; barbamque ejus primam positam, conditam in auream  
 pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam, quam, narrante  
 Dione, Jovi Capitolino consecravit, risui exponunt. Tum *gran-* 43.  
*dis ille annulus subauratus, in minimo digito sinistra manus*  
 Trimalcionis, ejusque *lacertus dexter armilla aurea cultus,* an-  
 nulum & armillam, quibus Neronein donasse Agrippina mater  
 dicitur, significant. Imprimis vero Autor noster urget, tot tanta-  
 que potentiz, opum & majestatis insignia, Trimalcioni a Petro-  
 nio circumposita, quæ non privatum quendam, sed Regem, sed  
 Imperatorem, manifeste designant; quippe Trimalcio dicitur 34.  
*fundos habere, quæ milvi volant, nummorum nummos: argen-*  
*tum in ostiarii illius cella plus jacere, quam quisquam in fortunis* 432.  
*habet.* Et ipse Trimalcio, *capi,* inquit, *plus habere, quam tota pa-*  
*tria mea habet.* Idem homo jactabundus de latifundiis suis lo-  
 quens, *nunc conjungere,* inquit, *agellis Siciliam volo, ut cum Afri-* 182.  
*cam libuerit ire, per meos fines navigem.* Huc pertinent quoque  
*fascis cum securibus in postibus triclinii fixi,* quod ipse Petroni- 28.  
 us præcipue se miratum fuisse dicit, nec non *laticlavia mappa,*  
 quam Trimalcio circa cervices immiserat, *imbriis hinc atque il-* 46.  
*linc pendentibus,* tandem etiam ipsius Trimalcionis verba, hæc  
 Y 2 glo-

p. 426.  
122.  
288.

gloriantis : *coheredem me Casari fecit, & accepi patrimonium laticlavium*. Quid quod Trimalcio in hac satyra *Tyrannus* vocatur, & si bene Autor judicat, *Augustus Pater patria*. Hæc omnia utcumque recte se habeat : negari tamen nequit, fortissimæ in hoc Petronii fragmento indicia occurrere, quæ Claudium magis, quam Neronem describant. Præter ea, quæ Cl. *Burmamnus* in præfatione ad Petronium breviter strictimque hac de re notavit, liceat nobis pauca exempla adducere, & *Tranquillum* cum Arbitro conferre. Suetonius in *Claud.* c. 2 : *ob valetudinem & gladiatorio munere palliolatus, novo more, præfedit, & togæ virilis die lætica in capitolium latus est*. Petronius hic pag. 46 : *ipse Trimalcio ad symphoniam allatus est, positusque inter cervicalia, expressit imprudentibus risum : Pallio enim coccineo ad rasum excluserat caput*. Palliolum nempe, sicut focalia & aurium ligamenta valetudine excusantur, ad cœnam vero ridicule veniunt, vid. *Quintil Inst. orat. lib. XI c. ult.* Porro de Claudio Suetonius cap. 33, *aleam*, inquit, *studiosissime lusit, solitus etiam in gestatione ludere, ita effedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur*. Audiamus jam Petronium p. 48, de Trimalcione ad convivium allato, & inter convictores accumbente, hæc narrantem : *ut deinde spina argentea dentes perfodit, amici, inquit, nondum mihi suave erat, in triclinium venire, sed ne absentivus mora vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittitis tamen finire lusum. Sequebatur puer cum tabula terebinthina, & crystallinis tesseriis : notavique rem omnium delicatissimam : pro calculis enim albis & nigris aureos argenteosque habebat denarios*. Sed & automata illa machinæque infinitæ, quæ in Trimalcionis cœna utramque paginam faciunt, cui magis conveniant, quam Claudio ? qui tam impense amabat difficiles hæc nugæ, tam serio hunc ineptiarum laborem agebat, ut teste Suetonio cap. 34, levi subitaque de causa, cum bestiis committeret quosdam de fabricorum ac ministrorum atque id genus numero, *si αὐτόματον, vel pegma, vel tale aliud, parum cessisset*. At vero medicum illud Principis ingenium, qui narrante Suetonio cap. 32, *dicatur meditatæ edictum, quo veniam daret, statum crepitumque ven-*

ventris in convivio emittendi; cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset, mirum quantum præ se fert Trimalcio, qui de lasano reverlus, p. 174 sic hospites suos alloquitur: *si quis vestrum voluerit sua re causa facere, non est, quod illum pudeat. Nemo nostrum solide natus est. Ego nullum puto tam magnum tormentum esse, quam continere. Hoc solum vetare, ne Jovis potest . . . nec in triclinio ullum vetui facere, quod se juvet . . . vel si quid plus venit, omnia foras parata sunt, aqua, lasanum, & cætera minutalia. Credite mihi, anathymiasis si in cerebrum it, in toto corpore fluctum facit. Multos scio sic perisse, dum nolunt sibi verum dicere. Possent his addi longe plura, in quibus comparabiles sunt Claudius & Trimalcio, veluti stolidi Homeri admiratio, mira stupiditas, oblivio, *μετεωρία καὶ ἀβελήσια* in dictis factisque enarrandis, & quod uterque triclinio non abscessit, nisi *disentus & madens*: sed his in clariore luce collocandis integer libellus, *Burmanno* judice, esset impendendus. Id unum adhuc quaerimus; cum alii *Cajo*, alii *Tito*, Petronio hanc Satyram adscribant, an non verus ejus autor esse possit *Publius ille Petronius*, cujus Seneca in Apocolocyntosi meminit, *vetus convictor Claudii, & Claudiana lingua* (hoc est lingua *Latino-Græco-barbara*, quæ in Claudii aula vigeat, & per omnem hanc Satyram festivissimam arguta imitatione exagitur) disertus? Sed ad *Lavaurium* nostrum paulisper revertendum est. Is non tantum Neronem, sub *Trimalcionis* persona; sed & sub *Fortunata*, Acten, sub *Agamemnonis*, Senecam, sub *Habinna*, Tigellinum, sub *Menelai*, Senecæ fratrem, sub *Nicerosis*, Anicetum, sub *Calva* & *Scintilla* denique, Calviam Crispinillam, detexisse sibi videtur, quam feliciter, aliis examinandum relinquinus. Notas historicas quod attinet, ex ut plurimum ad illustrationem rei, de qua agitur, satis faciunt. Suut tamen istarum aliquæ longius petitiæ, sicuti cum pag. 22 *Canis catena vinctus, in pariete pictus*, pro allusione ad *Colossum Neronis* (vid. Sueton. Ner. c. 31) habetur; aliæ extra oleas vagantur, ut pag. 14, ubi, occasione *mollissima lana*, aliquam multa de glossypio Autor commemorat; aliæ etiam plane erroneæ sunt, veluti cum primum illud mensæ Trimalcionis automaton, *Afellus Corinthius cum bisaccio*, in Notis de afello*

*pisce* explicatur, & varia de usu hujus piscis in cœnis veterum, præter rem, differuntur. Sed his sepositis, libellus merito pretioque suo non caret,

*Et cum plura nitent in carmine, non ego paucis  
Offendar maculis.*

MISCELLANY CHIEFLY CONCERNING  
Faith and Manners.

h. e.

**MISCELLANEA PRACTICO-THEORETI-  
ca; Autore JOHANNE PARIS, primæ Regiæ Cohortis  
pretoriæ equestri Ecclesiastæ, Socio Collegii Trinitatis, &  
Seniore Procuratore Acad. Cantabrigiæ.**

Cantabrigiæ, 1726, 8.

Plag. 15.

**C**ontinent hæc Miscellanea lectiones habitas in Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & decalogum, sermonem de fide, aliquot meditationes Latine scriptas de vita recte instituenda, orationes quasdam Academicas, & poemata. In præfatione ait, se prælectiones suas simplices & nudas exhibere, quam citatis scriptorum locis exornare maluisse: meditationes diverso tempore ad sui ipsius emendationem consignatas, in usum etiam aliorum evulgare: oratiunculæ & poemata si cui non ardeant, ei nec ut legantur, oblata esse. Prælectione prima in Symbolum Apostolicum fidei Christianæ præstantiam præ Philosophorum placitis ostendit, eamque examen testimoniorum, quibus nititur, requirere probat: Ruffini narrationem, quod singuli Apostoli suam contulerint symbolam, rejici, ab Apostolis tamen profectum Symbolum statuit, autoritate nixus Patrum antiquissimorum, & hac Augustini regula contra Dan. Lib. IV c. 23: *Quicquid ecclesia tenet, atque omni tempore tenuit, non decretum ab ullo concilio; id ab ipsis Apostolis profectum præsumi debet.* Prælectione II vocabulum πῖσις derivat a verbo πίπεισ μοι. Platonis τὸ ὄν confert cum illo *Exod. III, 14, sum, qui sum.* Atheos dicit

dicit statere, idem simul esse & non esse, dum vident entia alia, aliis esse perfectiora, & tamen negant, dari ens, quod habeat omnem possibilem perfectionem. Prælectione III, ubi attingit descensum Christi ad inferos, hanc paradoxam, & pontificæ ferme consentientem affert expositionem. Cum Christus in cruce exspirasset, anima a corpore fuit separata, corpus deinde illatum sepulchro, anima vero secessit in locum defunctorum in pace. Hic ei est descensus *eis adhuc*, rejectis aliorum sententiis. Ad probandam vero hanc suam interpretationem confert verba Christi ad latronem in cruce: *Hodie mecum eris in paradiso*, cum iis quæ statim post resurrectionem Mariæ Magdalenzæ edixit: *Noli me tangere, nondum enim adscendi ad patrem meum*, atque inde concludit, paradysum, in quem secessit anima Christi, non fuisse cœlum cœlorum, gloriosissimæ Dei præsentiz sedem, sed locum animarum in pace ex hac vita egressarum, quibus ostenderit Christus, se quem tamdiu expectaverint, redemptorem orbis jam venisse, & omnia consummasse, atque aliquando animas piorum corporibus unitas in æternam beatitudinem secum evecturum. Prælectione IV, cur Christus nec citius, nec tardius quam tertia die resurrexerit, disquirat. In explicatione articuli de iudicio extremo ait, Paulum *1 Corinth. VI, 2*, his verbis: *Nonne scitis, quod sancti mundum iudicaturi sint*, innuere, pios post verba illa, *venite benedicti*, statim in sublime evectum, & Christo ad thronum iudicalem tanquam assessores junctum iri, quando pronuntiabitur decretum condemnationis adversus spiritus, & homines damnatos. Atque hos statim in ipsis flammis, quibus orbis terrarum conflagrabit, sententiæ horrendæ executionem sensuros. Hinc videtur haud improbabiler statueri, ipsum globum terræ, perpetuo arsurum, domicilium fore damnatorum. Prælectione V, eum qui operationi & convictioni Spiritus S. malitiose resistit, mediaque conversionis obliquate respuit, peccatum in Spiritum S. committere dicit. Ubi de remissione peccatorum agit, meritum Christi ex ejus intentione universale statuit. In explicanda potestate clavium duo extrema, unum libertinorum, qui nimis eam extenuant, alterum Pontificis Rom. qui nimis ad stabiliendam Monarchiam suam spiritualem exaggerat, vitanda esse monet.

In reliquis etiam breves, nec eas contemnendas observationes suggerit. Prælectione VI in decalogum, ex hypothefi Reformatorum, primum præceptum adverfus polytheiftas, alterum adverfus idololatrias datum dicit. In ordine præceptorum descenfum quafi per gradus a majori ad minus ftatuit. Prælectio in Orationem dominicam brevem continet fingularum precationum paraphrafim. Sermo de fide nimis vulgatum errorem de fide theoretica & hiftorica ad falutem fufficiente refellit, naturamque fidei vivæ, & per charitatem efficacis rite exponit, & contra incredulos difputat, qui demonstrationem cum quavis Euclidea comparandam: *Deus dixit: ergo verum eft*, quando modum rei capere nequeunt, ita maligne invertunt: *boc verum non eft: ergo Deus non dixit*. Sequuntur meditationes latine fcriptæ, quæ funt quafi foliloquia ex confideratione pia Dei, beneficiorumque divinatorum, & fui ipfius mentem ad timorem Numinis & vitæ fanctitatem excitantia. Ceteras oratiunculas & poemata non eft ut prolixè memoremus.

*Hiftorie des Regiments in des h. Röm. Reichs - Stadt Augfpurg, &c.*  
i. e.

**HISTORIA REGIMINIS, QUOD VARIIS**  
*sub formis in Imperiali ac libera urbe Augufta Vindelico-*  
*rum variis temporibus obtinuit, publicis, quæ integra infer-*  
*runtur, monumentis expofita ac confirmata, &c. Autore*  
**DAVIDE LANGENMANTEL.**

Francofurti & Lipfæ, apud David. Raymund. Merz & Joh. Jacob.  
Meyer, 1725, fol.

Alph. 3 pl. 14, c. fig. zn. 22.

**N**ON frustra illos laboraffe, qui rerum publicarum tam veteris quam recentioris ævi variarum viciffitudines fedulo ftudio annotarunt, eorundemque leges, jura, privilegia, atque id genus alia, quibus, veluti vinculis civilis inter homines focietas continetur, publica monumenta fcriptis confervarunt, apud omnes in confeffo eft, qui, quantum politicæ difciplinæ alumni folidiori atque accuratori *rerum publicarum notitia* adjuvantur, non ignorant.

rant. Minime igitur dubitamus & huic libro lectores haud defuturos esse, qui cupide atque jucunde cognoscere desiderant, qua regiminis forma, quibusve legibus, summa illa in Imperiali atque primaria Sueviæ urbe *Augusta* potestas & administrata olim sit, atque hodiernum administretur. Neque sic adeo de patria solum sua, sed & erudita civitate universa egregie meruisse dicendus erit generosus præsentis operis compilator, patricia apud suos dignitate & avita gloria insignis; qui, præstantissimo monumentorum, diplomatum &c. ad *res Augustanas* pertinentium instructus apparatus, a majoribus hæreditatis jure accepto, ad laudabilem hanc operam perficiendam accessit. *Quinque* autem omnino *libris* integra illa absolvitur, quibus præmissum *proœmium* ab antiquissimis inde temporibus ipsisque adeo urbis initiis repetitam *regiminis Augustani historiam* subministrat, ad annum usque Christi MCCCLXVIII productam. Hoc enim anno (quod *primi libri* argumentum est,) ab optimatibus civitatis delecti ex plebe Tribuni in imperii societatem admissi fuerunt, cujus rei uberior narratio ex MSto *ἀντογραφῶ* nunquam edito exhibetur. *Libro secundo* memorabilis illa catastrophe enarratur, ubi, jubente sic CAROLO V Imperatore, A. MDXLVIII, deleto *ἀριστοδημοκρατίας* schemate, fasces urbis Patriciis iterum Viris traditi sunt, novæque leges de gerendo in posterum magistratu conditæ. Vix autem quadriennio elapso, quod *tertio libro* docetur, de restituendis plebis Tribunis abolendaque Aristocratia denuo ab Imperii Principibus, qui tum superiores in bello cum Cæsare gesto discesserunt, cogitatum est, quum iterum victor Imperator eodem anno pristinam imperio Augustano formam restitueret, a gloriosissimis ipsius successoribus, Rudolpho II atque Matthia, paucis immutatis confirmandam. Erat hæc Regiminis ad funestum illud tricennale usque bellum facies, quod pro varia atque ancipiti pugnantium fortuna, varias rursus, quæ *libro quarto* enarrantur, mutationes ipsi induxit, ita ut Evangelicorum mox, mox vero, expulsis illis, Catholicorum unice mandatis parerent Augustani cives; donec, hæc autem *libri ultimi* summa est, per Westphalicæ sanctissimæ Pacis Instrumentum A. MDCXLVIII optimæ civitati novæ circa Regiminis habitum leges constitutæ fuerunt, qui-

bus in hunc usque diem, quæ Dei est atque Augustissimi Imperatoris gratia, floret ac viget, & ut semper vigeat, optamus. Perspectis vero sic integri operis argumentis monendus adhuc est lector, non esse heic narrationem continuo orationis filo pertexam, sed farraginem monumentorum publicorum, Chronologico ordine dispositam, & relationibus historicis intertinctam exhiberi, quas, partim a majoribus consignatas, ex MStis transferri huc curavit Editor clarissimus, partim elaborandas commisit Reverendo *Jacobo Bruckero*, vel ex his Actis nostris pridem commendatissimo, qui egregie provincia hac sua defunctus laudis sibi societatem optimo jure vindicat. Neque tandem desiderari aliquid in se passim sunt Bibliopolæ, Viri honestissimi, quin potius operam dederunt, ut, præter plurimas figuras æneas assabre cælatas, & reliquis libri ornamentis decus suam atque nitor constaret.

*Ausführliche Nachricht von der Stadt Zörbig, 1c.*

h. e.

**PLENA RELATIO DE OPPIDO, SORBIGA,**  
*ex Historicis fide dignis, antiquis Documentis, Actis publicis &c. Autore M. FRIEDR. GOTTFRIEDO*

**ELTESTIO, Ecclesiæ ibidem Archi-**  
*Diacono.*

Lipsiæ, apud Joh. Christian. Martini, 1727, 8.

Alphab. 1.


**Q**U<sup>i</sup> Urbium aut Civitatum Historias, illarum nempe originis & natales, mutationes illustres, fata, quibus Ecclesiæ & Reipublicæ status subjectus fuit, cum Regiminis forma, rebusque in iis præclare gestis, integris aut Annalibus & Chronicis, aut breviori Compendio complectuntur, cum in singulari illo, de Numinis divini circa Reipublicas providentia, argumento labor eorum versetur, tantum abest, ut contemnendam, ut utilem potius, pluribusque jucundam operam suscepisse, dicendi sint. Non parum hinc laudis retulit plurimum Reverendus Dominus Autor, qui Sorbigæ, patriæ, Historiam nobis dedit, & quæ de illa aut sparsim nulloque digesta ordine apud Autores legebantur, aut intra obscu-  
ri




ri anguli limites delitescebant, studiose collecta, præfenti Topo-  
 graphia exhibuit, quo etiam nomine de Sorbigenfibus suis, æque  
 ut hæcenus de sacris eorum, optime meruit. Capite quidem I, p. 1  
 quo de Venedis iisque Sorabis, antiquis tractus illius incolis, inde-  
 que derivatis nomine, natalibus & antiquitate Oppidi, Sorbigæ,  
 agit, in medio primum relinquens sententiam eorum, qui Cheru-  
 fcos, Germaniæ gentem & Arminio, Principe, valde inclutam, 2.  
 post prælium cum Quintilio Varo, Romanorum Duce, commif-  
 sum, præter tractum intra Albim & Salam, illum imprimis, qui  
 Sorbigam Servestumque continet, coluisse, dicunt, certum omni-  
 no esse, ait, sedem ibi suam olim fixisse Hermunduros Suevos, qui 3.  
 tamen non a Mysis, ut Albinus docet, verum a Venedis, & quidem  
 Sorabis, sedibus suis pulsi fuerint. Rem ut a prima origine repetat 4.  
 Autor Cl. inter barbaras illas gentes, quarum Seculo post Christi  
 nativatem quinto in Europam incurfionibus magna in Occiden-  
 te facta est rerum conversio, bellicosam etiam Nationem innotuif-  
 se, scribit, quæ generali Slavorum nomine venerit, qui rursus in  
 tres peculiare & a se invicem distinctas, Venedorum, Sarmata- 5.  
 rum & Illyriorum gentes abierint. Relictis duabus posterioribus,  
 dum de prioribus differit, recte monet, non confundendos esse  
 cum Vandalis Venedos; Venedos primum ultra Vistulam ad  
 Prussæ & Livoniæ littora habitantes, delatis sub Genferico in  
 Africam Vandalis, sensim eorum loca intrasse, singulasque tur- 7.  
 mas & agmina, in quæ divisi fuerunt, singulas constituiffe Respu-  
 blicas. Quæ singulis nomina fuerint, & in quibus præcipue Ger- 9.  
 manicæ locis confederint, peculiari ex Bangerti in Helmoldum  
 animadversionibus Tabula exhibet Vir plurimum Reverendus.  
 Jan vero inter agmina illa, hinc & inde errantia & sedes quæren- 12.  
 tia, unum fuisse, ait, cui præcipue nomen Soraborum hæserit, Ve- 13.  
 nedorum genus, quod inter Salam & Albim fixam sedem habue-  
 rit, suamque Regionem Sorabiam dixerit. Quam late ejus fines  
 patuerint, duplici Schemate, Gundlingiano altero, altero Læfche- 14.  
 riano, Lectori ob oculis ponit, ex quorum utroque luculenter ap- 15.  
 paret, suis olim distinctam pagis, ut dicebantur, fuisse totam Sora-  
 biam, a quorum uno, qui sub Zitizi nomine innotuit, veteribus- 25.  
 que ejus colonis, Sorabis, nominis tandem originem traxisse, ait

- Sorbigam, quod & testimonio aliorum confirmat. Hæc dum latius persequitur Vir doctus, paucis simul fata exponit, quæ Seculorum decursu sub Imperatorum in Germania Regimine gens Soraborum experta est, scilicet sub Carolo M. Ludovicis, Pio & Germanico, sub Henrico Aucupe, a quo ad internecionem casu, Sorabia, patria, tandem exulare coacti fuerint. Posthæc Etymon nominis, Sorbigæ, indagandum suscipit, cum Synonymia, natalibus & ætate ejus, quorum omnia intra Capitis I limites continentur. Capite II de Oppidi situ, ambitu, magnitudine, portis etiam & muris, tandem munitione, divisione & plateis agit. Cap. III De illius Ædificiis publicis, iisdemque profanis, eoque spectantibus prærogativis, jurisdictione, juribus & privilegiis. Capite IV de Ædificiis sacris, primum de Sacello extra oppidum, in S. Wolffgangi honorem olim structo, tum de Ædificio sacro oppidano, Ecclesia duarum filiarum, Læberizii & Zæberizii, Matre, Scholæ porro & Nosocomii ædificiis publicis. Capite V Sorbigæ characterem antiquum & modernum; Capite VI. Religionem ejus & sacra describit, primum quidem sub antiquis tractus illius incolis, Sorabis, gentilibus. Inter varia & multiformia Numina, quibus sacra fecit gens superstitiosa, quorumque præcipua retulit Autor Cl. fuerunt Zwantewitz, idolum quanto promptius & efficacius in responsis, tanto cæteris sanctius semper habitum; Ridegast, Flysz, Zuttiber, Czernebog cum cæteris, in quorum singulis describendis postquam versatus est, tandem post Henrici Aucupis tempora fana & delubra eorum eversa, lucemque Evangelii eo delatam fuisse, refert; ad sedis vero Romanæ principia dum accommodata erat post profligatum Paganismum nova hæc Evangelii doctrina, opportunam sibi dari vidit Noster, de Oppidi sacris sub Papatu, dicendi occasionem. Hinc de instituto ibidem suntibus cujusdem civis animarum balneo, de personis, cultui sacro mancipatis, Presbytero, Capellanis & Altaristis, de B. M. V. & Corporis Christi Fraternalitatibus, de Patronis, quorum tum auxilia cives seorsim efflagitarunt, Mauritio, Anna, Wolffgango, Dominico, Francisco, Oswaldo, Maria Magdalena, Margaretha, Sanctis, Historias & Capita studiose sibi excutienda sumsit, quibus subinde lucem sceneravit veteribus aliquot Documentis, quæ obviam

viam sibi facta simul imprimenda curavit Autor Cl. Et sanctior tandem habita ibidem fuit illa Pontificiorum religio, usque dum, repurgata B. Lutheri ministerio Evangelii doctrina, post Ducem Georgium anno trigesimo nono Seculi XVI rebus humanis sublatum, sub Fratris, Henrici Pii, regimine purioris etiam illius doctrinae lumine collustrari coepit, quae Romanensium sacris hucusque accesserat, Sorbigensis Ecclesia. Capite VII. De Magistratu superiori, personis nempe illustrioribus, quibus Oppidum hucusque paruit, agitur. Seculis IX & X Burgwardium illud Feudumque Imperii fuisse, jam supra Capite V Noster probaverat. Hinc passim apud Saxoniae aevi illius Scriptores de Burgwardio Zurbici ejusque Burggraviis, quorum primum successiones non nisi ab Imperatorum in Germania gratia & arbitrio pependerit, usque dum Seculo X ad posteros Burchardi, etiam Buzici, Thuringiae Ducis, jure haereditario illud pervenerit. Qui ab ista aetate ad Conradum usque M. iusta successione serie se invicem exceperunt, eos succincte recenset Autor, simul Seculo XIII in potestatem Archi-Episcopi Magdeburgensis illud venisse, probat, quo jure, aliis dijudicandum relinquit; rediisse vero aevo posteriori in illam Marchionum Misniae, nominatim Friderici Severi, Wilhelmi, Friderici Bellicosi, Friderici Placidi, Ernesti & Alberti Animosi, cujus quidem posteris, Albertina stirpe, ut dicuntur, oriundis, semper deinde oppidum paruerit, usque dum Serenissimorum Martisburgi Ducum ditioni jure successione haereditario, ex Decreto quidem Serenissimi Saxoniae Electoris, Johannis Georgii nominis hujus I, illud adjectum fuerit. Capite VIII Magistratum inferiorem Autor describit. Capite IX Ecclesiae & Scholae Ministros. Ut alia taceamus, sistitur hic imprimis Pastorum & Diaconorum, qui a tempore Reformationis ad praesentem usque aetatem Ecclesiae ibi sacris praefuere, Historia, quam integram hoc Capite legi, gratum utique acceptumque erit patriae civi, imo vero & aliis, qui hoc scriptiois genere delectantur, inque suos illud usus convertere sciunt. Capite X Sorbiga Literata, XI varii generis memorabilia exhibentur. Undecim his Capitibus totum absolvitur opusculum, quod Reverendissimo Serenissimoque Principi Martisburgensi, Mauricio Wilhelmo, inscriptum, praeter ad-



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART  
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS 1963-A



1:24

ACTA ERUDITORUM  
LEIPZIG 1728

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT  
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK  
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 612 Y 4<sup>0</sup>



jectum in fine Indicem, præmissam habet Præfationem, qua instituti rationem exponit Autor Cl. Ea certe laus ipsi debetur, quod in describenda hac patriæ Historia, non ex quibusvis lacunis hauserit, verum duces sibi elegerit fidei probatæ Scriptores, Documenta etiam, Protocolla & Acta publica diligenter inspexerit, quibus fidem & auctoritatem dicendis conciliari posse, existimavit. Ritus, mores & instituta, quæ nuda saltem nominasse, ipsi non satis erat, quoties fieri potuit, toties a prima statim origine repetiit, &, quæ obscuriora videri lectoribus poterant, animadversionibus hinc & inde subjectis illustravit, ut adeo Scriptoris, qui patriæ Historiam elaborandam suscipit, boni omnino præsentis Topographia partes explevisse, dicendus sit.

*DISSERTATIONIS DE MEDICORUM ROMÆ degentium Conditione ignobili & servili, contra Anonymos quosdam Notarum brevium, Responsonis, atque Animadversionis Autores, Defensio; Autore CONYERS MIDDLETON, S. T. P.*

*Pars Prima.*

Cantabrigiæ, apud Edmundum Jeffery, 1727, 4.

Plag. 10.

**V**ix in publicum prodierat, quam in his Actis anni proxime præterlapsi p. 126 commemoravimus, Cl. *Middletonii* Dissertatio, cum variis Anonymorum scriptis, quibus hæc opponitur defensio, oppugnari cœpta est. Non parum vero indignatur Cl. Autor, quod in re literaria & antiquitatis cognitione minus versatos nactus fuerit adversarios, vix ullum a se responsum impetraturos, nisi unum ex his scriptis Cl. Meadii (quem magni a se fieri testatur) iudicio comprobatum, ejusque jussu ac opera in publicum evulgatum intellexisset. Nos missis, quæ scriptis eristicis propriæ esse solent, de adversariorum ignorantia, maledicendi studio, querelis; pauca ex iis, quibus objectiones refutat, argumentis delibabimus. Ante omnia certis quæstionem suam limitibus de quo circumscribere necesse duxit, ne vaga sit omnis hæc dissertatio.

tio, ex qua nulla unquam stabilis elici queat sententia. Ea igitur, quæ de ignobili Medicorum conditione asseruit, ad eam urbis ætatem, quæ Cæsarum antecessit temporibus, referri vult, ac per omne illud 700 circiter annorum spatium, Medicinam non nisi a peregrinis libertis servisque administratam, a nullo vero civium tractatam esse, contendit. Cum vero ab altera parte monumenta antiquitatis, in quibus fervorum Medicorum mentio injicitur, de chirurgis explicari advertat, nondum illo tempore Medicinæ partitionem factam, nec ullam Medicos inter & Chirurgos ratione conditionis distinctionem solidis demonstratam esse argumentis arbitratur. Ad Celsi potissimum locum, quo de Medicinæ partitione, tanquam suo tempore usitata, loqui videtur, provocant, qui Romæ quoque a se invicem Medicinam ad Chirurgiam distinctas fuisse volunt, quos vero meminisse jubet, Celsum, ut multi censent, Tiberii, certe Cæsarum floruisse temporibus; sicque nil quicquam contra suam inde sententiam probari, utpote qui Cæsarum ætate aliam Medicinæ faciem, aliam Medicorum fuisse conditionem facile largiatur. Præterea tamen plurimis, ipsique Clerico in Artis Medicæ Historia, dubium videri, an Celsi ætate partitio ista revera ita in usu fuerit; an id tantum in animo habuerit, ut significaret, quemadmodum ea fieri debuisset. Alius quoque Ciceronis locus adducitur, ex quo patere videtur, Medicinæ divisionem ejus jamdum temporibus factam esse: ita enim L. 3 de Orat. c. 33 Crassus ait: an existimas, cum esset Hippocrates ille Cœus, fuisse tum alios Medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur? Ad quem locum Cl. Autor monet, nondum satis perspicuum esse, utrum de Medicina, uti tunc in Græcia, an uti Romæ exercebatur, Cicero intelligendus sit; concessio tamen, ad Medicos Romæ degentes id pertinere, ex aliis e contra monumentis patere, non generatim tunc obtinuisse morem illum, sed aliquatenus solum processisse. Utcunque vero largiatur, Medicorum & Chirurgorum distincta fuisse munera, nulla tamen ratione inde probari, diversas propterea eorum conditiones aut vitæ sortes fuisse, sique alterutros prælatos reliquis fuisse credendum, vulnerum Medicos in urbe bellicosa majori in pretio fuisse magis verisimile videri, quod Archagathi, civitate & taberna publice empti dona-

p. 12.

17.

ti,

p. 29.

32.

ti, exemplo patere censet. Cum in confesso sit plurimos Romæ Medicos Græcos fuisse, atque *Middletonius*, & illos humilis seu potius infimæ fortis homines fuisse asseruerit, instant dissentientes, quo assertum illud argumento idoneo probare satagat; quibus paucis respondet, notum esse, totam Græcorum gentem odio & contemptui Romanis fuisse, ipsumque Græci nomen a plebe convitii loco usurpatum, jam vero facile quemque perspecturum, Medicos ulla apud suos gratia & dignitate florentes non facile quæstus ergo Romam migraturos, ibique contumeliis se plebis exposituros fuisse, humiles vero, & esurientes, quibus nulla apud suos præmia expectanda, lucri captandi causa Romam convolasse. Ad Ciceronem demum provocaverunt adversarii, qui dum inter artes liberales recenseat Medicinam, omnem hanc dijudicaverit controversiam: verba Ciceronis L. 2 de officiis c. 42 hæc sunt: quibus autem artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut doctrina rerum honestarum; hæc sunt eis, quorum ordini conveniunt, honestæ. Qua occasione Notarum brevium Autor vocem *Ordo* arripnerat, Manutiorum, Pauli, Aldi, aliorumque autoritate evicturus, eam dignitatis significatum continere, atque ad Senatum Equitesve ad minimum, ad plebem vero nullo modo referri oportere: ad quod Cl. Autor regerit, Ciceronem ipsum hanc vocem non Senatui modo Equitibusve, sed plebi quoque & libertinis imo apparitoribus & scribis applicare; ut & Ierentium, apud quem parasitus in Eun. ait: conveni hodie hominem mei loci atque *Ordinis*, & apud Gruterum p. 353 exhiberi inscriptionem mulieris, de marito loquentis: qui me ab imo *Ordine* ad summum perduxit honorem. Instant quidem homines, atque Ciceronem facta hic loci distinctione artes inter sordidas, & liberales, dum Medicinam his annumerat, manifesto declarare, hanc ingenuo cive non indignam esse; monet vero Noster, artes liberales proprie eas solum dici, ex quibus non quæstus aliquis, utilitasve ad vitam necessaria, sed libera quædam animi oblectatio quærat; quoties vero de quæstuosis aliquæ, liberales tamen dicantur, id non nisi improprio & laxiori vocis sensu accipiendum; quatenus a probrosis & turpibus distinguantur, atque isti hominum generi, cui conveniant, honestæ judicentur.

Hæc



Hæc de prima defensionis parte annotasse sufficiat; proxime forte secunda uberiora suppeditabit.

**VIRORUM CLARISSIMORUM AD GUNTHERUM CHRISTOPH. SCHELHAMMERUM** *Epistolæ selectiores, rem Literariam, Philosophiam Naturalem ac Medicinam potissimum spectantes. Recensuit simulque Vitam Schelhammeri cum Indice Scriptorum ejus præmisit CHRISTIANUS STEPHANUS SCHEFFELIUS, Medicinæ D. & adhuc Practicus Vismariensis, jam vero designatus Professor Ordinarius Regius in Academia Gryphiswaldensi.*

Vismariæ & Sundii, apud Sam. Gottlieb Lochmannum, 1727, 8.

Alph. I pl. 5.

SI recte inspicias hoc opus, vita Cl. *Schelhammeri*, si non maximam libri partem, primam tamen eamque potiore conficit; de epistolis vero ipse Cl. Editor in præfatione ita differit: *Quantum vero ad epistolas Clarissimorum Virorum selectiores, ad Schelhammerum exaratas, attinet, scias me illas præcipue complementi quasi loco ad vitam Schelhammerianam fideliter curateque descriptas dedisse.* Quod ad ipsam vero historiam vitæ *Schelhammerianæ* Cl. Editor jam A. 1717 Oratione publica incluti illius Viri memoriam celebravit, in Academia Kiloniensi, postea a mœstissima vidua ad conatus hosce necessaria obtinuit subsidia, interque ea Genealogiam stirpis *Schelhammerianæ*, una cum vitæ, ab ipso *Schelhammero* consignatæ, fragmento, postea quoque multa a Joh. Burchardo Majo, 1726, 8 Id. Nov. ætat. 75, defuncto, consecutus est, uti ipse in præfatione refert fusius, ubi simul eruditos rogat, ut, si quas epistolarum *Schelhammeri* possideant, eas secum benigne comunicent, quo una cum iis, quæ penes se sint, Responsis Medicis *Schelhammerianis*, deinceps quoque prodeant. Lucem primum aspexit *Schelhammerus* Jenæ 1649 d. 13 Mart. Patre usus *Christophoro Schelhammero*, Medico non incelebri. Vix bimulus patrem Vinariz 1651 d. 20 Jun. amisit, & tunc fortunam experiri coactus fuit adversissimam. Quinde-

p. 5.

9.

10.

- cium annos natus animum jam ad artem Medicam appulit, & a te-  
 neris unguiculis rei herbariæ quasi innutritus fuit. Postquam ita &  
 Jenæ & Lipsiæ studiis operatus esset, iter instituit per Saxon. Infer.  
 in Belgium fœderatum, Angliam, Galliam & Italiam. Ipso Lug-  
 duni Batavorum versante, & Gallo-Belgium invadente, cum ceteris  
 civibus Academicis ad defensionem urbis arma capere fuit coac-  
 ctus, egregieque se præstitit. Quinquenni itinere superato, cum  
 vix reversus esset, Jenæ 1677 laurus & purpuræ honos ipsi conces-  
 sus. Animum induxerat Academiam Heidelbergensem adire, quum  
 Brunsvicenses & Luneburgenses Duces in Academia Julia  
 1679 munus Professionis Botanicæ Extraordinariæ illi deferrent,  
 quam 7 Julii, habita Oratione de variis Artis vicissitudinibus, est ag-  
 gressus. Subsequenti autem anno ejusdem disciplinæ Professor Or-  
 dinarius constitutus est. Hercyniam tunc præcipue Sylvam tanto  
 studio perreptavit, ut brevi tempore ultra sexcentas novas detexe-  
 rit plantas. Uxor ejus fuit, variis scientiis ac artibus, ut lingua Gal-  
 lica, doctrina Sphærica, Geographia, Historia, Poesi Germanica,  
 reque coquinaria, quam integro postmodum libro illustravit, ma-  
 xime versata, Maria Sophia, filia Celeberr. Hermannii Conringii.  
 Ex hoc matrimonio natæ filia optimarum artium linguarumque  
 studiis ita fuerunt imbutæ, ut vel cum doctissimis certare potue-  
 rint. Redierat inde Jenam 1690: ast 1695 a Christiano Alberto  
 Holfatiæ Duce Kilonium vocatus in locum Joh. Danielis Majoris,  
 1693 mortui, eo migravit, & sub novi muneris auspiciis de ac-  
 commodata ad Artem ratione philosophandi verba fecit. Quanti  
 exteris in re herbaria, Chymica, Anatomica habitus fuerit, ex eo  
 inter alia constat, quod A. 1679 Kalend. Febr. a Carolo Patino in  
 Acad. Recuperatorum in Italia, & eodem anno 6 Kal. Julii a Joh.  
 Michaeli Febrio, Præside, in Acad. Naturæ Curiosorum Leopoldi-  
 nam sub nomine Theophrasti receptus, hujusque Adjunctus a  
 Joh. Georgio Volckmaro, Præside, 1689 Kalend. Augusti renun-  
 tiatus fuit. Et Græcæ linguæ probe gnarum fuisse docet Aristote-  
 les, qui cum Notis ejus MCStis in Bibliotheca Academica Kilo-  
 niensi asservatur. Præterea tantus fuit Orator, ut quum ad cape-  
 sendum Professoris munus, pro more, Principem Holfatiæ Fride-  
 ricum IV allocutus esset Gottorpii, Princeps, illo dimisso, palam  
 ad

ad circumstantes, *Schelhammerum* non Professoris, sed magni cujusdam militiæ Ducis personam referre, dixerit. Mortuus est tandem 11 Jan. 1716. Enarrata ita vitæ ejus historia ad scripta progreditur Noster, ubi primo expendit scripta edita a pag. 46 ad 79, quæ maximam partem Disputationibus & Programmatibus Academicis absolvuntur. In quibus mentionem etiam facit litium, quæ illi cum Sturmio, tum & quæ cum Bernardo Ramazzino de Motu Mercurii in Tubo Torricelliano, quam Leibnitiis imprimis diremit, intercesserunt; tum annectuntur, quæ in Ephemerides Naturæ Curiosorum inferi curavit. Scripta edita excipiunt inedita a pag. 79 ad 98, in quibus primum merito occupat locum magnificum illud opus, propediem in lucem proditurum, quod universam Medicinam demonstrativis fundamentis innixam completitur, ut cetera omittamus. Hæc de vita ejus breviter: quod ad Epistolas, ex his quoque pauca excerpemus. Slevogtius in Germanica Epistola Autorem scripti, cui titulus *Pufendorffius modestiæ admonitus*, fuisse Consiliarium aulicum Pfannerum testatur. Directum hoc est Schediasma contra Epistolam, quam Pufendorffius sub nomine Nicolai Becmanni scripsit, ubi Pfannerum Tobiam de Sartagine appellat, teste eodem Slevogtio. Wedelius imminentis barbariei hæc potissimum constituit causas: Procerum nempe incuriam & nauseam literarum, nec minus novitatis amorem, æque ac exterorum, in quo quidem plerique laureolam quæerunt, quibus omnis antiquitas fordet fœtetque. Meibomius in curandis variolis utilissimam judicat venæ sectionem, ita tamen ut absint purgantia. Busmannus in Epistola Germanica de se prædicat, Div. Apostolum Paulum in somnio sibi apparuisse, uti P. Francisco Aquilano Romæ, quid vero arcani sibi dixerit, alio tempore se aperturum pollicetur, & aperit quoque alia epistola, scilicet quod, cum in somnio miserum hunc vitæ statum perpendisset, Divus Apost. verba, quæ 1 *Cor. I v. 26-30* habentur, ad ipsum dixerit. Enimvero Meibomius de eo testatur, eum ad melancholiam tandem propensum, in morbo nihil medicamentorum, cibive vel potus assumere voluisse, ac ita esse mortuum. Celeberrimus Sagittarius conatum suum, ad preces Civitatis Lindaviensis, Anonymi scriptum, quo

p. 168.  
169.

179.

184.

189.  
196.

230.

239.

- p. 240. Censuram Diplomatis Ludoviciani Conringii infringere allaboravit, refutandi exponit, ac a *Schelhammero*, ut sibi *Wagnereccii* librum, quo Ludovico Diploma vindicare conatur, ac exemplar Censuræ Conringii proprium, quod fortasse notis *MSCtis* auxerit, & alia quædam subsidia a Conringio juniore procuret, vehementer rogat. Dominus Autor, *Pechlinum*, adversus *Langium* & Autorem *Lexici Eruditorum*, bis apud nos editi, demum hujus seculi anno quinto vel sexto diem supremum obiisse, demonstrare contendit ex epistola *Urbani Hiærne* ad *Schelhammerum* directâ & infra, nempe a pag. 240 usque 344, adducta, quanquam id exinde nondum satis liqueat. Sed non est, ut his diutius immoremur; interim felices successus apprecamur iis, qui doctissimi *Schelhammeri* opera anecdotâ in lucem edere contituerunt, Philiatris admodum haud dubie profutura.
- 244.

THE ODYSSEY OF HOMER TRANSLATED  
from the Greek.

i. e.

ODYSSEA HOMERI CARMINE ANGLICO  
reddita; Autore ALEXANDRO POPE.  
*Volumina V.*

Londini, apud Bernardum Lintot, 1725 & 1726, 12 maj.

Alph. 2 pl. 14 Tabb. æn. 24.

CUM multa, quæ de præstantia novæ hujus versionis *Odyssææ* *Homeri*, quæ omnibus fere simul formis eleganter impressa prodiit, dici possent, jam occupata sint in his Actis, in recensione *Iliadis Supplem. Tom. VII Sect. VII p. 281*, sufficiet, præcipua saltem, quæ altera hæc pars operis immortalis peculiariter habet, paucis delibasse. Primo exhibetur dissertatio exponens generalem scopum *Epici poematis*, speciatim *Iliadis*, atque *Odyssææ*, quæ contracta dicitur e *Cl. Bossu*, Galli, libello de carmine *Epico*, quam nos quidem repetere veremur. Nec qua fide, quave felicitate hæc *Odyssææ* versionem absolverit Autor, quæ utique cum *Iliade*

de ipsius certare potest, dicemus: illud tacendum non est, pleraque, quæ exagitare solent Homero-Mastiges, sæpissime in partes, sed cum iudicio vocatis, Eustathio, Daceria, nonnunquam & Didymo, Spondano, aliisque, diligenter tueri Nostrum. Ita Jul. Cæs. Scaligeri Poerices Libro V in Homerum acerbitatem castigat, Perraltum itidem & Rapinum, Poetæ iniquiores, refutat, antiquarum versionum Anglicarum, & Hobbesii imprimis errores notat, interdum & descriptiones, quas optimi Anglorum Poetæ, *Spenser, Sheakspear, Milton, Dryden* habent, confert, loca obscura notis copiosis erudite illustrat, & antiquitatibus etiam sacris styloque biblico subinde lucem affundit: nec tamen, interdum bonum dormitasse Homerum, diffitetur. Speciminis gratia pauca adduxisse suffecerit. In fronte Volum. I ad Odyss. lib. I, in iudicio de Poeta hoc ferendo, duo illa extrema, si quis Homerum humanis defectibus non obnoxium statuat, & si quis ita eos exaggeret, ut nimium ejus laudibus detrahat, æque vitanda esse monet. Odyssæam Iliade spiritu & ardore poetico inferiorem esse concedit, magis tamen ad mores facere contendit. Horatii duplicem translationem primorum Odyssææ versuum examinat, & eam, quæ epistola ad Lolium, *Trojani belli scriptorem* laudante, habetur, præfert. Primum in Odyssæa simile demum lib. IV v. 449 occurrere observatur, idque ab Hobbesio ridicule esse translatum: qui & optimum poetam, & magnum historicum, Homerum & Thucydidem, versione sua pervertisse dicitur. De comestione piscium, ad quam Menelaus, extrema urgente fame, socios suos compulsos narrat, e Plutarchi quæstionibus convivalibus notatur, antiquissimis temporibus eam non fuisse usitatam, Pythagoricis vero penitus interdictam, nec usquam in sacrificiis oblatos pisces, &c. Ad Odyss. IV v. 521, Protei fabulam ex Ægypto, cujus Reges variis leonum, boum, draconum, arborum, insignibus usi, quæque præstigiatoribus plena fuerit, originem duxisse, e Diodoro Siculo & aliis adstruitur. Ad Odyss. V, v. 440, Versio Hobbesii inepta censetur, qui Minervam sub figura gallinæ aquaticæ locutam ait, cum actio saltem, qua subito illa evanuit, non autem forma ab Homero sit descripta. Ad Odyss. V, 175, C. J. Scaligerum dicit præjudicio in Homerum laborare, eique sæpe injuriam facere, ut cum h. l. Mulæi versus

p. 172.

175.

177.

Vol. II.

p. 35.

p. 70.

P. 75.  
Vol. III.  
P. 3.

citatur, tanquam auctoris genuini, Homero antiquioris, e quo scia hic minus feliciter hauserit. Ad Odyss. VI v. 230 Longini, qui Homerum in Odyssæa cum Sole occidente comparat, iudicio adstipulatur, cumque in Iliade meliorem poetam, in Odyssæa meliorem virum referre ait. Ad initium Odyss. X prolixè agit de probabilitate poetica, ad quam sufficere ipsi videntur communis hominum opinio, sive vera, sive falsa, Numinis cujusdam introductio, & auditores rudes atque creduli, quales describuntur Phæaces, quibus Ulysses, verba sunt Horatii,

— *Speciosa dehinc miracula promittit,*

*Antiphazem, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdis.*

Tum & de Æolo, insularum Vulcaniarum rege, qui ventorum Deus, etiam ex sententia auctoris nostri, fingitur, quod eorum observationem, & velorum usum in navigatione monstravit, multa erudite disputantur. Ad initium Odyss. XI Abbati Fraguiero in *Memoires de Literature* adstipulatur Noster, quod Virgilius Æneid. VI longe melius repræsentavit Æneæ, quam Homerus Ulyssis descensum ad inferos, a quo, teste Horatio Lib. I Sat. VII, saltem videntur

*Eliciti manes, anima responsa daturæ.*

Tum e *Sandyso*, quem fide dignum peregrinatorem, & limati iudicii poetam vocat, omnem illam poeticam inferni descriptionem ab Ægyptiis petitam, ostendit, qui de Mumiis Memphiticis loquens, hæc habet: “ Confectis his ceremoniis corpus imponunt cymbæ, trajiciendum super Acherusia, locum Memphi ad meridiem situm, per hominem, qui Charon dicitur. Id quod Orpheo ansam præbuit inferni sui portitorem describendi, deformem & illuvie sordidum, qualem & Virgilius Æneid. VI pingit. Ad hunc lacum est umbrosus templum Hecates, & portæ Cocyti, & Lethes, separatæ per cancellos ferreos. Transvecta corpora ad certos iudices deferuntur, & si de male acta vita in examine constiterit, sepultura privantur; alias conceditur humatio. Hæc monstrant originem fabularum de Charonte, Rhadamanto, &c.” (Poterat & ad h. l. Diod. Sic. lib. I c. 92 allegari.) Additur deinde ex Daceria, hunc librum evidenter ostendere antiquitatem opinionis de animæ immortalitate, quæ

quæ nititur necromantia, antiquissimum, teste etiam Scriptura S. genus esse divinationis. Ad Odysf. XV v. 316 versum unum in omnibus Homeri editionibus omissum, & duos mendose editos e Strabonis Geogr. Lib. VIII restituit, & Geographica quædam exponit accurata diligentia & judicio critico excellens Interpres. Ad Odysf. XXII v. 246 idem observat, Deos bonos apud Homerum descendere, ut adsint bonis, non autem improbis. Ad v. 262, ubi Pallas sub hirundinis specie apparuisse dicitur, notat, supersticiosos gentiles credidisse, apparitionem volucris cujusdam tempore quodam critico signum esse præsentis Dei; deinde & invaluisse opinionem Deos ipsos apparere sub figura hujusmodi avium, quæ eis sacræ fuerunt, uti aquila Jovi, pavo Junoni: hinc augures tam venerabiles habitos, & auguria tam sancta.

Vol. IV.  
p. 31.Vol. V.  
p. 111.

In calce operis comparet *postscriptum*, quo Autor de scopo & caractere Homeri in Odyssea denuo lectorem monet, idque opus morale & politicum vocat, instructioni omnis generis hominum aptum, & imaginibus, præceptis atque exemplis plenum. Sententiæ quidem Longini, cui Odyssea est opus senile, si cum Iliade componatur, languidum, & minus poetici spiritus habens, accedit, inde tamen ejus pretio quicquam decedere, negat; siquidem alius fuerit poetæ scopus, cui totum carmen accommodarit. In Odyssea, uti & Longinus recte observaverit, pleraque magis esse Comica, dum repræsentantur procorum convivium & ludi, Calypsus, & Circes lenocinia, Phæacum mores, pugna Ulyssis, personati mendici, cum Iro, & quæ sunt hujusmodi, stilo rebus convenienti ab Homero depicta: cum contra Ilias sit opus plane tragicum. Hinc docet, tumidas descriptiones actionum minutarum esse sublime illud, quod regnat in fabula *Don Quixote*. Poetam perpetuo ampullas & sesquipedalia verba crepantem similem esse agyrtæ, non loquenti, sed vociferanti. Faciliorem esse stilum sublimem, & obscurum, quam nativa perspicuitate fluidum. Linguæ Græcæ emphasin, & voces mire sonoras exprimi satis ab interprete alia lingua non posse. Verba antiqua & rariora suo loco adhibita, poema ornare. Cum judicio his usum esse Miltonum; imitatores autem ejus ineptos nimis archaismis peccare. Omni studio se enisum, ut stilo facili ac

per-

perspicuo characterem Homeri repræsentaret, ideoque amicorum censuris translationem suam, antequam ederetur, subiecisse. Denique festivo respondet Daceriz, quæ in editione secunda versionis suæ Homeri (Parisi. 1719) nonnulla ex præfatione ipsius in Iliadem male, ut ait, intellecta & detorta acerbius reprehenderat. Se sub signis ejus militasse, & defensionem divini Homeri adversus omnes hujus sæculi hæreticos suscepisse, & tamen ab ea accusatum, quod causam communem iniquiore censura prodiderit. Summum sibi inter mortales poetam videri Homerum; ipsi vero Daceriz hominem majorem, impeccabilem & infallibilem. Nimia illam admiratione Homeri in transversum rapi, se, quamvis sit poeta, tamen enthusiastam esse nolle: & quæ sunt alia, quæ omittimus. Hæc tandem excipit index, recensens imprimis, præter nomina propria, consuetudines, & opiniones antiquorum, descriptiones & comparationes. Indici demum subjuncta est versio *Batrachomyomachia*, sed notis destituta.

## NOVA LITTERARIA.

**V**it Vener. *J. F. Osterwald*, V. D. Min. Neocastri in Helvetia, cum audivisset, Londini ejus sub nomine imprimi *Compendium Ethicæ Christianæ*, quale ante aliquot annos, ut eo uteretur in Prælectionibus suis, concinnaverat, omnem quidem movit lapidem, quo minus liber hic vulgaretur, ipso invito, quod ita nondum elaboratus esset, ut in lucem publicam prodire posset. At cum id impetrare non potuerit, publice tamen protestatur, se nec hujus, nec cujusvis alterius editionis, quæ ex MSptis suis prodire dicatur, Autorem esse, & ad ea provocat, quæ jam A. 1718 in Diario *Histoire Crit. de la Rep. de Lettres* Tomo XVI p. 342 de libris suis professus est.

Dresdæ Conf. *Adamus Frid: Glasfey* JC. R. Pol. Confil. Aul. & Archivar. int. data ad Perill. & Excell. *Henricum de Bünau*, R. Pol. in supremo Senatu Eccles. Elect. Saxoniz Præsidem, eidem Maj. Pol. a Cubiculis, item Justitiæ & Appellat. Consiliis & supr. Curiz Lips. Assessorum, Epistola in 4 typis impressa, consilium suum aperuit de Historia Saxonica sigillis illustranda; rogans simul eruditos, ut in eo negotio suppetias sibi ferre non detrectent.



# ACTA ERUDITORUM.

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Maji Anno MDCCXXVIII.*

**FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ ET  
cujuscunque generis Acta publica inter Reges Angliæ &  
alios quosvis &c. ab ineunte Seculo XII ad nostra usque  
tempora tractata; accurante ROBERTO SAN-  
DERSON, Generoso.**

**Tomus XVIII.**

Londini, per J. Tonson, 1726, fol.

Alph. 9 pl. 7½.

**O**Mnis fere spes decollaverat, continuatione tam insignis operis fruendi, quod ob indices Tomo XVII copiose subjectos, in Actis A. 1721 p. 509 indicavimus. Sed felicitate jucunde opinionem nostram industria *Roberti Sandersoni*, qui Privilegio Regio largissime munitus, ut ad scrinia arcana perscrutanda admittus, opus vere Regium ad nostra usque tempora perduceret, Tomum XVIII jam typis vulgavit, & spem fecit, ut reliqua pari cura collecta, quæ ad nostrum pertingunt ævum, imposterum quoque nobis polliceri queamus. Præsentî Tomo, ferius licet ad nos delato, quæ continentur singularia, ne ullam Operis illustris partem a nobis esse neglectam possimus argui, brevibus nunc sistemus.

Sub auspiciis comparet Index Chronologicus conventionum, literarum, & quæ sunt reliqua, hoc in Tomo ab A. 1623, regnante CAROLO I, usque ad finem A. 1626, primordia annorum Anglico more computando, exhibitarum. Continentur in eo commissio specialis de continuatione Sigilli Regii sub JACOBO I paullo ante defuncto usitati, donec aliud fuisset exsculptum, ne

p. 1 & 11

- mandatis CAROLII præjudicium forſitan inde enaſceretur.
- p. 8. Edictum Regium, quo *libri Latini* Oxoniæ vel Cantabrigiæ ſumma cum cura impreſſi, & apud exteros denuo prælo ſubjecti, ob errores craſſiſſimos ac detrimentum mercatoribus Anglicis inde emergens, in Angliam apportari vetantur. Mandatum, quo Anglis jure reſorſionis contra Hiſpanorum & Belgarum illis ſubjectorum naves ſubditosque uti permittitur, donec ipsis de damnis illatis fuerit ſatiſfactum. Proclamatio, qua herba Nicotiana, excepta illa, quæ in Virginia aliisque Anglorum coloniis plantata fuerit, in Angliam advehi prohibetur, & advecta jam, ſub poena commiſſi, aliorſum deportari mandatur. Literæ *avocatoriæ*, quibus Angli, Imperatori, Regi Hiſpaniæ, vel Archi-Ducibus in Belgio terra marive militantes, domum redire quantocyus jubentur. Mandata, ne alumen ab exteris advehatur; & ut abuſus circa nitri & pulveris nitrati fabricas tollantur. Edicta Regia de ædificiis Londini extruendis, eorumque locationibus, quo præſertim inhibetur, ne Londinum novis ædibus adaugeatur, neve intra unicam domum plures uno conductores recipiantur, cum civitate incolis generata lues peſtifera ſit metuenda. Ex Decreto Regis edocemur, illos, qui contumaces cultui divino in æde ſacra non interfuerint, pro quolibet mense ſumma viginti librarum Anglicarum fuiſſe multatos. Commiſſio Regia monſtrat inſignem curam, quæ ad promovendos metallariorum labores, & impedimenta quævis amovenda fuit impenſa, ut mineræ nobiliores in Comitatu Cardiganenſi intra fines Walliæ, haud infelicibus auſpiciis tentatæ, ulterius perveſtigarentur; licet hodie plumbum tantum erui ex iſtis fodinis, conſtet. Sequitur Proclamatio Regia, qua coloniæ Anglorum in Virginia, a Societate huc uſque adminiſtratæ, ob plura incommoda Præſidi Regio commendantur. Literæ ad legatum apud Batavos degentem, quibus ipſi injungitur cura, ut Anglis damna in Amboina illata reſarciantur, & fœdus cum Batavis ad terras Palatini recuperandas pangatur. Mandatum, quo vetantur omnes ob luem Londini graſſantem, ad curiam Regis intra 12 miliaria accedere, niſi quibus illud ſpeciatiim fuerit injunctum.
82. Commiſſio de augendis lanæ opificiis & pannorum textura, ut & piſcatione maritima, quæ ſimul exterorum merces, quibus facile

cile carere possint Angli, in regnum apportari, pecunia vero sub specie commerciorum præsertim a Societate Indica Orientali avari vetatur. Concessio argentifodinæ Muglisbiensis in Comitatu Palatino Episcopus Dunelmensis, Duci Buckinghami facta, ea tamen lege, ut decimam argenti partem ærario Regio inferret. Edictum, quo homines vilioris conditionis, suspectæ vitæ sive levis notæ macula laborantes, aula exire jubentur. Mandata, ne monetam e cupro minutulam cudere, nisi Regia autoritate, licitum sit, quo jure ante Jacobi tempora quivis pro lubitu fuerat abusus. Edictum, ut strumis laborantes & Regio tactu sanari cupientes Paschatos & S. Michaelis Festo saltem ad Regem accedant, testimonio Parochi sui muniti, ne una jam vice tacti pluries isto medicamine abutantur. Gratia Guilielmo Andreæ facta, ob neglectum cultum divinum, qua multa per leges irrogata ipsi remittitur. Concessio Generosis Cameræ Regiæ privatæ indulta, ut omnes, quibus collati fuerint Archi-Episcopatus, 10 libras Sterl. Episcopatus, 5 libr. honores Ducum 20 libr. Marchionum 20 libr. Comitum 10 libr. Vice-Comitum 8 libr. Baronum 6 libr. 13 Shill. & 4 pences, Baronetorum 5 libr. Equitum 5 libr. officia Magistratus Civici 5 libras eisdem persolvant. Hinc comparent Mandata, quibus Buckinghamius Classi & exercitui, Palatino auxilio propediem mittendo, præficitur. Commissio Thesaurario aliisque demandata, ne terrarum quarundam oppignoratarum possessionem ultra terminum *nonaginta novem annorum super tres vitas (annis nimirum triginta & uno) determinabilem*, concedant. Edictum de liberis extra regnum e Seminariis Pontificiorum revocandis, & Clero Pontificio ex Dominiis Anglorum ejiciendo: cui quidem rei, velut pactis dotalibus cum sorore sua initis adversæ contradixit Rex Galliarum; verum rebelles saltem, turbasque minitantes Catholicos, non homines quietis amantes, hæc tangere Carolus I respondit. Deinde sistuntur jus retorsionis adversus Hispanos piratas Anglis concessum: modus procedendi in causis ad Stellatam Cameram pertinentibus: Mandata Legatis Anglicis data, ut fœdus cum Gallis contra Hispanos & invidendam Austriacorum potentiam pangant, & securitatem Reformatis in Gallia concilient: uti & Legatis ad Batavos, ut sociatis cum Anglorum Regno viribus

p. 90.

94.

108, 143.

118.

140.

146, 305.

171, 181.

173.

179, 266.

222, 223.

189, 222, 314.

192.

207, 257.

209.

- Hispanos adorianur, & Daniæ Regi, Cæfareos oppugnanti, ære armisque præsto sint: illis autem, qui ad Danos Suecosque fuerant ablegati, ut Danis 6000 peditum, & 1000 equites cum apparatu bellico, aut 30000 librarum Sterl. singulis mensibus, si id magis arriserit, societatis nomine promittant: Suecis denique pericula ab Austriacis, Bavaris Polonisque extimescenda ob oculos ponant, eosdemque ut sepositis cum Dano litigiis, Hispanorum naves a suis portibus arceant, eorundemque portus in Flandria sitos, sociata cum Anglis, Danis, Batavisque manu expugnent, hortentur. Inde exhibetur Mandatum ad custodem Sigilli Regii, ut omnia superiorum Regum & Reginarum privilegia sibi oblata, exceptis diplomatibus Richardi III, consensu Parliamenti non firmatis, Regio Sigillo denno muniri curet. Aliud Buckinghamio datum, ut insigni parte thesauri Regii ex geminis pretiosissimis & vasis aureis constante pignori data, ter centum mille librarum monetæ Anglicæ ab Ordinibus Belgarum generalibus eorumve subditis mutuo sumat; unde de penuria Regis cognosci poterit. Edictum, quo Anglis omni commercio cum Hispanis & quibusvis eorundem subditis interdicitur: & ut omnes Hispanorum aut peregrinorum eo tendentium naves rebus ad bellum aut victum necessariis onustas expugnent, jubentur. Concessio indigenatus Merico Casaubono facta. Interdictum, ne tempore quadragesimali & diebus Veneris carne sed piscibus saltem vescantur cives, ut tum carnes in usum navigantium sufficiant, tum piscatio maritima promoveatur; nisi a Rege ipso vel Episcopo fuerit dispensatum. Exhibentur postea Rotuli Parliamenti, anno primo Caroli I habiti, ut & Parliamenti alterius eodem anno habiti, una cum declaratione Regia decausis hujus frustranei conventus ob turbida quorundam consilia. Dispensationes plures, ex quibus perspeximus, Clericos juxta ordinationes Ecclesiæ Anglicanæ quotannis saltem ad tredecim conciones in Ecclesia sua habendas esse obstrictos: præterea quendam ex soluto & soluta natum, & ab Archi-Episcopo Cantuariensi, Rege id ratum habente, legitimum, ad Presbyterii & Diaconatus honores fuisse admissum. Sequuntur inter alia interdictum, ne scripta turbulenta Parliamenti haud ita pridem dissoluti typis vulgentur: commissio Georgio Frid-

Friderico Marchioni Badenſi data, ut exercitu 4000 peditum, & 1000 equitum coacto, Palatinum contra Hiſpanos eorumque ſocios juvet: varia Reſcripta, quibus ob ſummam ærarii inopiam libertas conceditur, terras redditusque Regios ad certos annos locandi, aut ſub ſpe *Reverſionis* lege Feudali vendendi: Commiſſio Regia ad pacem cum Saleenſibus piratis concludendam, redimendos captivos, & mercimonia inſtituenda; Ediſtum, ut Nobiles prædia poſſidentes, & in civitatibus, Londini maxime, degentes, neglecta nimium œconomia & hoſpitalitate, ad ſua revertantur: Mandatum, ut Sacerdotes Romanenſes, qui clauſtine ſua dogmata dilataverant, Gallorum precibus liberati, navibus in Galliam tranſvehantur: Ediſtum, quo Angliſ jure Retorſionis uti contra Gallorum piraticam permittitur: interdium de corio non exportando: ſolutio 2000 libr. Sterling. annuarum, Duci Holſatiæ ad præſtanda auxilia promiſſa, ex redditibus Regiis dinumeranda: Commiſſio, ut ab omnibus Angliæ incolis ad onera belli ſuſtinenda pecuniam mutuentur Delegati. Ceterum ut ſumo publicæ & literariæ rei emolumento Tomi hunc inſecuturi Cel. *Sanderſoni* cura laudatiſſima quantocyus, quoad fieri poteſt, lucem aſpiciant, ex animo vovemus.

p. 786, 790.  
806.  
791, 807.  
798.  
801.  
802, 825.  
811.  
816.  
836.

A COLLECTION OF TRACTS.

i. e.

*SYLLOGE TRACTATUUM QUORUNDAM, ad jus privati Judicii, ſufficientiam Scripturæ S. & terminos communionis Eccleſiaſticae ſpectantium, occasione recentiſſimæ controverſiæ Trinitariæ editorum*

a THOMA MORGAN,

M. D.

Londini, apud Joh. Osborn, & Thom. Longmann, 1726, 8.

Alph. 1 pl. 8½.

**A**git cauſam Arianorum, contra ſtatores & deſenſores doctrinæ Athanaſianæ de S. S. Trinitate, Cl. Autor, ſi non ſatis bene, certe ſatis argute, tractatibus hiſce ſtylo eleganti & multo ſale

- condito, scriptis, quos antea singulatim, nunc vero retractatos uno volumine edidit. Librum integrum curatius recensere materiarum, quas pertractat, tum natura, tum varietas, præter instituti nostri rationem, vetat: dabimus tamen titulos singulorum tractatum, ex quibus prudens lector facile conjiciet, quid de libri ipsius lectione sperandum sit. Tractatus autem hi sunt: I. Epistola ad Tongium, Robinsonium, Smithium & Reynoldum, de natura & consequentiis Enthusiasmi, continens observationes nonnullas in *doctrinam de beatissima Trinitate stabilitam & defensam*. II. Postscriptum, cui occasionem dedit Bradburii discursus sub titulo: *Necessitas contendendi pro religione revelata*. III. Epistola altera ad eosdem, qua natura & consequentiæ Enthusiasmi defenduntur, contra *Reflexiones* Samuelis Francourti, de *certitudine & infallibilitate*. IV. Defensio Epistolarum præcedentium, ad eosdem, contra Francourti *Enthusiasmum rectorum*. V. Absurditas, quæ oritur ex oppositione fidei & rationis, seu defensio religionis Christianæ, contra vim Enthusiasmi, in responsione ad orationem Bradburii *de Natura Fidei*. VI. Fundamenta & principia Christianæ communionis, considerata in Epistola ad Joannem Cumning, occasione dissertationis ab eodem editæ: *de autoritate consequentiarum, quæ ex Scriptura S. eliciuntur*. VII. Epistola ad Richardum Blackmore, occasione libri, ab eo publici juris facti, sub rubro: *larva Arianiæ hodiernis detracta*. VIII. Refutatio falsorum principiorum a Josepho Pykio assumptorum & applicatorum in libro, qui inscribitur: *candidum examen præcipuarum difficultatum, quæ tam Trinitariorum, quam Arianorum, hypothesein comitantur & afficiunt*. Cui additæ observationes quædam, in Richardi Blackmori, *justa præjudicia contra Arianam hypothesein*, una cum postscripto: de reali consensu Athanasianorum & Socinianorum in controversia Trinitaria. IX. Epistola ad D. Danielein Waterland, occasione novissimorum ejus scriptorum pro defensione hypotheseos Athanasianæ. X. Epistola ad *Phileleutherum Britannicum*, sub titulo: *Enthusiasmus desperatus*. XI. Appendicula præcedentis epistolæ, occasione libelli, cui titulus: *Comprehensio desperatio Enthusiasmo*, qui libellus a *Petro Nisbet* conscriptus esse fertur. XII. Appen-

pendix altera Enthufiasmi desperati, occasione libelli novi ab eodem Nisbeto editi, sub titulo : *Comprehensio, confusio.*

**JOANNIS MARANGONI, PRESBYTERI VICENTINI, Cathedralis Anagninæ jam Canonici, Thesaurus Parochorum, seu Vitæ ac monumenta Parochorum, qui sanctitate, martyrio, pietate, virtutibus, dogmatibus, & scriptis Catholicam illustrarunt Ecclesiam.**

**Tomus I.**

Romæ, ex officina Cajetani Zenobii, 1726, 4. ✻

Alph. 3.

**P**Astorum Ecclesiæ, quos *Parochos* vulgo vocant, tam difficilem esse conditionem, ut pauci salute beentur æterna, cum plures Ecclesiæ Patres pronuntiarint, cumque hodie nonnulli ad id confirmandum urgeant, perpaucos ex immenso isto Parochorum numero in Sanctorum Falsis inveniri; Reverendus Autor statuit errorem hunc refellere, & eos in medium proferre, quos vel Pontifices in censum Sanctorum adscripserunt adscribendosve judicant, vel privata bonorum pietas titulo *Sancti* aut *Beati* condecoravit. Nec vero soli curiositati satisfactum ivit Noster, sed hunc quoque credidit sui laboris fructum fore, ut Parochi hodierni sanctorum superioris ævi Parochorum gesta legentes, imitari studeant laudabiles eorum mores. Venit enim ei in mentem, quod Bellarminus Episcopo cuidam, quamam via ad implenda officii sui munia facillime pervenire queat, roganti, respondit: *Legito, inquit, vitas sanctorum Episcoporum ac relegito. Hanc namque viam esse omnium expeditissimam, proprio didici experimento.* Ceterum quæ hic tradit, ex ipsis se fontibus semper hausisse ait, ipsorumque scriptorum verba retinendo fidelem, quam disertum, historicum videri maluisse. Quod si quis queratur, scriptoribus doctis & accuratis permixtos hic esse minus bonos, ei responderet, non sæpe id a se factum esse, ac nonnihil esse concedendum privatis popu-

populorum traditionibus, nec spiritum devotionis critica historiarum vulgo receptarum censura extinguendum.

Totum Opus tribus Tomis constabit, quorum hic *primus* quatuor libros habet. Ac primus quidem liber triginta octo continet Capita, quorum *primo* de origine ac dignitate Parochorum agitur. Judicat scilicet Rev. Autor, Parochos successisse LXX discipulis Christi, cum Papa sit successor Petri, & Episcopi sint successores reliquorum Apostolorum. Eorum dignitatem ex eo confirmat, quod & interfuerint olim subscripserintque Conciliis, & immediate in gradum Episcopalem eveni consueverint, & potestatem habuerint excommunicandi, & stola, jurisdictionis signo, discreti sint a ceteris presbyteris. *Cap. II* docet, primum Parochum in V. T. fuisse Abelem, in N. T. Christum ipsum. Nec hinc solum elucere nobilitatem parochialis muneris, sed ex eo etiam, quod parochis commissæ sint animæ tam multorum hominum. Unde cum Chrysostomo concludit, Parochos ipsis regibus dignitate anteire, quippe corporalia duntaxat administrantibus: eoque minus dubitat, eorum nobilitatem esse superiorem quavis nobilitate seculari. *Cap. III* ex historiarum ecclesiasticarum scriptoribus copiose demonstrat, presbyteros primorum decem seculorum fuisse parochos, id est, curæ animarum administrandæ præfectos. *Cap. IV* vestigia sequens Thomassini & Morini, quorum e fontibus se hausisse non dissimulat, probat, Chorepiscopos fuisse parochos a ceteris parochis nonnisi quibusdam Episcopalibus privilegiis distinctos. *Cap. V* de titulo *Parochi* agens, *parochiam* dictam esse putat quasi *paraciam*, hoc est, *accolarum conventum*. Sed infra in *Addendis* p. 482 monet, se hic confudisse *parochiam* cum *paracia*. *Parochiam* enim dici a *παρέχω*, unde *parochus*, id est, præbitor & copiarius; at *paraciam* esse a *παρικήω*, & significare cætum hominum una habitantium. *Cap. VI* recenset eas Ecclesias, in quibus Capitulum seu Canonici exercent *parochialem* curam animarum, & quidem vel per se ipsos, vel per vicarios. Pari modo *Cap. VII* & *VIII* differit de cathedralibus, itemque de collegiatis Ecclesiis curam parochialem annexam habentibus, & utrarumque catalogum exhibet, in quibus Archipresbyteri sunt parochi. *Cap. IX, X, XI, XII, XIII & XIV* ostendit, in Eccle-



Ecclesiis nonnullis Archidiaconos fungi munere parochiali, in quibusdam Decanos & Priores cathedralium Ecclesiarum, in aliis Præpositos talium Ecclesiarum, in aliis Cantorem vel Thesaurarium sive Sacristam. *Cap. XV* titulum Archipresbyteri considerat, tributum Parochis cum urbanis, tum ruralibus ecclesiarum collegio Canonorum carentium: itemque titulum Decani ruralis. *Cap. XVI* de *Plebani* titulo verba facit, quem in eo ait differre a Parocho, quod hic uni, ille pluribus præfectus sit Ecclesiis. *Cap. XVII* Præpositos ecclesiarum non Cathedralium exhibet parochiale munus exercentes. *Cap. XIX* titulum contemplatur *Curati* sive *Curionis*, quod solet synonymum esse Parochi. *Cap. XIX & XX* agit de vicariis tum perpetuis, tum amovibilibus, Parochialium Ecclesiarum, & de Adjutoribus Parochorum, ac Portionariis, inde dictis, quod portionem aliquam accipiunt fructuum Parochialium. *Cap. XXI* docet, Rectoris titulum alicubi tribui Parochis, & *Cap. XXII*, nonnullis locis Decanos vocari Parochos illos, qui decem aliis suæ vicinæ presbyteris præfunt. *Cap. XXIII* titulum *Pasteris* illustrat Parochis tribui solitum. Esse, ubi Parochus vocetur *Prior*, vel *Parochus primitivus*, hoc est, primarius, subjectos sibi habens parochos alios; vel *Cappellanus*, vel *Abbas*, vel *Custos*, discere licet e *Capitibus XXIV, XXV, XXVI & XXVII*. *Cap. XXVIII* docet, Abbates, Priores, & Monachos Ordinis S. Benedicti constitui solere parochos, & magnum exhibet hujus generis Parochorum catalogum: idemque *Cap. XXIX* exponit de parochis Ordinis Præmonstratensis. *Cap. XXX* de Commendatariis agit ecclesiarum Parochialium. *Cap. XXXI* inquit, an Missionarii Apostolici sint in numerum Parochorum referendi, idque verum esse, pronuntiat. *Cap. XXXII* ostendit, Parochos etiam extra urbem Romam olim aliquando *Cardinalis* titulo præditos fuisse, & hinc *Cap. XXXIII* de dignitate S. R. E. Cardinalium disputat, eosque docet usque in medium seculi undecimi Romæ administrasse munus parochiale. Hac occasione delabitur ad eam questionem, ad quosnam pertineat electio Papæ, si forte accidat, ut, defuncto Papa, nullus Cardinalis sit in vita: ac censet, tum Parochorum urbis Romæ fore, eligere novum Pontificem. *C. XXXIV* exhibet catalogum Presbyterorum tum Cardinalium, tum non

Cardinalium, qui in titularibus urbis Romæ ecclesiis parochiale munus administrarunt a S. Petro usque ad Silvestrum Pontificem: quem Catalogum C. XXXV continuat usque ad A. 1050. Profert hac occasione iudicium suum de *Jacobi Corelli, Coloniensis*, qui A. 1406 Romæ vixit, *Chronico MS. Pontificum & Cardinalium a S. Silvestro usque ad Gregorium XII producto*, ac pluribus argumentis manifestum facit, tradi in eo incerta, fabulosa, & plane conficta, adeoque illud Chronicon fide indignum esse. Et hæc quidem cum scriberet, non dubitabat, Corellum esse verum auctoris nomen. At inferius *lib. II cap. IX p. 322* narrat, se tandem in Alatii *Animadversionibus in libros Alphonsi Ceccarelli* verum Corelliani Chronici conditorem reperisse, famosum scilicet illum ipsum impostorem, Ceccarellum, quem constat sub Papa Gregorio XIII Romæ, postquam Instrumenta publicam fidem adulerantia sustinuisset confingere, capitis pœnas eo nomine luisse. C. XXXVI Auctor noster Pontificum Romanorum catalogum producit eorum, qui prius fuerant Parochi. Horum etiam scripta recenset duce (id quod ipse fatetur,) Augustino Oldoino in *Athenæo Romano*. Fuerunt autem hujus generis Pontifices octoginta sex, inter quos ultimum locum tenet Hadrianus VI. Horum e scriptis unam commemorare lubet Æneæ Sylvii five PII epistolam, p. 155 exhibitam, & ad Carolum Cyprianum exaratam, in qua graviter dolet, se juvenem edidisse *Historiam amorum Euryali & Lucretiæ*, istumque librum abjici jubet ac respui. Docet hic etiam Noster, A. 1524 ex officina Oporini, Basileensis typographi, prodiisse ejusdem Papæ carmen, inscriptum *Antidotum ad præcedentem Euryali & Lucretiæ historiam*, cum *Prosa ejusdem Antidoti*. Cap. XXXVII exhibet Cardinales ab A. 1050, qui prius fuere Parochi. Horum & scripta enumerat & vitas paucis describit. Hic igitur occurrunt (ut clarissimos omnium laudemus,) Cæsar Baronius, Cælestinus Sfondratus, Franciscus Ximenius, Franciscus Zabarella, Guilielmus Sireletus, Joan. Gropperus, Josephus Saenz de Aguirre. Tandem C. XXXIX producuntur Cardinales alii que veri Principes ecclesiarum parochialium Commendatarii.

*Libro secundo* proferuntur ordine alphabetico vitæ parochiorum, qui *sanctorum* vel *beatorum* titulo a sede Apostolica, vel ejusdem

dem aut Episcoporum tolerantia a particularibus ecclesiis vel ab antiquis scriptoribus decorantur. Quorum etsi magnum exhibet catalogum, facile tamen credit, se majorem numerum silentio præterisse ob historicorum monumentorum penuriam. Nos & hinc excerpemus clarissimos, eorumque nomina producemus, ut sciant lectores nostri, ubi plura de singulis cognoscere queant. Prodit igitur hic Ansharius, Archiepiscopus Hamburgensis & Bremensis; Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis; Augustinus, cujus vitam a quatuor viris singulari cura descriptam esse Noster ait, a Possidio, ab Aloysio Torello in *seculis Augustinianis*, a Gabriele Pennoto in *Historia tripartita sacri ordinis Clericorum Canonicorum, libro primo*, & nuper a Cæsare Benvenuto a Crema, Canonicorum Lateranensium Abbate, octo libris A. 1723 in 4 impressis in oppido Præneste; Basilius M. Cyprianus; Franciscus Salesius; Hieronymus, quem Cardinalem fuisse, e plurium testimoniiis probatum et veterum scriptorum, laudans etiam Alphonsi Ciaconi A. 1584 Venetiis editum librum *super Cardinalatu S. Hieronymi*; Jacobus de Vitriaco; Joannes Gerson; Chrysofostomus; Winfridus sive Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus & Martyr. *Libro III* sistit quinque parochos, quorum beatificationis vel canonizationis causa nunc versatur in sacra Congregatione rituum, eorumque vitas exhibet confectas autoritate Pape. Hos quidem tamdiu nobis licebit silentio præterire, donec solennis canonizatio clariore eos reddiderit sicut in cælo, ita & in terra. Denique *libro quarto* Rev. Autor eos exhibet parochos, qui Missionarii facti martyrium subierunt inter infideles vel hæreticos. Toti operi p. 469–489 subjiciuntur *Corrigenda & Addenda*, in quibus p. 470 sq. reperimus vitam Melch. Klefelii, & p. 472 sq. vitam Stanislai Hosii, Cardinalium. Illud postremo tacere nolimus, esse in manibus nostris schedulam, secutorum duorum Tomorum argumenta repræsentantem. Scilicet secundus Tomus libros continebit tres, quorum *primo* exponentur vitæ parochorum 1500 & amplius, ad Episcopalem dignitatem evektorum; *secundo* parochorum eruditione clarorum, cum catalogis operum & editionum eorundem; *tertio* eorum parochorum, qui religiones, congregationes, ecclesias, vel alia pia loca fundarunt.

Tertii Tomi priore libro vitæ proferentur parochorum illorum, qui cum sanctitatis opinione ex hac vita emigrarunt, item qui victimæ caritatis effecti, tempore pestis in proximi salutem se morti obtulerunt; posteriore ducenti autores & amplius nominabuntur, qui de Parochis & eorum officio singulares libros conscripserunt.

**DE LEGIBUS HEBRÆORUM RITUALIBUS** & earum rationibus Libri IV, Autore JOAN. SPENCERO, S. T. D. Ecclesie Eliensis Decano & Colleg. Corp. Christi apud Cantabrig. Præfecto. Editos, MSS. cum testimoniis autorum laudatis recensuit, & indices adjecit LEONARDUS CHAPPELOW, S. T. B. Coll. S.

Joban. Cantabr. Socius & Professor  
Arabicus.

Cantabrigiæ, apud C. Crownfield, 1727, fol.

Alph. 14.

**N**E actum acturi, aut post Homerum Iliada scripturi videamur, tribus prioribus hujus elaboratissimi Operis voluminibus hic denuo recensendis jure superfedemus, utpote quorum summam mensè Martio A. MDCLXXXVI in Actis nostris jamjam fuisse exhibitam, in memoriam revocamus; quamobrem quemvis novarum ac singularium, quas in lucem orbis eruditi *Spencerus* proposuit, opinionum pernosendarum studiosum lectorem eo nos ablegantes nemo reprehendere poterit. In singularibus vero hujus recentissimæ pariter, ac nitidissimæ editionis, de qua post Autoris fata *Leonardus Chappelow*, Professor Arabicarum literarum hodie Cantabrigiensis, præclare meritus est, breviter summamque recensendis nostra in præsentem versabitur opera. Aucta enim hæc est non modo passim, ut infra docebimus, sed & imprimis ea commentatione, quam ipse *Spencerus*, ut in modo allegata recensione nostra jam annotavimus, olim promiserat, ita quidem, ut illa Libri IV hic occupet locum, in quo de ritibus & institutis Hebræorum a gentium usu desum-

*sumptis, nullibi vero a Deo præceptis aut ordinatis, fufe disse-  
ritur.*

Quemadmodum nimirum Clarissimus *Spencerus* in *tribus*, quos primum ediderat, *Libris* ingenio suo intemperanter abusus erat, dum evincere volebat, ipsum Deum ex religiosis gentilium, maxime Ægyptiorum, ceremoniis nonnullas, immo plurimas, sed ab adhærente gentilismi fece cultuque profano purgatas, ad sacrum transtulisse usum: ita in hoc *quarto* volumine omnem eruditionis suæ apparatus eo contulit, ut sibi aliisque persuaderet, ecclesiæ Judaicæ antistites æconomiam & *συγκράτησιν* istam divinam imitatos, nonnulla profanæ gentis instituta in sua sponte admisisse sacra, adeo, ut rituum Judaicorum ex paganis fontibus derivatorum alii præscripto ipsius optimi maximique Naminis deberent originem, alii vero ex imitatione populari, quam piam tamen & prudentem in *præfatione* honoris causa nominat, sine diserto Dei jussu in cultum Judæorum publicum dimanaverint. Absolvitur, ut ad rem propius deveniamus, hic ipse liber *XV Capitibus*, ubi ejusdem generis Hebræorum ceremoniæ, sine divino nutu, sola præfulum autoritate introductæ, sigillatim commemorantur.

Et *Capite* quidem *I* congregatio fœminarum ad ostium tabernaculi *Exod. XXXVIII* memorata exempli gratia profertur: cui conjecturæ ut species aliqua veritatis concilietur, ad Ægyptias fœminas, in Isidis potissimum & Cereris cultu occupatas, provocatur, adjectis argumentis, explorisque objectionibus. *Cap. II* aquæ libationem *1 Sam. VII, 6, 2 Sam. XXIII, 16, Job. VII, 37, 38* proponit, hujusque originem ex Ægyptiorum, Syrorum, Romanorum, Græcorumque consimili ritu deducit. *Cap. III* Autor Musfien, eandemque & vocalem & instrumentalem, ex gentili superstitione in Judaica sacra translata esse contendit, hancque sententiam suam mascule vindicatum ivit. Idem *Cap. IV* saltationes atque choreas in sacrificiis, hilaribusque & festis diebus, maxime in *σκηνοπηγίαις* solemnitate, usitatissimas, non ex Dei præscripto, sed e profana gentium paganarum superstitione ad Judæorum transisse usum, affirmare eo minus veretur, quo exploratius ipse habet, ejusmodi saltationes, ubi una cum fœminis viri commisce-

bantur, lasciviz & licentiz populari utramque patefecisse fenestram. *Cap. V* ramorum circumgestationem, in festo tabernaculorum usu receptam, cujus *Josephus* lib. 3 antiqu. cap. 10, & *Maimonides* in *Lulabh.* cap. 7 §. 23, mentionem faciunt, cum iis ramis, quos in honorem Minervæ circumferebant *ῥαλλοφόροι*, & cum Attica festivitate, quam *ἄρχοφόρια* vocabant Athenienses, aliisque gentium huc pertinentibus institutis comparatam, ex iisque derivatam, prolixè exhibet. In *Cap. VI* lucernarum accensionem in Sabbathis & encæniis maxime observatam, & *Cap. VII* victorum liberationem, quæ in festo Paschatis accidebat, *Job. XIII, 39*, a gentilibus accepisse Judæos, haud parum luculenter traditur. Cum primis *Caput VIII* vel propterea memorabile est, quod non solum Judaica in tabernaculo & templo usitata, sed & Christiana antiqua, templa, altaria, martyrumque sepulchra circumeundi consuetudo, a gentilibus orta censetur, quippe cum & hi circa templa, idola, altaria, heroumque suorum deambulaverint sepulchra. *Cap. IX* in cerimoniarum a Judæis sine divino nutu e gentium sacris arcessitarum numerum referuntur ritus funebres & sepulchrales, sigillatim 1) tubicinum usus in exsequiis, 2) defuncti lotio, 3) compositio, 4) epulum funebre, 5) luctus funebri cerimoniz, 6) sepulchrum circumeundi ritus, & denique 7) pyramidarum erectio. *Cap. X* ritus in deferendis Hierosolymam primitiis observatos, *XI* nudipedalia eum sacerdotum, tum gentis totius, *XII* lotiones Hebræorum quotidianas, easque partim totales, partim partiales ante prandium, *XIII* purificationes seu baptismum, 1) quoad initiationem, 2) expiationem, 3) sanctitatem vel regenerationem, 4) purgationem, *XIV* annuam encæniorum celebrationem, & *Cap. XV* denique morem Judæorum orandi versus templum recitat, eo consilio, ut omnia hæc instituta ab Hebrææ gentis præsidibus, injussu Dei, a commentitiorum Deorum cultoribus petita, & ad cultum vero Numini exhibendum translata fuisse, extra omnem, prout Autoris quidem nostri sententia fert, dubitationem collocetur.

Atque hæc est summa *libri quarti Spenceriani* operis recens editi, cujus recensendæ fidem nos initio dedimus. Singularis *Spenceri* opinio, quam, tanquam Helenam suam, novis hic exornavit

navit pigmentis, uti a nobis sub examen haud revocari potuit, ita quin varias eruditorum sit expertura censuras, nulli dubitamus; quandoquidem eandem in tribus prioribus libris propositam per-  
 aurorum promeruisse calculum, constat inter omnes.

Proximum est, ut, quæ operi adjecta est, pereruditam *de natura & origine phylacteriorum Judaicorum*, ab Autore iridem jam dudum promissam, Dissertationem contemplemur. Phylacteria inter præcipua pietatis Judaicæ indicia vel instrumenta jure meritoque connumeranda esse, ex *Chaldei Paraphrasis*, ac *Maimonidis* testimoniis, ut & celebratissimis Judæorum effatis, in præfatione evincitur. Quemadmodum vero tria sunt Phylacteriorum genera, nimirum טַטְפוֹת quæ capiti, תְּפִילִין quæ manibus, & מְזוּזוֹת quæ postibus affigebantur; ita non nisi de duobus istis, quæ primo loco nominantur, hic instituitur tractatio: quorum *Cap. I* fabrica, id est, materia & forma indicatur, adjectis, majoris perspicuitatis ergo, & Phylacterii capitis, & Judæi precibus attentis, adeoque תְּפִילִין, מְזוּזוֹת & טַטְפוֹת instructi, imaginibus. At *Cap. II* Nomina 1) Hebræa טַטְפוֹת & תְּפִילִין 2) Græca, Φυλακτήρια & ἀσάλευρα, enucleantur. Porro *Cap. III* Phylacteriorum origo non Deo tribuitur, contra quam *Justinus Martyr*, *Hieronimus*, *Theophylactus*, alique recentiores eruditi opinantur, verum potius *Cap. IV* 1) e certis sacræ Scripturæ locis, quæ hic ab abusu vindicantur, perperam intellectis, 2) ex amuletis, laminis aut chartulis, quæ characteribus ethnicis & magicis exaratae erant, consimilibusque gentilium ritibus in ecclesiam Judaicam propagatis deducitur, additurque 3) hujus conjecturæ defensio. *Cap. V* usum & intentiones horum Phylacteriorum religiosas ac superstitionosas, & *VI* antiquitatem, quæ sub exeuntis Judæismi tempora refertur, ob oculos ponit. Tandem *Cap. VII* huic ipsi dissertationi finis imponitur corollario, in quo ex doctrina de Phylacteriis concluditur, Judæos profunda scripturarum, linguarum, antiquitatum ethnicarum, propriarumque traditionum ignorantia laborare.

Præter insignes has, quas hactenus commemoravimus, accessiones, *libro etiam primo* pariter, ac *secundo*, nonnulla nova capita, & eo quidem ordine, quo Autor voluit, ab Editore inserta,

exhibentur: ubi semel electa hypothesis, Deum videlicet ipsum, idololatriæ velut indirecte obviam iturum, ceremonias Judaicas tantum non omnes a profanis Deorum cultoribus depromsisse, nova capit præsidia. Ita enim statim *Lib. I Cap. II*, quod integrum de novo adjectum est, ex instituto evincitur, Decalogum non pro norma vitæ morumque universali admittendum, verum genti duntaxat Israeliticæ promulgatum divinitus esse, idololatriæ præcaveandæ & eradicandæ gratia; id quod 1) de prioris, 2) de alterius tabulæ præceptis ostendit Autor, sibi que hac ratione, 3) viam paravit ad comprobandum, leges quoque rituales eodem consilio a supremo legislatore fuisse datas: qua de re postea exposuit. Eiusdem libri *Cap. VI* docet, per legem Mosaicam gentium profanarum ab Israelitis, tanquam *שֵׁרֵפְתַי שֵׁרֵפְתַי* *Exod. XXII, 31*, factam esse separationem, eamque 1) politicam non minus, quam naturalem; hancque 2) idololatriæ etiam fuisse impedimento. Qua occasione 3) lex illa perobscura *Deut. XXIII, 2*, de *גֵּרִים*, quæ vox, explosis aliorum opinionibus, per *alienigenam, extraneum, seu gentilem* hic exponitur, lucem accipit, applicaturque 4) ad palmariam hypothesis. Cui pariter corroborandæ *Cap. IX* inservit, de festis Hebræorum septiduanis, mensuris, annisque exponens, remque per singula eundo demonstrans. Sic & *Cap. XIV* leges Judaici populi ceremoniales sive rituales in medium affert, probatque, 1) eas valde onerosas molestasque exstitisse, præcipue cum 2) numerosæ, inutiles, severæ, sumtuosæ, operosæ, novæque fuerint, indeque adeo consequi, 3) ut idolorum cultui obstitierint: tum 4) respondetur ad objectiones. Jungitur sub finem hujus voluminis *nova Dissertatio* de ratione legis usuram prohibentis, *Exod. XXII, 25, 26, 27*, alibi que promulgatæ, ubi, sensu & scopo legis indicato, potiores ejusdem rationes, *a parte Dei, & a populi Judaici, regiminis, terræ, religionis, legumque* aliarum ad politicam Hebræorum pertinentium indole ac natura desumptæ, suppeditantur, ultimoque loco dubiis aliquot obviam itur.

Jam ad nova *Libri II* additamenta quod attinet, *Cap. VII* inter ea primum sibi vindicat locum, ubi lex de juvenula in valle aspera decervicanda, quæ *Deut. XXI, 3, 4* sancitur, enarratis ejusdem causis, obiter modo, ac veluti per transfennam explicatur. *Cap.*



*XXI* legem pertractat de variis divinationibus inhibitis *Levit. XIX, 26*, in qua Ebræa vox  $\text{קַדְוָה}$  latiori ambitu non solum ad *ἰσομαγείαν*, sed & ad *ἀγριδομαγείαν*, reliquasque divinationes refertur. Subsequens *Cap. XVII* agit de temporum observatione *Levit. XIX, 26*, edocetque, hanc ea mente a Deo fuisse interdictam, ut *περυσγίαν* gentilium superstitionem & magicam, qua dies certos aut albo aut nigro lapillo notabant, a populo Judaico depelliceret. In *Cap. XXI* lex, quæ ad  $\text{קַדְוָה}$  *Levit. XIX, 31*, respicere Judæos vetabat, exponitur, ita quidem, ut, voce  $\text{קַדְוָה}$  de Spiritu Pythonico seu fatidico explicata, ritum consulendi Pythones gentili, maxime Ægyptio, declarato, legis cautæ rationes reliquæ tractationis utramque faciant paginam, quas inter præcipua est, ne Israeliticus populus ob *Obbos* illos Ægyptios, virtutem propheticam mentientes, veros ac genuinos vates contempui haberet. *Cap. XXII* vox  $\text{שֵׁכֶלֶת}$  hoc est, lapis Syrorum & Ægyptiorum idololatriæ, ex *Levit. XXVI, 1*, erudite describitur: sicut & *Cap. XXIII, Levit. XXVI, 30*, alibique memorata  $\text{בְּמִטָּה}$  seu Excelsa gentilium complectitur, quæ sunt vel *naturalia*, id est, montes, in quibus construiebantur delubra, aræ, hujusque generis alia cultus profani instrumenta, vel *artificialia*, quo numero altaria, columnæque præaltæ habentur. Peculiari *Dissertatione*, *Cap. XXIV* inserta, de Tyrriorum *Gammadim* ad *Ezech. XXVII, 10, 11*, tractatur, quo nomine simulacra parvula, eaque plerumque cubitalia, in domibus aut turribus paganorum, in eorum tutelam erecta, insigniri dicuntur. *Cap. XXV*  $\text{עֲבֹדֵי עֲבֹדֵי}$  *Exod. XXXII, 1* illustrat, hacque appellatione statuas vel columnas altiores, ligneas aut lapideas, ad Obelisci vel Pyramidis Ægyptiæ similitudinem formatas, & ad Deorum cultum usurpatas, indigitari probat. *Cap. XXVIII* legem de  $\text{עֲבֹדֵי}$  ab altaris confinio removenda ex *Deut. XVI, 21, 22* exponit, hancque, sicut & reliqua hæcenus recensita, non nisi ad idololatriam averruncandam, a Deo prohibitam esse observat. Eodem quoque legem, qua Eunuchi ab Ecclesia Dei arcentur, *Deut. XXIII, 1*, respexisse, *Cap. XXXIV* ostendit, eamque vindicat.

Claudit alterum volumen propter argumenti similitudinem  
Dd Differ.

Dissertatio nova, eaque lectu perquam jucunda, in distichon illud *Martialis* vexatissimum, *Lib. XI Epigram. 95* :

*Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis.*

*Non credo: jura, Verpe, per Anchialum.*

Ex ipsa nimirum carminis connexione lucide apparet, fuisse Romanam poetam quendam Judæum, qui, cum *Martialis* puerum deperiret, quin etiam prædicasse ferretur, interposito per *templa Tonantis* jurejurando, se purgaturus erat. *Spencerus* noster, *Seldeni*, *Grocii*, *Hammondi*, & aliorum de hocce juramento examinatis sententiis, in eam tandem ipse ingreditur opinionem, latuisse in eo ambiguitatem; quandoquidem Judæus subdolos non tam per *templa Jovis*, quam potius *Jova* juravisse videatur: ut adeo haud mirum sit, cur is apud *Martialem* suam decoxerit fidem. Per *Anchialum* vero, celebrioribus doctorum sententiis recensitis atque rejectis, intelligit ipsum illum *Martialis* puerum: & juramentum per *Anchialum* eo nomine prætulisse *Martialem*, quod ei non credibile videretur, Judæum per huncce amasium suum pejuraturum, cumque diris devoturum, cum ipsi metuendum esset, ne is ad iram provocatus, nudam apertamque veritatem præderet.

Subnectuntur indices rerum, locorum *Scripturæ*, & autorum Græcorum, Latinorum, Anglicorum, Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum & Arabicorum, una cum eleganti operis *Talmudici*, *Mischna*, & totius *Jad Chazakab* *Maimonidis*, dispositione, ubi utrinque commendantur doctissimi viri, qui unam vel alteram partem Latine transtulerunt. Ceterum Clarissimus Editor Autores allegatos ipsemet evolvit, errata in citando commissa correxit, nihilque a se desiderari passus est, quod aut ad nitorem aut ad perspicuitatem operis facturum existimavit.

**CURSUS PHILOSOPHIÆ ECLECTICÆ**  
*XXXVII Tabulis, iisque paulo plenioribus delineate,*

**JACOBO WILHELMO FEUERLINO,**

*Professore Altdorfino.*

Altdorfii & Norimbergæ, apud Jul. Arnold. Engelbrecht,  
1727, fol.

Non

**N**on sunt logodædalicæ hæc Tabulæ, sed succiplenæ, & Philosophum eclecticum in nuce exhibentes. Uniuscujusque enim disciplinæ philosophicæ summa capita hic traduntur perspicuo ordine & abdicatis, quantum fieri potuit, præjudicatis opinionibus. Ac prima quidem Tabula agit de Philosophia in genere; subsequentes septem persequuntur Historiam philosophicam; nona Philosophiam theoreticam generatim considerat; decima & undecima Arithmeticam exhibent & Geometriam, una cum duabus tabulis æneis; sequentes novem exponunt Physicam; vigesima prima & secunda tradunt Pnevmaticam; duæ subjectæ Theologiam naturalem & Ontologiam sistunt; vigesima quinta contemplatur Philosophiam practicam in genere, dividens eam in duas partes, quarum una actiones intellectus dirigit, altera actiones voluntatis; hinc tres sequentes exhibent Logicam, vigesima nona Criticam, trigesima Didacticam; trigesima prima & sequens Ethicam; tres subsequentes Jurisprudentiam naturalem; postremæ duæ prudentiæ publicæ & privatæ regulas repræsentant. Non est nostri moris, compendium compendii exhibere. Placet tamen pro spécimine nonnihil proferre. *Tab. XXI* ait, modum, quo per sensationes ideæ oriuntur, nesciri, rem tamen ipsam, quod scilicet ideæ inde oriantur, in dubium vocari non posse, adeoque vel ex eo labefactari systema harmoniæ præstabilitæ, quod cum Scepticismo Idealistarum non pugnare existimat. *Tab. XXII* spectra plurima deberi censet imposturæ sacerdotum & aliorum vafrorum hominum, superstitionum & nimis credulorum erroribus & fallaciis: tantam quippe vim esse imaginationis per varia infantia territorialia, aliorum relationes aliasque causas præoccupatæ, ut phantasmata fictitia a sensationibus veris, & ab his subsequentiæ præcipitata & falsa judicia vix satis distinguere liceat. *Multum ergo tribuere*, inquit, *duobus imperterritis testibus sine prævia communicatione idem expertis*. Caveri item jubet, ne relationibus S. Scripturæ falsum e præconceptis opinionibus affingamus sensum. Unde *Sam. XXVIII*, negat, Sauli visum esse Samuelem, & Pythonissam, se ipsum videre dicentem, mentiri potuisse. De magis & sagis judicat innumeras circumferri fabulas, e criteriis fidei historicæ rejiciendas: nonnulla tamen ita esse com-

parata, ut indicia demonum malorum probabilissime habeantur. *Tab. XXIX & XXX* etiam ars exegetica & disputatoria exhibetur satis concinne. *Tab. XXXIV* iudicat, conjugium fratris cum sorore jure naturali incestuosum non esse: id enim qui statuat, eum non posse non concedere, totum genus humanum ortum esse ex incestuosis nuptiis liberorum Adami. Jus Principum circa sacra breviter, sed summorum insitens Philosophorum vestigiis, describit *Tab. XXXV*. Et hæc quidem e tanto philosophicarum sententiarum cumulo sufficient.

## AN INSTITUTION OF FLUXIONS &amp;c.

hoc est,

**INSTITUTIO FLUXIONUM, CONTINENS**  
*prima principia & operationes una cum usu & applicatio-*  
*nibus aliquot methodi hujus admirandæ; Autore HUM-*  
**FREDO DITTONO**, nuper Magistro Scholæ novæ  
*mathematicæ in Orphanotrophio Christi. Editio secunda,*  
*revisâ, correctâ & auctâ a JOANNE*  
**CLARKIO, Th. D.**

Londini, apud Jacobum &amp; Johannem Knapton, 1726, 8.

Sect. I.

**I**N gratiam tyronum Geometriæ sublimioris has Institutiones *Arithmetica Fluxionum*, quam vocant Angli, seu vulgo sic dicti calculi differentialis, cum conscripserit Cl. *Dittonus*; id imprimis agit, ut notionem *Fluxionum* explicet ac fundamenta calculi inde eruat. Secutus autem est schema, quod Vir magno suo merito summus, *Isaacus Newtonus*, Tractatui Quadraturarum præfixit, ut adeo Commentarii instar habendus sit hic liber in propositionem primam illius, quæ Algorithmus iste continetur. Cum lineæ continuo motu punctorum, superficies motu linearum & solida motu superficierum gignantur, ideo magnitudines tanquam *fluentes*, seu fluxu continuo mutabiles, considerantur, & hinc *fluentes* a *Newtono* appellantur; velocitates vero, quibus continua incrementa, quæ non tanquam actu generata, sed tanquam nascencia spectantur, *fluxiones* vocantur. Velocitas hic consideratur incre-  
 menti

menti non actu geniti, sed nascentis, aut ad realem existentiam tendentis, propterea quod in incremento actu genito concipi debeat infinita varietas sive series velocitatum, atque adeo velocitati respondere nequeat notio clara, distincta & determinata. Hinc infert Noster, fluxiones quantitatum fluentium invenire, idem omnino esse ac relationem velocitatum motuum determinare, quibus illæ quantitates fluentes describuntur, & e contrario ex fluxione reperire fluentem, pe. inde esse ac ex relatione velocitatum genitricium determinare magnitudines, quæ iisdem gignuntur. Infert porro, fluxiones esse exacte in ratione incrementorum nascentium, cum velocitates in primo momento generationis, quo omnis inæqualitas exspiret, sint spatii proportionales. Quamobrem relationem velocitatum, quibus quantitas fluens describitur, inventurum sumere debere incrementa eadem temporis particula genita. & primam eorum rationem in statu nascentiæ, vel ultimam in statu evanescentiæ considerare tanquam relationem fluxionum. Postquam huic notioni conformiter relationem fluxionum in variis casibus magnitudinum genitarum terminis ordinariis expressam demonstravit, inde ad notationem fluxionum progreditur, abunde notam, ut de eadem dicere superfluum existimemus. Algorithmum fluxionum expositurus, solvit problema *Newtoni: data æquatione, quæ aliquot quantitates fluentes involvit, invenire ejusdem fluxiones*, idemque demonstrat. Hinc demum quantitatum fluentium fluxiones capiendi regulas deducit, quæ apud nos differentiandi regulæ appellantur, & in usu calculi familiares esse debent. Subnectit huic tractationi alteram de fluxionibus secundis, ubi demonstrat, regulas easdem hic obtinere, quas pro fluxionibus primis dederat. Addit quoque fluxiones Logarithmorum & quantitatum exponentialium, secutus ea in re vestigia celeberrimi *Johannis Bernoullii* in Actis Eruditorum, quemadmodum in præfatione ipse confitetur. A methodo directa ad inversam progreditur, qua ex datis fluxionibus investigantur fluentes, ubi regulas fundamentales methodi inversæ ex directa deducit & in ceteris ad *Cheynæum* & *Moivræum* lectorem ablegat. Et quoniam calculi applicationem consuetam apud Anglos ex instituto dudum tradidit *de Hayes*, quemadmodum a nobis annotatum est

Sect. II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

Sect. IX. in Actis A. 1705 p. 474, ideo Noster non nisi selecta quædam problemata exempli loco proponit, quæ inter *Bernoullianum* de curva celerrimi descensus, & *Leibnitianum* de curva isochrona compareret. Ultimo loco exhibet specimen usus fluxionum in Dioptrica & Catoptrica, quod nititur lemmate quodam *Newtoniano*.

**PITHOMETRIÆ THEORIA ET PRAXIS**  
*nova &c. quarum illa post partes priores III, antebac separatim editas, addita ultima suppletur, altera recens editur a JOH. MATTHIA HASIO, Math. P. P. O.*  
*Witteb.*

Wittebergæ, ap. hæredes God. Zimmermanni, 1728, 4-  
 Plag. 19 cum 2 fig. 21.

**T**ractationis hujus Cl. Autor, Collega noster, in præf. occasionem descriptionis commemorat, suppeditatam a Viro Cl. Christiano Martini, nunc quidem Profess. Academiæ scientiarum Petropolitanae, tum vero Wittebergæ studiis imprimis Mathematicis excolendis occupato: qui cum specimen profectuum in Algebra factorum more Academico editurus esset, materiam de dimensione doliorum, tanquam publico admodum utilem, elegit, atque adeo Autorem, cujus institutione utebatur in illis disciplinis, compellavit, ut ipsum in elaboratione adjuvaret atque dirigeret. Hoc labore suscepto, tres priores ad theoriam doctrinæ hujus spectantes partes forma disputationum Academicarum tum quidem statim publicatæ fuere, sed cum reliquarum partium editio hæcenus aliquam remoram passa fuisset, hunc defectum supplere, & completam, prouti destinatio quoque prima fuerat, tractationem jam exhibere Nostro visum fuit. Est vero, ut in compendio dicamus, methodus & institutum Autoris tale, ut in utraque parte & theoretica & practica aliorum sententias & praxes magno numero allatas examinet, ponderet, & solutiones problematum Pithometricorum varias conferat, & quantum auxilii ab Algebra & Analyfi recentiori in iisdem expectari possit, exponat.

Primo ostendit, vix esse spem, ut determinatio figuræ doliorum Geometrica vel Algebraica, qualem tentavit Illustris *Bernoullius*,

*lius*, aliquid subsidii afferat in hac inquisitione, dimensionis scilicet doliorum, imprimis quia curvarum illarum definitiones formulas subministrant, quæ Arithmeticam integrationem respuunt; unde recurri merito autumat ad hypotheses rationabiles, de natura & figura curvæ doliaris; adeoque exhibet solutiones in suppositione dolii comparati *cylindro aequatarum basium vel diametrorum baseos, cono duplici truncato*; inque suppositione curvæ *circularis Ellipticæ, parabolicæque*, factæ partim a parabola truncata, circa axin primarium, partim circa lineam semiordinatæ ad axin primarium parallelæ rotata. Quam posteriorem suppositionem tum aliis de causis, tum propter inferiora reliquis præfert.

Scilicet in ea parte, qua de dimensione doliorum semiplenorum & quidem in ventrem cubautium agit, observat liquoris residui quantitatem methodice resolvi in duplicis generis partes: mediam, cujus dimensio in qualibet suppositione curvæ doliaris, vel circularis, vel ellipticæ, vel parabolicæ, facile habeatur, & binas partes ad latus ejusdem corpora trihedrica quædam constituentes, quarum dimensio per consuetas calculi integralis regulas non aliter haberi possit, quam si suppositionem secundam de figura dolii parabolica secundo loco memoratam adoptemus. Quæ suppositio adeo, ex eaque deducta resolutio, eo gratior est, quia simul corollarii loco exinde sequitur, liquores residuos quoscunque in doliis, quorum ratio diametri ventris & fundi eadem, semper esse in proportionem Geometricam directam altitudinum.

Unde adeo in parte altera, in qua de praxi per virgas agitur; cum vulgariis virgarum quadraticarum & cubicarum, (quarum hæc ita fiunt, ut doliorum proportionem in transversa ex orificio dolii ad extremum fundi ducta capiantur) naves exposuisset, commendassetque pro doliis plenis metiendis potius cubicas virgas tales, quarum applicatio fit ad diametros ventris vel fundi ipsos vel ad altitudinem dolii (cognita scilicet specie dolii sive proportionem, quam habet diameter ventris ejus ad diametrum fundi) tandem pro praxi dimetiendorum doliorum proponit scalam aliquam Pitheometricam ex fundamentis illius corollarii deductam.

Scala hæc non est alia quam curva aliqua, cujus abscissæ respon-

spondent altitudini liquoris in dolio ejusmodi semipleno, semior-  
dinatæ vero quantitati liquoris residui. Unde adeo priori cog-  
nita, posterior ex illa figura per applicationem circini ad curvam &  
adjectam scalam cantharorum sive mensurarum liquidi suctarum  
obtinetur. Servitque una ejusmodi curva descripta non solum pro  
omnibus doliis eandem proportionem diametri ventris & fundi  
& altitudinem dolii duplam diametri fundi habentibus, quantum-  
vis de cetero differant magnitudine, verum & pro doliis altitudi-  
nis cujuslibet alius. Ita ut, si pro omnibus casibus & speciebus do-  
liorum, ( quæ saltem pro ratione proportionis inter diametros  
ventris & fundi variant) parati esse velimus, saltem alias ejusmodi  
curvas, vel scalas Pithometricas, numero sane non admodum mul-  
tas, describi opus sit. Sub finem præfationis Autor spem facit se  
editurum tractationis hujus compendium ad captum & praxia  
vulgi accommodatum Germanico sermone.

*JOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI, PRI-  
marii Professoris Patavini & Regiæ Londinensis Societatis  
Sodalis, Epistolæ Anatomicae duæ, novas Observationes &  
Animadversiones complectentes, quibus Anatome augetur,  
Anatomicorum Inventorum Historia evoluitur, &  
utraque ab erroribus vindicatur.*

Lugduni Batavorum, apud Joannem Kerkhem, 1728, 4.

Alph. 1 pl. 18.

**C**ompositas fuisse, quæ Morgagnum inter & Blancum inter-  
cesserant, lites, Lancisii interpositione, in Actis 1720 Mense  
Martio pag. 144, illius Adversaria Anatomica omnia recensentes,  
monuimus quidem, datam vero fidem diu servatam haud esse,  
tempus docuit. Postquam enim Johannes Baptista Blancus Histo-  
riæ Hepaticæ suæ novam paravit editionem & Animadversiones  
adjecit, novis insultationibus Morgagnum aliosque in illis laceffe-  
re non dubitavit. Unde irritatus Morgagnus Blanci Historiam  
Hepaticam, ejusque tabulas, orationes, animadversiones, exami-  
navit, errores graphice depinxit, se, Malpighium, & Lancisium  
defendit, huncque laborem amicis duabus in Epistolis communi-  
cavit,



cavit, quas dignas judicarunt iidem quæ divulgarentur. Cujusmodi lites tamen nostras facere haud soleamus, negare tamen non possumus, contineri in præsentibus Epistolis haud vulgaria, quæ ad subtiliorem Anatomem, hepatis potissimum, spectant. Si quidem in iis differitur de ligamento hepatis superiori & dextro, de trunci venæ cavæ habitudine, de naturali jecoris positu, sede & figura, de eminentiis & lobulis hepatis, de arteria hepatica, de cystis fellæ sede, de angulo meatus cystici cum ductu hepatico, de ingressu venæ portæ ad hepar, de venæ cavæ exitu ex hepate, de ramulorum venæ cavæ orificiis hiantibus, de vasis lymphaticis jecoris, de productionibus membranaceis inter pancreas & cystemam chyli, de ductu choledochi, de hepatis foveis, de funiculis, quos intercostalis & spinales nervi suppeditant, de ductibus hepato-cysticis & cyst-hepaticis in homine, de calculis vesicæ fellæ, de reticulata intima faciei folliculi fellis structura, de valvulis canalibus cysticis, de glandulis folliculi ejusque ductuum, de tunicis cystis, de sinibus ductus hepatici, de venæ portæ structura, de biliaris & hepatis usu, hujusque morbis. Imprimis legi merentur, quæ Clariss. Morgagni pag. 45 de dilatatis ductibus cysticis, pag. 46 de calculorum vesicæ biliaris colore, figura, consistentia, & diagnosi, pag. 68 de vesicæ urinariæ tunica media musculoosa & figura, p. 74 de viperæ anatome, p. 92 de Academia & Professoribus quibusdam Bononiensibus, & p. 96 de Inventis Anatomicis differit.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE  
de Louis XIV.

h. e.

COMMENTARIUM AD HISTORIAM LUDOVICI  
XIV, Galliarum Regis, pertinentes, congestæ ab Abbate DE  
CHOISY, Academiæ Gallicæ membro.

*Tomi III.*

Amstelod. apud J. Fr. Bernard. & N. E. Lucas, 1727, 12 maj.

Alphab. 1.

**E**ditores statim in libelli hujus frontispicio nos admonent, hæc editionem correctiorem & auctiorem esse illa, quæ adhuc

E c

fur.

furtim distributa est; tum in præfatione sinceritatem, veritatis amorem & stylum aulicum Autoris multis laudibus extollunt: ipsa vero inspectio prodit, amphoram cœpisse institui, exiisse urceum, opusque hoc non librum esse, sed libri embryonem, inchoatum, non absolutum, stylo magis vago & populari, quam nobili ac aulico conscriptum, sine iudicio, sine ullo ordine. Fontes præterea, unde Autor relationes hæcè hautit, ita comparati sunt, ut, si veritatis studium non debilitant, ipsam tamen veritatem parum confirmant. Nempe omnia quæ suis oculis non vidit, ex muliercularum commercio, præsertim a *Matre* sua, (quam foemina naris minime obœsæ, virisque illustribus & ipsi Regi familiarem fuisse centies inculcat) a servis regiis, a domesticis Cardinalis Mazarini, aliisque hujus farinae testibus accepit, vel expiscatus est. Lepida sunt, quæ ipse Autor hac de re exponit Tom. I pag. 34 seq. *Dicam vobis, inquit, qua via has relationes solitus sum contexere: primum scribo omnia, quæ ipse scio, & quæ Mater mihi narravit. Deinde homines, qui negotiis gerendis interfuerunt, interrogo, sub specie quadam ingenuitatis & meræ curiositatis; cum nemo credat, me Regis historiam consignare velle. Colloquor cum Rosio, de tempore Cardinalis Mazarini, Briennium, Pontchartrinum, Villaregium, & Pellissonium sepe percunctatus sum. Tum garrientem audio vetulam du Plellis-Bellierre, quam ætas nondum insanire fecit. Confabulor cum senecione Bontempio, cum Joyeuse, cum Chamarante podagrico, & ob id magno sodalitiis amatore. Quidquid ab horum congerro-num uno audiui, id cum altero fabulandi materiam mihi præbet. Tandem diversas hæcè lectiones inter se confero, & si in qua re plures conveniunt, hanc esse veritatem non dubito &c. Inde est, quod ubivis autores suos sic producit: dixit hoc mater mea; hæc me docuit Servianus, matris meæ cognatus; audiui narrantem Rozium &c.*

Interim negari nequit, in hoc libello quædam tamen scitu digna, huc atque illuc dispersa, inveniri; qualia sunt *apophtegma* Ludovici XIV, quæ libro I magno numero cumulantur. In libro II mors Cardinalis Mazarini; in libro III autem *Fouqueti*, thesauri regii summi Dispensatoris, lapsus & interitus curiose factis

tis describuntur. Legi etiam meretur in Lib. VII historia *Danielis de Cornac* Episcopi Valenciensis, & in Lib. IX historia *Brisacerii* scribz, qui se pro filio Joannis Sobiesky, Poloniarum Regis, venditavit. Præsertim vero in Tom. I lib. 2 pag. 103 seq. characteres, seu descriptiones morum & indolis *Quatuorvirorum* istorum, penes quos, post Mazarini obitum, summa rerum in Gallia erat, adeo nobis placuere, ut gratum nos lectoribus facturos existime-  
mus, si illas animorum icones, licet paulo contractius, hic si-  
stamus:

**NICOLAUS FOUQUETUS** magna negotia facillime ex-  
pediebat; sed plerumque negligenter. Neque legum, neque lite-  
rarum rudis, conversationis suavitate, nobilitate morum & scri-  
bendi elegantia excellebat. In audiendo patiens, in respondendo  
comis, sibi ipse tantopere blandiebatur, ut, si vel leve beneficium  
in quempiam contulisset, amicum usque ad aram illum sibi fore  
non dubitaret. In diem licet viveret, parum providens quid  
futurum sit, omnia tamen solus gerere, primus Regis amicus  
esse, sed nec voluptatibus suis vel momentum temporis detrabe-  
re volebat. Non raro multis se impeditum negotiis simulans, in  
villa latitabat; sed dum clientes, ante ostium cubiculi ejus præ-  
stolantes, tanti viri indefessam diligentiam deprædicabant; ipse  
per scalam occultam in hortum descenderat, ubi meretricularum  
confortium auri libris redimebat. Mazarino satis functo,  
se summa rerum potiri & Regem juvenem ludis deliciisque oc-  
cupare posse sperabat; sed fallebatur: cum & Mazarinus male  
eum Regi commendasset, & ipse reliquos Ministros nimia super-  
bia offenderet. Persuasus, satis divites esse Principes, dummodo  
populus rebus omnibus abundaret, optimo præcepto, quod nimi-  
am extendebat, pessime utebatur, dilapidando Regis thesaurum,  
regniq; proventus, vel in triennium, anticipando, &c.

**MICHAEL TELLERIUS** omnia dona externa quam lar-  
gissime a natura acceperat, faciem venustam, oculos vegetos, risum  
decentem, ingenium suave, facile & commodum, verbo, integram  
boni viri superficiem. Tam circumspecte compositæque loqui ba-  
tur, ut plerumque callidior haberetur, quam esset, nec raro pru-  
dentia ejus homines tribuerent, quod ignorantia erat effectur:

*Modestus sine affectatione, benevolentiam Regis non minor cura, quam proprias divitias, celabat. Promittendo facilis, raro stabat promissis. In domesticis timidus, in publicis rebus animosus & audax, ingenio fruebatur mediocri & circumscripto, neque ad summa nato, tenacissimo tamen proposito, si aliorum ope semel animo conceptum esset; cum nulla cupiditates motibus animi dextre imperantem ab instituto unquam averterent. Decorum & civilitatem in communi vita commercio stricte observabat, imprimis autem humanitatem, ultra quam de amicitia ejus parum erat sperandum. Inimicus contra implacabilis, nil cupidius querebat, quam occasionem, a quo offensus esset, feriendi; sed feriendi clanculum, ne inimicos sibi compararet, quorum ne abjectissimos quidem contemnebat. Religionem devote semper coluit: unde paucis diebus ante obitum suum exclamavit, sed plane ex animo, se jam vita non penitere, cum hanc felicitatem fortuna sibi adhuc superstiti tribuerit, ut revocationem Edicti Nannetensis subscriptione sua corroboraret.*

**HUGO DE LIONNE**, nobilis Delphinus. Hujus animum naziva virtute sublimem, vegetum ac perspicacem negotia, quibus a Mazarino Cardinale mature fuerat adhibitus, maximopere acuerant. Homo quantumvis vaser, tantam calliditatis famam & estimationem possidebat, ut cum Italis nullum pene tractare negotium posset, quippe sibi ipsis diffidentibus, si cum illo res agenda esset. Et ingenio & literis instructus, satis tamen male scribebat, sed facile; cum nollet operam dare, ut melius scriberet. Ceterum privati sui compendii parum cupidus & bona fortuna ad id unum prodesse ratus, ut voluptatibus inservirent, chartis tesseriisque avide ludebat, patrimonium dissipabat, nihilque sibi non permittebat, etiam cum damno valetudinis. Ignavus & languens, nisi agendi voluptate traberetur; impiger & indefessus, si necessitas urgeret, nihil admodum committebat vicariis, omnia ipse expediebat, scribebat, dictabat &c.

**JO. BAPTISTA COLBERTUS**, contracta fronte, oculis profundis, nigris spissisque superciliis, vultum prae se ferobat primo aspectu austerum, ferocem & indomitum: sed si paulo mansuetus esset, facilis, expeditus & inviolatae integritatis reperiebatur.

tur, ut qui bonam fidem omnium negotiorum solidissimum fundamentum esse firmiter sibi persuaserat. Pertinax industria ac insatiabilis discendi ardor pro eruditione ipsi stabat, & quanto illiteratior, tanto magis id querebat, ut doctus videretur. Quamobrem sententias Latinas, quas in memoriam redegerat, doctoresque mercenarii ipsi explicaverant, alieno sepius tempore & loco proferebat. Posteaquam vino valedixit, nulla amplius mala libidine captus est. Supremam fisci praefecturam fidelissime administravit; cum antecessores ejus pecuniam publicam exegissent, neque accepti neque expensi habita redditave ratione. Homo solidi ingenii, sed tardioris, ad subducendos calculos praecipue natus, perplexas implicatasque confusiones, quibus Thesaurarii negotia fiscalia consulto intricaverant, ut in tenebris rem suam facerent, felicissime expedivit . . . Rem Galliae navalem & maritimam non restituit; sed de novo creavit, eamque ad illum, quo nunc splendet, virtutis solertiæque fulgorem perduxit; at maximis sumptibus, interdum etiam inutilibus. Veneratione Regis sui semper plenus, id unice meditabatur curabatque, ut nomini ejus immortalitatem pareret. Nummi, statuae, arcus triumphales, & quicquid Eloquentia atque Poësis sublime habent, in id impendebatur, ut Ludovicus Magnus maximam gloriam inter omnes gentes consequeretur: huic fini nec labori, nec annuis pensionibus parcebat, quibus doctissimos quosvis, non Galliae modo, sed universae Europae viros in partes suas pertraheret &c.

*Quis nostrum Autorem posset contemnere? si sic  
Omnia dixisset.*

Verum huic fimbriae non respondet reliquum textum: scripsit tamen alia & meliora, quae recensuimus in his Actis A. 1688 Mense Jan. pag. 12 & A. 1689 Mens. Apr. pag. 222 seq. In hoc quoque libro ipse Autor historiam Caroli VII, Gallorum Regis, se in publicum emisisse commemorat.

MEMOIRES DE MONGLAT.  
h. e.  
FRANCISCI DE PAULO CLERMONTII,  
Ee 3 Mar-

*Marchionis DE MONGLAT, Commentariorum de  
Bello Gallico - Hispanico  
Tomi IV.*

Amstelodami, 1727, 12 maj.

Alph. 2 pl. 121.

**N**Unquam pertinacius, quam seculo superiori, bella gesta sunt; quando Principes Christiani, nescio quo sinistro fato acti, pugnas ubicunque ciebant, bellumque in Bohemia ortum, hic omnem Germaniam & regiones Septentrionales, per triginta annos, devastabat; illic Gallorum cum Hispanis diuinationes, A. 1635 clarigatz inchoatzque, integram, qua Occidentem & Meridiem versus extenditur, Europam peruaserant, nec, nisi post viginti quinque annos sopiri potuerunt. Hoc bellum Gallico - Hispanicum describitur hisce Commentariis, quorum Autor *Marchio de Monglat*, ex illustri *Clermontiorum* familia oriundus, non modo belli aulzque artibus optime fuit instructus; quippe simul castris pæpositus, *Marechal de Camp*, & summus vestiarii regii pæfectus, *Grand Maitre de la Garderobe*: verum etiam tanta eruditionis fama sua ætate inclaruit, ut *Bibliotheca* cognomen ferret, atque ab aulicis *Monglat la Bibliothecque* passim appellaretur. Dispersit omne opus in XXIV Expeditiones bellicas, vulgo *Campagnes*, quæ nihil aliud sunt, quam Annales continui rerum ab A. 1635 usque ad A. 1660 in Europa gestarum, stylo equidem minus culto, masculo tamen ac nervoso, iudicii que pleno, nec sine sale, conscripti. Proœmium, quo historia Galliz a tempore pacis inter Henricum IV & Philippum II Hispaniz Regem, A. 1598 pactæ, usque ad A. 1635 breviter & absolute enarratur, maximum hujus libri ornamentum est: cui relatio elegans, de induciis & pace generali, quæ A. 1660 ad montes Pyrenæos pacta, bellum Gallico - Hispanicum composuit, nec non rerum a Ludovico XIV gestarum recensio usque ad pacem Aquisgranensem, sive A. 1668, colophonem tanto opere dignum imponit. Autor sane, si quid iudicamus, omne boni historici punctum tulit. Rerum, quas percenset, plerumque testis *αὐτόπτης*.

animum a quocunque pravo affectu alienum præ se fert. Non Regi adulatur, non Primatibus, neque partium unquam, vel patriæ aut religionis studio in transversum abripitur. Obsidiones, prælia, & reliquas expeditiones castrenses enarrat, ut miles, negotia civilia, ut aulicus. Imprimis vero Richelii & Mazarini Cardinalium publici status administrationes dexterrime exponit, adeoque integrum regnum Ludovici XIII, & exordia regni Ludovici XIV, Galliarum Regum, explicat. In ipsa horum Commentariorum tractatione Autor Chronologiæ exactissimam rationem habet; ita ut non annos tantummodo, quod in Annalibus fieri necesse est, sed menses etiam & dies rerum memorabilium accurate distinguat. Nec Synchronismi obliviscitur; sed præter res Gallorum & Hispanorum, quæ in Germania, Italia & Lusitania acciderunt, tempore locoque congruo, assidua commemoratione refert. Verbo, liber hic non excerptus, sed legi integer relegique meretur; cum nullibi non aliquid notatu dignum, utile vel jucundum ejusmodi rerum intelligens existimator in eo offendat.

*HISTORIA ECCLESIAE REFORMATÆ IN Hungaria & Transylvania ex monumentis fide dignis a Viro quodam doctissimo magnam partem congesta, & multis accessionibus locupletata, & hoc ordine concinnata a FRIDERICO ADOLPHO LAMPPIO, S.S. Theol. D. Ej. & Hist. Eccles. in Academia Ultraj. Prof. Ordin.*

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. van Poolsum, 1723, 4-Alph. 6.

**I**N præfatione Cl. Editor inter pia desideria accuratiorem certaminum Ecclesiarum reformatarum pro veritate historiam refert, cujus difficultatem & utilitatem ostendit, & *Theod. Haseum*, Theologum Bremensem, ut Annales Ecclesiarum Reformatarum tandem edat, hortatur. Simul ostendit, aptissimum esse ad historiam universalem conscribendam subsidium, si cæterus singuli de suo conferrent, quicquid inter suos domi gestum esse, aut in Archivis suis

suis annotatum, invenerint, aut memoria recoluerint, idque etiam ipsa impulsisse, ut hanc apospasmatiam rerum ad Ecclesiam Hungaricam spectantium, quam Minister quidam verbi scripsit, hortatu D. Dan. Ern. Jablonski, publicè exposuerit luci. Quamvis autem Doctissimus *Lampius* non ipse Autor hujus libri sit, multa tamen ad editionis hujus nitorem attulit, dum turbatum libri ordinem in formam quandam Annalium redegit, quædam minoris momenti omisit, & alia contra majoris momenti adjecit, aut ex autoribus excerpta, aut a viris doctis subministrata. Subjungit tandem binas Theologorum literas, e quarum posterioribus patet, Autorem hujus libri fuisse *Paul. E. Debrezeni*, apud O. Liszcentes Reformatæ Ecclesiæ Ministrum quondam pietissimum.

Tota historia in tres libros dividitur, quorum primus de primordiis nascentis Evangelii in Hungaria & Transylvania agit. Alter est principalis, & Annales Ecclesiæ Reformatæ in terris memoratis ab A. MDXVIII usque ad A. MDCCXXV continet. Tertius monumenta quædam ad illustrationem hujus historiæ pertinentia comprehendit. Primus liber quinque capitibus absolvitur. *Capite primo* primordia Ecclesiæ Christianæ ostenduntur, ubi Autor §. 1 ex locis *Rom. XV, 9* & *Col. III, 11*, (in quo posteriori loco per Scythiam, non Asiaticam, sed Europæam intelligi putat,) probare vult, cum ipsis nascentis Christianismi incunabulis initia conversionis Scytharum ac Pannoniorum conjungenda esse, quæ dein §. 2 alii Apostoli latius extenderint, ubi præsertim ex Hieronymo & Eusebio *S. Andream* nominat, cui tamen *Cl. Lampius* ex Origene, Eusebio, Nicephoro & Simeone Metaphraste contradicit. §. 3 Ex Tertulliano, Ireneo & Justino Martyre progressum Evangelii seculo secundo; §. 4 ex Philostorgio & Sozomeno seculo tertio; §. 5 ex Socrate & Zosimo seculo quarto describit, & §. 6 sigillatim de *Audii* laboribus in propagando Evangelio agit, eundemque ex Epiphanio contra eos defendit, qui ipsum hæreseos accusant. §. 7 enarrat persecutionem per *Atanaricum* in Scythia & Pannonia fuscitam, quæ (§. 8) Arianismo irrumpendi in has oras januam aperuerit, juvante Ulphila, & §. 9 *S. Hieronymum* suis popularibus Ungaris Evangelium prædicasse



casse conjicit. §. 10 Alia vestigia Christianismi ad sec. IV spectantia, & §. 11 nomina illustrium quorundam in Pannonia Martyrum, Nicetæ, Proculi, Hormyli & Ruperti refert, quibus tandem §. 12 Ecclesiæ reliquias seculo V & seqq. subjungit.

*Capite secundo* de Ecclesia Reformata in Hungaria, sub *Carolo Magno* renascente agitur, & quomodo per ejus victorias Hungari ad fidem Christianam conversi sint. §. 1, 2 refutantur ex autoribus probatis sententiæ Stephani Szekelli & Pauli Lysznyai, conversionem hanc ad Hunnos Avars restringentium, & simul §. 3 *Caroli M.* orthodoxia defenditur, id quod cum Arnoldi hist. hæret. L. IX C. I collatum, ulteriori disquisitioni ansam dare potest. §. 4 enarratur, quomodo Hungari post tempora *Caroli M.* partim per sacrarum literarum in linguam Dalmaticam translationem, quam tamen Hieronymo adscribi non posse contendit, partim per vicinorum Polonorum exemplum in professione fidei Christianæ confirmati fuerint, donec per irruptionem paganorum opprimerentur. Cap. II.

*Capite tertio* ostenditur, quomodo tertia vice veritatis lux in Hungaria renata sit, & Geysa novæ Hungarorum conversioni occasionem præbuerit, §. 1, quam Stephanus Rex promovit, §. 2. Hic vero Autor simul ex scriptoribus Romanis infelicitatem temporum illorum §. 3 depingit, quam Papa Sylvester secundus, cujus vitia §. 4 recenset, vel secundum alios Benedictus VIII aut IX, auerit. Nihilominus non ita corruptam fuisse tunc Ecclesiam in Hungaria, ut in aliis locis, §. 7 ex ipsis decretorum Stephani Regis libris probatur, & §. 8, quomodo post varia certamina succreverit ecclesia sub Ladislao, ostenditur. III.

*Cap. IV* alia lucis apud Hungaros primordia a tempore *Waldensium* recensentur. Hinc Autor §. 1 *Waldensium* originem breviter tangit, eosque in Hungariam usque dissipatos fuisse docet; collata etiam §. 2 doctrina *Waldensium* cum Reformatæ Ecclesiæ placitis, ex Lancelotto probare nititur, eam cum Reformatorum doctrina convenire. Dein ostendit §. 3, Bulgarorum historiam cum Albigenis causa singularem habere nexum, id quod porro §. 4 probat ex Thuani Hist. L. XXVII ad A. Chr. 1561 p. 1213, qui scribit, *Convallensium partem in Sarmatiam transmississe.* IV.

*graffi*. §. 5 refert, quomodo Hussite, quos Pius II Hist. Boh. C. XXXV Waldensium sectam vocat, cum Hungaris communionem coluerint, quod §. 6 ex *Perrino & Legero*, Historiæ Waldensis scriptoribus, aliisque probat. Narrat §. 7, Hussitas a Rege Matthia Hunniade primo durius, deinde mitius habitos fuisse, quod ulterius §. 8 testimoniis *Adriani Regensvolsii* & Autoris Hist. persec. Eccl. Bohem. corroborat. §. 9 affirmat, Hussitas sub Uladislao II eandem expertos esse sortem, quam sub Matthia; & §. 10 corruptissimos Cleri Romani in Hungaria mores perstringit, quos §. 11 etiam *Job. Vitesius*, Episcopus, graviter reprehendit. Tandem §. 12 alii motus describuntur, qui Reformationi in Hungaria viam aperuerint. *Capite* demum *quinto* excerptum ex præfatione scripti cujusdam *Severini Sculteti* affertur, quo præcedentis capituli narrata confirmantur, & sic Liber I clauditur.

Liber II Annales E. Ref. in Hungaria & Transylvania continet ab A. MDXVIII usque ad A. MD CXXV. Hic enarratur, quomodo partim per Librum *de horrendo Idololatria crimine*, partim per Lutheri scripta, semina reformationis in Transylv. sparsa sint A. MDXVII & MDXIX. A. MDXXXII *Vibelyinum*, superioris Hung. oppidum, & urbs *Cibiniensis* in regno Transylvaniz reformari cœperunt. In hac urbe *Marcus Pempplingerus*, regius apud Cibinenses Judex, cœlestem doctrinam confirmabat, cujus tamen conatibus *Ludovicus* Rex obstitit, duobus editis A. 1522 & A. 1523 editis. Imprimis notandum edictum contra Lutheri doctrinam a. e. promulgatum, nec non, quod in Comitibus Pestanis A. MDXXV editum est. Nihilominus post eandem Mohacianam multi Evangelium amplectebantur, & quamquam novus Hungariz Rex *Johannes* novo edicto die 21 Jan. MDXXVII contra Lutheranos sæviret, omnes tamen fere Magnates Evangelio nomen dabant. Cumque deinde *Alex. Bethlenius* in Transylvania via charitatis dissidia religionis componere tentaret; Pontificii potius ferro & flamma cum Lutheranis sibi agendum esse putabant, quod Cibinientes permovit, ut die 18 Febr. A. MDXXIX proposito edicto, sub pœna capitis omnibus Monachis præciperent, ut intra triduum aut religionem Papisticam ejurarent, aut urbe excederent. A. MDXXX Confessio Rel. quin-

quinque liberarum civitatum Hung. superioris *Ferdinando I* exhibebatur, cujus XX Capita recensentur, & *Anne*, viduæ *Petri Faxith*, in Eccl. Hung. merita laudantur, quemadmodum etiam *Gasp. Dragffi* imperterritus in reformando animus describitur. Ad annum vero MDXXIII *Statili*, Albæ Juliz Episcopi, in Lutheranos inmanitas & miserabilis tandem exitus notatur. Ab A. MDXXXVI usque ad A. MDXL nihil memorabile adducitur, nisi quod hoc temporis intervallo *Job. Rex* Hungariæ a persecutione Protestantium abstinerit, & quod *Job. Honterus* per Typographiam, suis sumptibus *Coronæ* in Transylvania instructam, libros Lutheri & Aug. Confessionem typis exscribi curarit. Ad A. MDXLII reformatio Coronensis describitur, cujus A. MDXLIII in Comitibus Transylvaniæ generalibus *Claudiopoli Matthias Calvinus* & *Fer. Jackelius* intrepide rationem redderant, salvi ad suos dimissi; quem successum omnium Ecclesiarum Saxonicarum Reformatio A. MDXLIV consecuta est. Anno etiam MDXLV Synodus Mediensis, in qua Lutherani Aug. Confessionem pro norma fidei deligebant, & Erdödiensis, in qua XXIX ministri XII articulis dogmata fidei suæ tradebant, habita. Contra *Martinus* extrema quaque A. MDXLVI tentavit, & *Urb. Batjani*, qui omnes hujus Monachi conatus infringebat, veneno sustulit. Postea sub *Ferdinando I* melioribus gaudebat fatis Ecclesia Hung. demulcentibus animum Imperatoris *Alexio Turzone*, ejusque filiis, *Georgio* & *Stanislao*. In A. MDXLIX incidit secunda Synodus generalis Reformatorem, *Tornæ* habita, ubi Autor ostendit, non *Tornam* in Comitatu Tornensi, sed *Temesvarium* intelligi. Sequebatur A. MDL ibidem alia Synodus, & *Stephanus Szegedinus* multum pro religione propaganda laborabat. A. MDLI Helvetica Confessio plures ad stipulatores nata est, uti ex literis *Job. Reythoy*, Secretarii Cancellariæ Hungariæ, apparet, & A. MDLII Dec. in Synodo oppidi *Beregszarz* de præcipuis fidei articulis disputatum; uti etiam in Synodo A. MDLIV celebrata *Ovarini*, ad Samosium fluvium. Circa hæc tempora triste inter Reformatos Lutheranosque schisma in Hungaria quoque erupit, quod non parum *Franco. Stancarvus* augebat. Sequenti A. MDLV *Ferdinandus I* quinque Hungariæ superioris civitati-

bus liberis liberum Religionis exercitium indulfit. A. MDLVI Synodum Thengerianam celebratam esse Autor conjicit, in qua Pastores nobilem fidei Confessionem exhibuerunt. Incidit etiam in hunc annum Synodus Claudiopolitana, in qua publice decretum est, ut singuli Ecclesiar. Sax. in Transylvania Pastores doctrinam de sacramentis, in Eccles. Wittebergenſi receptam, amplecterentur, quemadmodum etiam in Cibiniensi Synodo statutum. Cum autem A. MDLVIII *Stancarus Isabellam*, Reginam viduam, per literas contra Lutheranos sollicitaret; Pastores Ecclesie Claudiopolitanæ Apologiam conscripserunt, cumque A. MDLIX lites inter Saxonice & Helveticæ Confess. affeclas magis magisque invalescerent, disputatio in urbe *Media* hoc & frequentibus annis est habita. A. MDLXI Synodus Transylvanensis controversiam de mysterio divinæ prædestinationis composuit; tum A. MDLXII partim Confessio Catholica omnium incolarum Agriensium, partim eorundem confœderatio sequebatur. Anno vero MDLXIII in Comitibus Tordensibus Decretum, A. MDLVII a regni Ordinibus factum, repetebatur, quo cuilibet concedebatur libertas eligendi religionem, quam vellet. Sequenti anno Generalis Synodus *Enjedinum* Transylv. oppidum indicta est, & quod notatu dignum, A. MDLXV communio sub utraque a *Pio V* Hungaris & Transylvanis concessa. A. MDLXVI partim subscriptione Confessionis Genevensis, partim Catecheson in his terris origine, partim Synodo Gönziensi, cujus articuli hic recensentur, memorabilis est; & ipsa hæc Synodus eo memorabilior, quod causa *Luca Agriensis*, Deitatem Filii impugnantis, cujus propositiones cum responsionibus *Casp. Karoli* inseruntur, ibi discussa est. Habita etiam tum Synodus Thordenſis, in qua *Georgii Blandratae & Franc. Davidis* impie de Trinitate opiniones damnabantur, tum Vasarhelina. A. MDLXVII Synodus Debrecina propositiones de Unitate & Trinitate contra Socinianos publicabat, quemadmodum A. MDLXVIII Szikszoviana contra hostes Divinitatis Christi & Debrecinensis ac Cassoviensis contra Antitrinitarios pugnabant. Sequebatur A. MDLXIX Synodus Varadiensis, de qua fusius hic agitur. Ad A. MDLXIX *Petri Melii*, Superint. Debrecinensis enarrantur conatus contra Unitarios, quibus aula  
tamen

tamen favebat; quo factum, ut Claudiopolitana urbs A. MDLXX tota eorum contagione inficeretur. Interea A. MDLXXI studiosi quidam nationis Hungaricæ & Transylvanicæ ad externos, imprimis *Wittebergam*, ibant, majorum in rebus theologicis profectuum causa, ibique certis articulis, qui toti exhibentur, mores suos *circumvallabant*. Dum hi futuro Ecclesiæ suæ bono studebant, A. MDLXXII ecclesia Hungarica non leve damnum accepit, partim a *Georgio Carrachondia* fanatico, partim per mortem *Stephani Szegedini & Petri Melii*, duorum fortissimorum veritatis propugnatorum. Sequens A. MDLXXIV Synodo Enjedina, & A. MDLXXVI Synodo Herezeg - Szölösiensi memorabiles sunt; quemadmodum etiam A. MDLXXIX celebris inter *Blandratam & Franc. Davidem* extitit controversia. A. MDLXXX pro Fratibus Aug. Confessionis Articuli quidam confecti in arce *Muranii*, & juramento confirmati; Jesuitæ contra A. MDLXXXV auspiciis *Stephani Bathorei*, Regis postea Poloniæ, collegia *Claudiopoli & Albe Julie* fundabant, qui tamen A. MDLXXXVIII a Principe Transylvaniæ intra quindecim dies omnibus ejus finibus exterminabantur. E contrario Reformatorum res adjuvabantur per *Casp. Karoli*, qui A. MDLXXXIX Biblia in linguam Hungaricam transferebat. Notandum, autorem ad A. MDXC mentionem injicere Formulæ Concordiæ, eamque *discordem & multis nominibus deplorandam Concordiæ Formulam* nominare. Edebatur A. MDXCI Apologia Barthphensis pro Formula Concordiæ, quam refutabat e Reformatis *Caspar Piscius* libro, cujus titulus: *Brevis & perspicua responsio ad maledicam & futilem Apologiam Mart. Wagneri testamentariam*. Eodem anno in Synodo Karolina protestatio Reformatorum contra Kalendarium Gregorianum lucem aspiciebat. Romanenses contra A. MDCIII Cassoviense templum Canonicis Agriensibus tradebant, id quod sequenti anno in Comitibus Posonensibus variis motibus ansam dedit, qui A. MDCVI per pacificationem Viennensem, qua primum fundamentalis de libertate religionis Evangelicæ in Hungaria Articulus constitutus est, finiebantur. Cumque *Matthias II* Rex Hungariæ coronaretur, is Jesuitas finibus Hungariæ exire, & templa Evangelicorum aperiri præcipiebat. Turbat vero hæc Halcyonia

*Emericus Szilvas-Ujfalusi*, Pastor Ecclesiae Varadiensis, disciplinam Ecclesiasticam vellicans, contra quem ministri Ecclesiae A. MDCX *Varadini* Synodum convocabant, & disciplinam Ecclesiasticam vindicabant. Et licet in hac Synodo *Emericus* delictum revocasset, tamen sub initium A. MDCXI denuo Ecclesias impugnavit. Exardebatur tandem A. MDCXIX bellum publicum, accipiti fortuna inter *Ferdinandum II & Gabrielem Bethlen, Transylvaniae* principem & Evangelicorum tutorem, quorum ille Pastores Evangelicos, hic Jesuitas pellebat, gestum, sed eodem anno per pacis conditiones finitum. A. MDCXXVI Canones Ecclesiae communi Ministrorum suffragio in Synodo Komjathina conditi. Anno MDCXXX templa sunt a *Rakotzio* restituta, templum vero Varanovianum Reformatis ereptum. A. MDCXXXI *Paulus Almási*, Vaciensis Episcopus, Ecclesiam Reformatam acriter persequabatur. Princeps *G. Rakotzius* bellum contra Caesarem A. MDCXXXII pro religione gessit. A. MDCXXXIV Comes *Adam de Bottyan* a fide reformata desciscens, universalem in suo tractu Evang. ministrorum persecutionem instituit, cujus exemplum A. MDCXXXV sequebatur Comes *Job. Hommonay*, per quem claves Templorum oppidi Terebesiensis & pagi *Garany* incolis Helveticae Confess. ademptae sunt. *Posonii* A. MDCXXXVII Lutherani splendidissimum templum indultu Caesaris aedificabant, quod proceres & religiosi deinde impediverunt. A. MDCXXXIX alumni quidam Eccles. Hungaricarum, qui *Britanniam* adierant, Puritanismum Ecclesis Reformatis inferre tentabant, inter quos *Job. Tholneus* maximas turbas dabat, sicuti etiam A. MDCXXXIX *Nicolaus Drabitius* caelestes revelationes iactabat. A. MDCXL templi Varanovienensis restitutio multum Reformatis facebat negotii. A. MDCXLIII libellus: *Jesus & Maria Clientes, Tyrnavia* in lucem prodit, qui papicolarum idolatriam satis manifestavit. Sequenti A. immanis Romanensium Tyrannis Principi *Rakotzio* occasionem dabat *Ferdinando III* bellum inferendi, quod tandem eo ipso anno in favorem Protestantium componebatur. In Synodis Gonzina A. MDCXLV, & Thokaina A. MDCXLVI *Job. Tholneus* cum sociis ab officio suspensus est, donec Princeps controversiam Nationali Synodo determi-

terminandam curaret. Itaque Princeps *Georgius Rakotzi* d. 10 Junii Synodum in oppido *Szatmar Nemethi* indixit, cujus acta hic inferuntur. A. MDCXLVIII Mensè Dec. in oppido *Sellye*, in Comitatu Nitriensi templum Reformatorum destruebatur; contra in urbe Cassoviensi iis loca pro Templo, Parochia & Schola assignabantur. Sequenti anno in *Transylvania* innumerunt *Sabbatharii*, qui quidem Reformati, sed Judaizantes erant. A. MDCLVII in *Hungaria* inferiori Evangelici Pastores hinc inde pulsi, sed A. MDCLIX Comitibus primis sub *Leopoldo* habitis liberum religionis Evang. exercitium confirmatum. A. MDCLXIX Conventus *Eperjesinum* indicebatur, irrito tamen eventu. Ex mandato igitur Regis status & ordines regni in Civitate Neosolienfi congregabantur, sed cum postulatis Evangelicorum Legati Cæsaris non satisfacerent; illi relicta solenni protestatione, discedebant; quapropter cum eos Aula regia ut contumaces *Pofonium* citaret, & propterea Princeps *Franc. Rakotzki* novos daret motus, a Cæsare *quadringentis centenis millibus* florenorum Rhenent. & multis arcibus mulcebatur. Gravis in sequentem annum incidebat persecutio, cui classicum cecinerat *G. Barfony*, Episc. Varadiensis, scripto libro virulento: *Veritas toti mundo declarata*. In hac persecutione martyrium passi *Job. Szaki*. Pastor Ekliensis, & *Nicolaus Drabicius*, de quo tamen tanquam læsæ Maj. reo supplicium sumebatur. Neque A. MDCLXXII remittebat persecutio, quin potius omnia fere templa & scholæ Reformati & Lutherani eripiebantur, eorumque multi ad carceres & triremes damnabantur. Metuens hæc supplicia, & cupiditate honoris ductus *Jo. Batorkeffi*, Reformatus, A. MDCLXXIV ad castra papicolarum transit, sed eo ipso anno vitam misere finit. Neque meliorem vitæ exitum nactus est A. MDCLXXVI *Stephanus Foldesi*, Apollata. Ad hunc annum Autor Annotationum XXIV Epistolas Virorum celebrium adducit, qui lugubrem Pastorum Evangelicorum *Hungaria* ad carceres & triremes Religionis causa damnationem illustrant. Anno quidem MDCXXXI in Comitibus Sempronienfibus ea remittebat persecutio, cum in actis comitialibus art. XXV liberum religionis exercitium, & art. XXVI ædificatio templorum concederetur, sed annus proximus docuit, hos articulos tantum

in speciem concessos; quod Comitem *Emer. Thokelium*, Malecontentorum (ut vocabantur) Antesignanum, movit, ut non templum solum Cassovienſe civibus Lutheranis, & Scholam Saros-Patakienſem Reformatis restitueret, sed etiam aliis in locis idem conaretur. A. MDCLXXIII in urbe Patakienſi Evangelicis templum restituebatur, qua tempeſtate etiam *Chriſtophorus Roxa*, Episcopus Tinenſis in Dalmatia, Pontificis nomine varia Principibus Protestantium religionis uniendæ media proponebat, papicolis nihilominus hostilia quævis perpetrantibus. Anno enim MDCLXXXVI templum, & sequenti Ichola Patakienſis Helvet. Confessionis possessoribus rursus eripiebatur, id quod etiam A. MDCLXXXVIII factum aliis in locis per Comitem a *Kollonitſch*, qui etiam anno sequenti Pastores Reformatos e provincia Rakotziana ejici jubebat. Continuabat interea A. MDCXCII *Chriſtophorus Roxa* unionis consilia, sed irritò conatu. A. MDCXCV *Matthias Rbadonai* Episc. Quinque-Ecclesienſis acriter Reformatos Barovienses perſequebatur; & Jesuitæ anno sequenti incolis Helv. Confessionis Templum Cassaviense cum Parochia & Schola eripiebant. Initium seculi XIX novis perſecutionibus januam aperuit, quarum origo Cardinali Collonitzio, *Paulo Eſterbaſi* Palatino, & *Paulo Szetſemſi* imputatur. Mitiora tamen, cum *Leopoldo* A. MDCCV successerat *Joſephus*, fata rediere. Per hunc enim 700 templa Reformatis reddebantur; quam pacem post obitum ejus *Carolus VI* Protestantibus firmavit. Abutebantur tamen hostes religionis Cæsarea autoritate ad opprimendam Ecclesiam in oppido *Papa*, quod ex rescripto Cæsaris de A. MDCCXIX intelligitur. A. MDCCXX tolerabantur quidem Reformati, sed omnes conventus Synodales iis interdicebantur, cumque de novo Biblia imprimi curassent, ea ad mandatum S. Cæs. Maj. *Cassoviam* erant convehenda, demum post multas preces reddita. A. MDCCXXI *Pestini* d. 15 Martii Commissio Cæsarea in negotio religionis cœpit, quæ tandem per decretum Cæsaris ita fiebat, ut religionis negotia in statu, quo essent, manerent. A. MDCCXXI nonnulli ex sacerdotibus schismaticis aliquam cum Ecclesia Romana amplectebantur unionem. Ad A. MDCCXIII quatuor commemorantur edicta Cæs. in favorem Reformatorum, quæ tamen

&amp;



& A. MDCCXXIV & A. MDCCXXV variis vexationibus violasse dicitur clerus Romanus.

*Liber III* monumenta quædam ad illustrationem pertinentia comprehendit. In hoc enarrando eo breviores erimus, quo plura, quæ hic illustrantur, Libro secundo jam adducta sunt. In quinque hæc Pars dispescitur sectiones. Prima habet enumerationem Ecclesiarum & Scholarum illustrium *Hungariæ* Reformatæ; altera continet documenta ex Archivis Capitulorum Mediensis, Cibiniensis & Coronensis, quæ de origine & progressu reformationis in *Hung.* agunt. Tertia agenda Ecclesiastica Reformatæ Eccles. in *Hung.* recenset; quarta versiones & editiones Biblicas, Psalterii & Canticorum, in linguam Hungaricam translatorum recenset; quinta ex VI capitibus constat. Primum caput miserum *Hungar.* Eccles. Reformatarum statum ab aliquot retro annis cum hodierno statu afflictio confert, & imprimis judiciorum *Pozsoniens.* extraordinariorum processum refert. Caput secundum de captivitate *Bosoniensi* & *Berenti* quatuor Ministrorum Reformatorum & unius *Augustanæ* Confessionis agit. Tertium caput captivitatem *Comariensem* trium Ministrorum, unius Reformati, & duorum *August.* Confessionis; nec non septendecim *Aug.* Confess. Ministrorum apostasiam describit. Caput quartum captivitatem sex Reformatorum in *Castello Everhard* dicto refert. Quintum caput inauditam XXXIX virorum in captivitate *Leopoldopolitana* vexationem exhibet. Sextum de exportatione XLI ministrorum in *trimes,* & plus quam barbarica in itinere vexatione agit.

Habes, B. L. Sciagraphiam operis, non tam verborum suavitate, quam rerum gravitate memorabilis. Multa enim in eo inveniuntur, quæ historiam Ecclesiasticam & literariam illustrant. Habet hic historia ecclesiastica fontes, ex quibus historiam martyrum, reformationis in *Hung. & Transylv.* certaminum, sectarum, colloquiorum, Conciliorum particularium, persecutionum, Confessionum, unionis tentatæ, versionum Biblicarum, cantilenarum, &c. haurire potest. Habet hic historia literaria fontes, ex quibus vitæ variorum eruditorum, fata bibliothecarum quarundam, item apostatarum hauriri possunt. Optandum igitur, ut in omnibus regionibus viri quidam docti, documentis indubiis satis instructi,

structi, atque a studio partium remoti, simili labore suæ Ecclesiæ  
ejusque reformationis fata describerent, sic multæ lacunæ & defe-  
ctus ex historia ecclesiastica & literaria tollerentur.

A DEFENSE AGAINST THE TEMTATION  
to Self - Murther.

h. e.

DEFENSIO ADVERSUS TENTATIONEM  
*mortis voluntariæ*; Autore JOANNE  
WATTS.

Londini, apud Jo. Clark, R. Hett, E. Matthews & R. Ford, 1726, 12.

Plag. 8.

**P**ietate erga genus humanum, imprimis autem concives suos,  
ductus venerabilis Autor dissertatiunculam hanc, non mi-  
nus sanam rationem, quam verum Christianismum ubivis præ-  
se ferentem, ex præfesso conscribere animum induxit, ut habeat,  
quo se defendat contra ignea tela Satanz & horrendam tentatio-  
nem sibi ipsi nefarias manus inferendi

*Prodiga gens anima & properare facillima mortem.*

Rem autem omnem sex capitibus sive sectionibus pertractat;  
quarum I indignitatem & injustitiam hujus criminis demon-  
strat; II dissuasiones generaliores profert, stultitiam & pericu-  
lum, quæ autocheiriam comitantur, ostendendo; III prætex-  
tus & rationes, quibus vel autocheiriz crimen excusari, vel ho-  
mines ad se ipsos impie necandos permoveri solent, examinat  
exploditque; IV media securitatis adversus hanc tentationem,  
seu admonitiones & consilia in gratiam tentatorum suppeditat;  
V illos, qui ab hac tentatione liberati sunt, ne in eundem vorti-  
cem recidant, serio hortatur; VI denique præparat cautelas  
contra ea omnia, quæ ad vitam ante diem sibi ipsi eripiendam  
hominem seducere possunt; inter quæ choream ducunt, intem-  
perantia & excessus in cibo potuque sumendo, pugnaz mercena-  
riz, duella, cetera.

THE DOCTRINE OF PLAIN AND  
spherical Trigonometry &c.

h. e.

hoc est,

**DOCTRINA TRIGONOMETRIÆ PLANÆ  
& sphericæ, cum ejus applicatione & usu in diversis Mathe-  
seos partibus; Autore GUILIELMO HAWMEY.**

Londini, apud J. Darby, A. Abettesworth &c. 1725, 8.

Alph. 1 pl. 8½, Tab. æn. 2 cum fig. plurimis textui insertis.

**C**L. Autori, qui diem supremum obiit, dum Tractatus hic trigo-  
nometricus sub prelo sudaret, cum antea non sine applausu ex-  
ceptum fuisset de Geometrica practica opus completum, in usum  
tyronum Matheseos Trigonometriam quoque planam & sphæri-  
cam illustrare propositum fuit. Quamobrem non solum singula  
Trigonometriæ cum planæ, tum sphæricæ, problemata exemplis  
illustrat, usus in sphærica regula generali *Nepperiana*, cui affinis  
est *Wolffiana* in Actis A. 1711 p. 500 commemorata; verum etiam  
omnem utriusque Trigonometriæ usum, si a Theorica in Astro-  
nomia discesseris, docet. Solvuntur adeo in *Altimetria* & *Longime-  
tria* problemata metiendi altitudines & distantias, nec non in Ar-  
chitectura militari ex lineis & angulis assumtis investigantur lineæ,  
quæ hisce determinantur, in forma muniendi Belgica. In naviga-  
tione reperies omnes navigandi modos illustratos, nec non in A-  
stronomia omnem ejus partem sphæricam. Adjiciuntur præterea,  
quæ ad projectionem sphære in plano spectant, nec non Geogra-  
phiæ ac Gnomonicæ problemata, ope Trigonometriæ solvenda.  
Figuræ textui insertæ partim ligno, partim æri nitide incisæ.

**ELOGIUM JO. PHILIPPI SLEVOGTII, JC.**

**L**uctuosum anno superiori Academiæ Jenensi exstitit funus  
summi Jcti & Literarum elegantiorum suo tempore Princi-  
pis, *Joan. Philippi Slevogtii*, Jur. Doct. celeberrimi, Serenissi-  
mis Saxonie Ducibus a Consiliis Aulicis, Collegiorum Juridi-  
corum Præsidis ordinarii, Juris Canonici Professoris publici,  
Curie Provincialis Assessoris & Academiæ venerandi Senioris.  
Natum hunc Jenæ anno recuperatæ gratiæ MDCXLIX die  
27 Febr. parentes, *Paulus Slevogtius*, qui Academiam hanc  
præ-

præclara linguarum Orientis scientia atque eximio Professoris munere ornavit & *Barbara Catharina, Ringleria* stirpis, matrona, quoad vixit, integerrimæ virtutis, omni amore sunt complexi, & ubi ad ætatem disciplinæ ac præceptorum capacem pervenit, eum cum vitæ Christianæ officiis, tum literis imbuendum tradiderunt præceptoribus, a quibus primum ingenii mentisque cultum cepit. Quin domi jam multum profecisset atque omnibus antea ac suave ingenium probasset, nactus est Gerani moderatores Gymnasii, *Jo. Sebastianum Mitternachtium* & *Jo. Fridericum Kæberum*, egregios studii liberalis adjutores, quorum solida docendi ratione brevi ea doctrinæ cepit incrementa, ut dignus haberetur, qui in lucem Academiz prodiret atque altius industriæ quæreret theatrum. In urbem igitur natalem ubi revertit, contulit se ad Juris intelligentiam, ab illorum quidem opinione ac consuetudine maxime alienus, qui vel sacra Themidis, vel alius superioris disciplinæ, sine sapientiæ atque ætatis doctrinæ adjumentis, quod est, illotis, ut ajunt, manibus, adire quenquam posse existimant. Nequaquam studia illa posthabuit, aut neglexit, quæ ceterorum sunt præsidia ac fundamenta: proinde non solum in hac Academia præceptis atque exercitationibus Philosophorum diligentissime usus est, horumque disciplinæ se tradidit; verum etiam Helmstadium profectus, ut bene cœpta perpoliret, ibi optimis artibus pectus suam implevit, ac præter ceteros coluit & sectatus est insignem veræ ac prisæ eloquentiæ magistrum atque artificem *Christophorum Schraderum*, ad cujus exemplum se conformabat ac consuetudine ejus doctior meliorque reddebatur. Neque non in hoc cursu paulatim ad juris disciplinam se contulit, atque in scholis *Jo. Eichelii* & *Hermani Couringii* assiduus fuit auditor. Firmato per musas Helmstadienses animo, Jenam discessit & quo potuit, maximo conatu in id enisus est, ut ad metam propositam, id est, ad solidam atque elegantem Jurisprudentiæ eruditionem perveniret: quo optimo consilio quum hæc graviora aggredere, non poterat politæ ac liberalis artis curam ex animo abjicere, sed ne rivis sequendo, fontes ipsos limpidißimos amitteret, humanitatis studia cum superiori disciplina semper conjuncta esse voluit.

Eo tempore Academiam hanc ornabat *Jo. Andreas Bofus*, cujus maxima facultas in liberalissimis studiis atque antiquis monumentis explicandis versabatur, a quo multa didicit, quæ ad usum singulareum atque eximium Jurisprudentiæ poterat conferre. Ut tamen, quantum posset, in omni Juris scientia elaboraret, legum doctores publicos, summis meritorum ornamentis præstantissimos, *Strauchios*, *Schilteros*, aliosque coluit, eorumque interfuit commentationibus: pugnas, quibus committuntur ingenia, non subterfugit: nec solum magna differendi facultate *Strauchii* selectum Juris argumentum A. 1672 de *centesimis usuris & favore unciario* defendit; sed etiam promulgatas aliorum sententias feliciter oppugnavit. His auctus subsidiis A. 1684 pervenit ad artis suæ fastigium atque dimicationem de dignitate hac capessenda, cui præfuit *Ernestus Fridericus Schræterus*, Antistes legum gravissimus, subiit, elegantissimum ingenii monumentum, quod inscriptum est: *delibationum juris specimen Academicum*, edens, atque inde laurea, insigni Juris exculti præmio, ornatus. Aperto semel ad capellenda virtutis præmia aditu, non minus honore ac fortuna auctum, quam meritis gravissimum atque ætate provecum Jena vidit *Slevogtium*. Primum ingressus est forum causasque suscepit, quas ea sanctitate fideque sustinuit, ut rempublicam haud haberet quæstui, nihil ageret avare, nec litium series aleret callide; sed concordæ conservandæ percupidus, pacis studium altercantibus suasit, justitiæ atque æquitatis præcepta semper secutus; & imprimis inopes afflictosque sublevavit. Quibus rebus fiebat, ut ampliores consequeretur honores: namque A. 1680 munus Philosophiam Moralem publice & Juris scientiam extra ordinem docendi impetravit, moxque in senatum Judicum cooptatus, in quo Serenissimis Saxoniz Ducibus doctrinam atque integritatem ita commendavit, ut eum semper ampliori honore dignissimum censerent, ubi accessionem illius fieri posse videbant. Itaque quum perillustris *Nicolaus Christophorus S. R. I. Eques & L. B. de Lyncker*, nuper pariter in summo ætatis & fortunæ culmine exstinctus, ad auspicianda Consilii Aulici in Imperio munera Jena excederet, in locum ejus successit, summa Præsidis collegiorum Juridicorum dignitate auctus,

auctus, ad quam 1719 alia itidem gravissima accessit, quando indulgentissimi Nutritii eum honore Consilarii Aulici ornabant. Rectoratum Academix quinquies gessit, ac Collegio Juris Consultorum Decanus sedecies præfuit. His fortunæ incrementis ornatum cum eum Jena vidit, vidit pariter illum de cunctis munerum partibus ita bene merentem, ut omnibus honoribus merita responderent, nec quidquam in ejus doctrina, labore ac fide esset desiderandum. Multa harum virtutum monumenta extant, perpetuæ memoriæ dedicata. Loquuntur *Slevogtium* eruditissimum *dissertationes de unione ecclesiarum & beneficiorum quatuor*, 1678, ac *de divisione ecclesiarum ac beneficiorum*, 1681, item *inscriptiones varii generis*, 1724: loquuntur tot disputationes egregiæ, commentationes solemnibus recitationibus præmissæ, in quibus selecta argumenta eleganter exposuit, *de Philosophia Jureconsulti: Philosophia Papiniani: diversitate ingeniorum: peregrinatione in studiis: ingeniis Germanorum: primatu Papa: Juris Canonici cultu ac laudibus: Juris naturalis doctrina ad sacra Scriptura normam exigenda: fati magnorum in aula virorum*, quæ omnia recensere, nimis esset longum; hisce autem addere debemus orationes *de libertate Academica ac Cura Principis circa religionem*. Venimus ad alias vitæ partes non minori virtute ac laude præstantissimas. Bis connubium feliciter iniit, altero domum duxit 1683 d. 27 August. *Annam Dorotheam*, filiam viri venerandi, *Jo. Gabriellis Hartungii*, sacrorum Slaizensium Antistitis, virginem forma & virtute præstantem, ex qua unicam filiam, *Christianam Dorotheam*, suscepit, innox a partu cum ipsa matre 1686 extinctam; altero connubio sociam sibi elegit A. 1689 die 23 Septembr. *Sophiam*, filiam *Georgii Gatzii*, sacrorum apud Jenenses Præfulis omni veneratione digni, ex qua 1720 d. 6 Octobr. mortua, tulit octo liberos. Ex his supersunt Prænobilissimus *Georgius Gabriel*, qui antea in legatione autoritate Potentissimi Poloniarum Regis ad aulam Palatinam missa ab epistolis, nunc eidem Principi in sanctiori tabulario regio fidem suam commendat; *Jo. Guilielmus*, Vir nobilissimus, qui in Judicio Aulico est ab interioribus commentariis ac munus hoc nomine tituloque

loque Protonotarii singulari diligentia ac fide administrat; doctissimi *Jo. Philippus & Jo. Georgius*, quorum ille juris, hic artis Medicæ candidatus est, & *Sophia Dorothea*, quæ omnis virtutis, quam sexus capit elegantior, insigne exemplum, *Conf. D. Casp. Achatio Beckio*, singulari Academix Jenensis ornamento, connubio juncta ac mater decem liberorum ex eo facta. Ceterum nunquam corpore satis firmo fuit, quod tamen quominus gravioribus morbis affligeretur, singulari temperantia, frugalitate, continentia, qua omnes animi perturbationes regebat, nunquam quippe cum Collegis aut quoquam alio similitatem exercens, ac constanti usu Medicinæ, quam socius nunc æternæ felicitatis frater, *Jo. Adrianus Slevogtius*, fecerat, impedivit. Verum & has vires, cum in flexu esset ætas, exhauriri omneque corporis robur plane imminui sensit, tandemque, cum nullum superesset in Medicis expertissimis remedium, beatam animam Creatori reddidit d. 7 Januarii A. MDCCVII.

### NOVA LITTERARIA.

PARISIIS nuntiatur, doctissimum Abbatem *Langlet du Fresnoy* novam editionem, sed multo pleniorē, libri sui, *Methode pour étudier l'Histoire*, prelo subjecisse, subscriptionis lege imprimendam Tomis III in quarto charta magna, qui quindecim libras nunc, totidemque Mense Novembri proximo numerantibus (non subscribentes numerabunt 45 l.) eodem Mense tradentur a Typographis, *Petro Gandouin & Ant. Urb. Coustelier* vidua. Constat primus æque ac secundus Tomus, quibus Methodus continetur, paginis 600, tertius vero, seu Catalogus Autorum, 700, & accedent primis Tomis, insigniter auctis, Chartæ Geographicæ XX, ultimus vero libris longe plurimis ita locupletatus est, ut tantum non singulis etiam judicibus & censuræ fuerint additæ. Quo magis etiam operis utilitas promoveatur, seorsim, eadem tamen subscriptionis lege, quatuor Tabulæ Chronologicæ, ad Historiam universalem spectantes, æri incidentur, pro quibus subscribentes nunc tres libras ac totidem M. Novembri solvent, duodecim libris redimendis ab iis, qui non subscripserint.

rint. Integrum vero erit cuique, num utrique operi, an alteri tantum subscribere velit. Inter alia, quibus aucta est hæc Methodus, eminent 1) diversæ supputationes historiz Judieum; 2) varia Systemata historiz Ægyptiacæ, Marshami nempe, Pezronii, Turneminii; 3) varia Systemata historiz Assyriacæ, Herodoti, Ctesiz, Pezronii, Montfauconii & Turneminii; 4) Parallela historiz Græcæ; 5) unio imperiorum sub Alexandro & divisio Imperii post ejus mortem.

In Belgio *Janssonii vander Aa* Lugduni Batav. & *Petrus Goffe* ac *Jo. Neaume* Hagæ Com. Typographi, lucubrationes Sociorum Academiæ Regiæ Scientiarum Gallicanæ, ante renovatam A. 1699 Academiam seorsim plerumque editas, collegerunt, quas V Voluminibus in 4, a Cl. *de's Gravesande*, Professore Lugdun. apte dispositis, pariter per subscriptionem recudere instituerunt. Qua collectione uti scripta exhibebuntur quadraginta, plurimis figuris æneis illustrata, ita exulabunt tamen Duumvirorum Clariss. *de Huygens* & *de Mariotte* observationes, quippe quorum Opera omnia junctim edita jam prostant. Constat opus circiter 33 florenis Belg. non subscribentibus quadraginta florenis vendendum. An vero subscriptionis beneficium his ipsis Calendis Maji, quibus hæc scribimus, re vera exspiraverit, ut fert programma, asseverare haud possumus.

Veronæ *Jo. Albertus Tumermani*, Typographus, in eo est, ut Celeberrimi Viri, *Henrici Norisii*, Card. Opera omnia, majora, minora, edita, inedita, tribus in fol. Voluminibus, eleganti typo & charta, cum figuris nitidis, junctim edat. Cujus editionis curam præcipuam Ill. Marchio, *Scipio Maffeus*, habebit, quem docti quidam monachi Veronenses, a quibus notæ subinde addentur, adjuvabunt. Desiderantur subscriptores 300, quorum quisque pro singulis tomis quatuor Ducatos cum libris Ver. sex & quatuor solidis solvet, cum ceteris, qui non subscripserint, solvendi sint pro singulis sex Ducati. Primus Tomus post menses sex, reliqui intra annum & dimidium prodibunt. Ceterum in publico programme observavimus, nullum subscriptioni statutum esse terminum præclusivum.



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Junii Anno MDCCXXVIII.*

THE HISTORY AND ANTIQUITIES OF  
the Cathedral Church of Canterbury &c.

i. e.

*HISTORIA ET ANTIQUITATES ECCLE-  
siæ Cathedralis Cantuariensis & eo quondam pertinentis  
Monasterii; Autore Viro Rev. J. DART.*

Londini, apud Jo. Cole, Sculptor. J. Smith & rel. typogr. 1727, f.

Alph. 2 pl. 10, Tabb. xn. maj. 49, præter passim insertas.

**E**odem ordine parique ornatu prodit hic liber, quo antea prodierat ejusdem Autoris Historia Westmonasteriensis, a nobis in Act. Er. A. 1727 M. Jun. p. 241 recensita. Nimirum post Historiam brevem templi cathedralis Cantuariensis sequuntur monumenta quædam illic obvia, e quibus velut in transcurso describemus illud Casauboni Jun. quod ita se habet: *Stæ & venerare, Viator. Hic mortales immortalis spiritus exuvias deposuit Mericus Casaubonus, magni nominis eruditique generis par heres: quippe qui patrem H. Casaubonum, avum Henricum Stephanum, proavum Rob. Stephanum habuit; hui, quos viros! quæ literarum lumina! quæ ævi sui decora! Ipse eruditionem per tot erudita capita traduce excepit, excoluit & ad pietatis (quæ in ejus pectore Regina sedebat) ornamentum & incrementum feliciter consecravit, Rempublicamque literarum multiplici rerum & linguarum supellectile locupletavit. Vir incertum doctior, an melior, in pauperes liberalitate, in amicos utilitate, in omnes humanitate, in acutissimis longissimi morbi tormentis*

H h

Chri-

*Christiana patientia insignissimus. Gaudeat primaria hæc Ecclesia primariis Canonicis, Cataubonis ambobus, qui eundem in eruditorum, quo ipsa in Ecclesiarum serie, ordinem obtinent. Obiit noster pridie Idus Julii A. 1671, ætatis suæ 75, Canonicatus sui 46. Subjiciuntur his vitæ omnium Archi-Episcoporum ab Augustino, initio Sæculi VII florente, usque ad modernum Wilh. Wake, quanquam hunc tantum nominet Autor, dolendumque sit, eum in postremis tribus, Wilh. Sancroft, Joh. Tillotson & Th. Tenisono, recensendis nimis brevem fuisse, & ne diem quidem aut annum æmortalium Tenisoni attulisse. Brevis etiam est, ubi de Decanis & Prioribus Ædis Christi, de Archi-Diaconis item & Canonicis Cantuariensibus agit, quibus tandem addit Appendicem veterum documentorum, e Bibliotheca imprimis Cottoniana depromptorum. Ceterum Ecclesiæ hujus prospectus & Epitaphia elegantiora nitidissime æri incisa manu Jo. Colii exhibentur, qui & suo nomine librum hunc dedicavit moderno Archiepiscopo. Hæc de libro pretii, quam usus, majoris memorasse suffecerit.*

LA RELIGION DES GAULOIS.

h. e.

RELIGIO GALLORUM VETERUM; AUTORE

R. P. --- *Benedictino Congregationis S. Mauri.*

*Tomus II.*

Lutetiæ Parisiorum, apud Saugrainium, 1727. 4.

Alph. 5 pl. 9.

**N**OVUM prorsus opus se aggressum esse, ait Rev. Autor, cui nomen esse *Jacobi Martini*, compertum habemus, novamque tentasse viam, cum hic exhibere studet non vere solum ac sincere, verum etiam fatis copiose descriptam Gallorum veterum religionem. Ipsi enim illi Galli nihil de sacris suis scriptum reliquerunt: imo nefas ab iis habebatur, in vulgus edere religionem suam ejusque interiora. Quæ vero Cæsar, Diodorus Siculus, Mela, Strabo, & Plinius de ea tradunt, vix duabus paginis implendis sufficiunt. Ac e recentioribus hoc argumentum singulari studio tractavit unus *Elias Schedius*, qui tamen hoc vitii habet, quod & inutiles multas facit digressiones, & sacra Gallorum explicat e  
Roma-

Romanorum sacris atque Græcorum. Totam igitur veluti messem ut orbi literato repræsentaret Rev. Autor, nihil fecit reliquum, sed diligentissime perlustravit historiam vicinarum Gallis gentium, iteinque monumenta antiquæ Galliæ, quæ nostram ad ætatem pervenerunt, ac tandem etiam linguam Armoricam in consilium adhibuit. Etiam Clarissimo *Montfauconio* se multum debere, eumque sibi & consilio & opera affuisse, ingenue fatetur. Ceterum cum Galli, Britones, Germani, Celtiberi, gentes fuerint ejusdem originis, harum quoque gentium prisca religionem aperit, seque profitetur toto libro primo, & aliqua parte secundi, persequi prisca religionem universi Septentrionis.

Hæc ex Præfatione decerpimus. Ipsum opus, quod quadraginta quatuor tabulæ æneæ mirifice exornant, in duos Tomos divisum, quinque Libris constat, quorum duos prior, tres posterior Tomus continet. Ex his sequentia delibare libuit nobis, qui ceteroquin fatemur, totum opus refertum esse rerum eruditissime tractatarum, idque præter ceteros de meliore nota commendamus Germanis nostris, quippe quos sacra cum Gallis habuisse communia, Autor *lib. I cap. 6* monet, & *cap. 14 p. 132*.

*Lib. I cap. 1* statuit Rev. Autor, religionem vetustissimorum Gallorum non fuisse totam ethnicam, sed, qualis Magorum Persiæ & Gymnosophistarum Indiæ fuerit, philosophicam. *Cap. II* docet, Gallos occupasse & inhabitasse Britanniam, adeoque religionem quoque suam illuc invexisse; sed hanc religionem in Britannia mansisse sinceriores, ac proinde a Gallis eos adolescentes, qui sacris essent operaturi, in Britanniam mitti consuevisse discendi causa. *Cap. III & IV* aliquot argumentis contendit, Gallos pariter ac Britonas suam religionem non ex Ægypto, nec a Græcis Romanisque, accepisse, imo horum religionibus multo sapientiores fuisse Gallorum veterum, & potissimum Druidum, religionem. Simul docet, inter ethnicas religiones Gallicam esse antiquissimam, eumque in finem ostendit, multis partibus inter se consentire religionem Gallorum cum sacris doctrinis institutisque Persarum, imo & Patriarcharum & Judæorum. Hinc *Cap. V* concludit, antiquissimorum Gallorum religionem fuisse maxime rationalem. Non enim habuisse eos statuas vel imagines Deorum,

nec templa, & unum duntaxat veneratos esse Deum. Tandem deum eos vitiasse suam religionem religionibus pravis Græcorum ac Romanorum, ita tamen, ut non receperint Venerem, Cupidinem, & alia turpis famæ Numina. *Cap. IX* agit de ipsorum sacrificiis humanis, vel potius inhumanis, quibus sacrificabant homines. Qui mos cum plerasque omnes nationes pervagatus sit, *Cap. X* docet, miseros mortales id fecisse æmulatione Abrahami, filium suum immolare iussi, cui veteres imposuerint nomen *Saturni*. *Cap. XII* instrumenta sacrificiorum in Gallia usitata exhibet e prisca monumentis depicta. *Cap. XIII* commemorans, Cæsaris tempore Gallos nondum habuisse templa, addit, in eo Patriarchas Hebræos iis fuisse exemplo, quos quippe constat & ipsos templis caruisse. Statim tamen *Cap. XV* adjicit, eos paulo post Cæsaris tempora imitatione Romanorum simulacra Deorum habuisse & templa, quorum aliquot figuras producit *Cap. XVII & XVIII*. *Cap. XX* de *Bardis* agit, eosque etiam parasitos fuisse ostendit, pluribus id confirmaturus, si *Wagenseilii* nostri librum legisset de *Bardis Noribergensibus* patrio sermone conscriptum, & *Historia Noribergæ* annexum. *Cap. XXI* & undecim subsequenibus *Druidas* sistit contemplantos, eorumque autoritatem & potestatem, doctrinas, artes, inter quas & Medicam floruisse, manifestum facit.

*Libri II cap. II* Deum Gallorum *Esum* sive *Hesum* considerat, quem docet supremum illum & verum esse Deum, eosque refellit, qui, Martem sub eo vocabulo latere, arbitrati sunt. *Cap. III* agit de quercuum veneratione apud Gallos. *Cap. VII & VIII* statuas Jovis Gallicas, quæ adhuc supersunt, depictas repræsentat. De Mercurio Gallorum, quem *Teutatem* vocabant, disputat *Cap. IX & XIV* & sex iis, quæ subsequuntur; de *Ogmis* Deo *Cap. X, XI & XII*; de *Beleno* sive Apolline *Cap. XXI* & sequentibus septem; de *Penino*, *Abellione*, & *Dolichenio*, quorum quemque Solem fuisse, doctissime docetur, *Cap. XXIX, XXX & XXXI*. Cum etiam sub *Mithræ* nomine Galli Solem coluerint, de hisce sacris copiose agit *Cap. XXXII* & tribus consequentibus: quæ eo cupidius legi merentur, quod ipse Autor in Præfatione sibi videtur Philippo a Turre ac Reinesio vidisse acutius. Hos enim scribit haud satis explicasse

plicasse cultum Mithræ, se vero, duce Hieronymo, nodum hunc Gordium solvisse feliciter. C. XXXVI de *Camulo*, Gallorum Marte, exponit, & hinc *Libro tertio* multa monumenta, quæ nondum perierunt, Numinum Gallicorum illustrat, e. g. *Cap. VIII* agens de *Hercule Macusano*; *Cap. IX* de *Hercule Saxano*; *Cap. XX & XXI* de Deo *Cerunno*. *Quartus Liber* Deos exhibet serius in Gallia receptos, Saturnum, Vulcanum, Volianum, Bacchum, Telephorum, Circium, Cybelen, Proserpinam, Ardoinam, Nehalenniam, Ilidem, Onuavam. *Liber quintus* sepulturam veterum Gallorum describit & monumenta sepulcralia. Hic potissimum attentione digna sunt Capita quintum & sextum, quibus formula in multis Gallorum sepulcris conspicua: *sub ascia dedicavit*, examini subjicitur. Ac priore quidem describuntur simul ac describuntur variæ antiquariorum interpretationes; posteriore censet Autor, *asciam* illis locis non esse *dolabram*, (eine Art) sed *ligonem* sive *rastrum*. Id probat cum e figura *asciæ*, prisca monumentis incisa; tum e nomine hujus instrumenti, hodieque in Languedocia usitato, *assado*; tum e Sidonii Apollinaris *Lib. III Epist. 12*, ubi mentio fit *rastris funebris*. Putat igitur, *asciam* fuisse *rastrum* peculiariter consecratum huic usui, ut eo egeretur terra sepulcro destinata, talique sub *ascia* sepulcra fuisse ibi locorum dedicata. Nova etiam ratione explicat illam XII tabularum legem: *Rogum ascia ne polcito*, hoc est, fossam *rastro* ne conficias, sed folis manibus. Memorat etiam, *Montfaconium* de superiore formula singulare Caput exhibuisse in suo *Antiquitatum opere*, & rejectis omnium interpretationibus suam liberaliter factum esse ignorantiam.

VIE DU CARDINAL D'AMBOISE, PREMIER  
Ministre de Louis XII, Pere du Peuple.

h. e.

VITA CARDINALIS DE AMBOSIA, MI-  
nistri primarii Regis Ludovici XII, Patris Patriæ, cum  
comparatione Cardinalium celeberrimorum, qui statui publico  
præfuerunt; Autore L. L. G.

## Tomi II.

Amstelodami, apud Jacobum Sincerum, 1726, 12.

Alph. 3 pl. 5.

**E**T si Cl. Autor in Dedicacione ad Regem modernum Christianissimum nomen exscripterit *Le Gendre* (Ludovicus prænomen est) causas tamen habuisse videtur, cur verum nomen typographi & loci impressiois non addiderit, quod tam ex subscriptione: *a Amsterdam, chez Jacques le Sincere, rue Veritable au Miroir qui ne state point*, tum ex typorum, qui in Gallia impressum librum docent, inspectione facile patet. In Præfatione profitetur se in hac Vita solam veritatem sectaturum, quod causam adulandi post tantum temporis intervailum, emortua imprimis familia Ambrosiana, nullam inveniat: indignatur vero inter alia, Viros graves, ut Doctorem *Frizon* in Gallia Christiana & Patrem *Pommeraye* in Historia Archi-Episc. Rotomag. tam supine errare potuisse, ut hunc Cardinalem per triginta annos rebus Gallicis præfuisse assererent, cum constet facile, eum sub solo Ludovico XII, qui A. 1498 ad Regnum pervenit, non nisi ad diem 25 Maji 1510, quo ipse Cardinalis e vita decessit, atque adeo non nisi duodecim annis rerum summam moderatum esse.

p. 110.

3. 4. 7.

8.

9.

57.

64.

Ut pauca decerpamus, fuit Georgius de Ambasia seu Ambrosius ex familia *de Berric* oriundus, quæ tamen ob hereditatem, a Matilde Ambasia acceptam, nomen hujus familiæ & insignia adsciverat. Patre *Petro*, Camerario Regio, & matre *Anna de Beüel* A. 1460 natus, octo fratres totidemque sorores habuit, de quibus merito observamus, quod & illi omnes summis muneribus fuerint ornati, & harum pars maritos spectatissimos nacta fuerit, pars ecclesias rexerit felicissime. Puer admodum, nullis licet litteris imbutus, ut tum ferebant tempora, Doctoris Juris Canonici titulum facile impetrabat, & anno ætatis 14 ad Montalbanensem Episcopatum, autoritate fratrum (erat autem fere minimus natus) evehebatur, mox deinde in aulam Elemosynarii nomine sub Ludovico XI vocatus. Inde sub Carolo VIII Archi-Ep. Rotomagensis factus, Ludovico Duci Aurel. Normanniæ Præfecto, postea Regi, ita adhæsit, ut ejus per Normanniam Locum tenens fieret, & cum

MENSIS JUNII A. MDCCXXVIII. 247

cum Rege in Italiam proficentem sequeretur. Rege mortuo, cum Ludovicus succederet, admotus mox gubernaculo Ambosius, autor fuit novo Regi, ut uxorem sterilem & deformem dimitteret, & regiam Viduam duceret. Notari vero meretur, quod, tametsi aulam solus regeret Ambosius, simul tamen, postquam Cardinalis dignitatem fuisset consecutus, etiam a Pontifice Alexandro VI Legati a Latere in unum acceperit, eoque nullo Regis vel Papæ præjudicio diu functus sit. Mediolano capto, suavitati Regi, ut illic conderet Professionem Theologiæ, Juris ac Medicinæ, eruditosque eo constitutis salariis evocaret, quamvis urbe ac provincia mox iterum spoliato. Profectus tum primum in bellum Ambosius nosster, Locum tenentis generalis nomine, effecit, ut Sfortia prodere- tur ab Helvetis A. 1500 & Mediolanum iterum Gallis traderetur. Nec dici potest, quantam a Mediolanensibus gratiam retulerit, cum illis, deprecantibus ob fidem nuper solutam, in publica pompa Regis nomine ignosceret. Hinc & cum Hispanis de parti- endo Neapolitano Regno non sine successu pactus, & cum Maxi- miliano Imp. Tridenti collocutus, hunc ad prorogandas indu- cias induxit. Pulsis deinde Neapoli Gallis, damni refarciendi causa rursus Noster cum exercitu in Italiam rediit; at dum, mor- tuis Alexandro VI ejusdemque successore Pio III, bis Romæ spe consequendi Pontificatus, cui maxime inhæbat, frustraretur, oc- casionem opprimendi Hispani amisit. Labascentibus inde pro- fus Gallorum in Italia rebus A. 1504, Galliæ contra pestem jam grassantem provida cura prospiciebat Cardinalis, & mox iterum Cæsarem conveniens, qui Mediolani Gallis eripiendi cupidus erat, pacem cum eo sanciebat. Cum vero deinde novæ pactio- ni, qua unica Regis filia Philippi filio Carolo, postea V, sponsa promitte- batur, subscribere a Regina coactus fuisset, mox per emissarios clandestinos status Regni suscitabat, ut certatim Regem admone- rent, ne filiam externo Principi, potius ut proximo hæredi Fran- cisco desponsaret; nec res successu caruit. Mox Ludovico Ge- nuæ domandæ autor fuit, eaque occupata, Ferdinandus Cathol. Savonæ Ludovicum salutabat, & secreta cum Ambosio fœdera tra- ctabat, quæ Venetis imprimis & Julio II suspecta videbantur. Cum deinde præcipuæ ejus partes fuissent in fodere Camera- censi,

P. 97.

123.

213.

131.

144.

154.

162.

198.

260.

273.

275.

302.

310.

370.

374.

400.

p. 462. 392. **cenſi, infirmus licet, cum Rege contra Venetos ibat, ubique ſuperior. Quid ejus conſiliis geſtum ſit contra Venetos, non eſt ut repetamus: ipſe quidem podagra & febrī fractus, dum aulam repeteret, Lugduni d. 25 Maji 1510 exſpiravit. Hæc latius deducuntur Tomo I, variaque paſſim obſervantur ad externas res pertinetia, e quibus id unum memoramus, quod de Ferdinando Catholico notat Autor, eum nempe monachis uti ſueviſſe Legatis, quoties legationi dolus ſubefſet. Tomo II elogium Ambroſii prolixum ſatis recenſetur, ejusque comparatio cum aliis Cardinalibus, qui Regna gubernarunt, Ximeno, Voſſæo, Richelio & Mazarino inſtituitur, demumque genealogia familiæ Ambroſiæ, cum teſtamento ipſius Ambroſii Card. aliisque documentis publicis, ad hanc hiftoriam ſpectantibus, ſubjicitur.**

**SAMUELIS PARKERI, EPISCOPI NON**  
*ita pridem Oxoniensis, de rebus ſui temporis Commentariorum Libri IV; e Codice MS. ipſius Autoris manu caſtigato, nunc primum in lucem editi.*

Londini, typis Jacobi Bettenham, 1726, 8 max.

Alph. 1 pl. 2.

**N**ifi *Parkeri* nomen tot egregiis litterarum monumentis clarum eſſet, ſoli *Commentarii de rebus ſui temporis* famam ipſi perennem conciliarent. Cuncta enim optimi hiftorici requiſita undiquaque collecta huc tranſcribere, per inſtituti noſtri rationem ſi liceret, ſingula eorum Noſtro competere, facillimo negotio demonſtratum daremus. Urgeamus ſaltem, ne tanta ejus merita ſilentio prætereamus, aliqua ut ſumma, ut omnium maxime neceſſaria. Rerum, quas deſcribit, aut teſtis *αὐτόπτης* ipſe fuit, aut ab aliis, qui factis interfuerunt, fideliter accepta refert, aut actorum publicorum, quorum fides maxima, autoritatem allegat. Accedit, quod utramque facit paginam, animus ab omni partium, quibus Anglia eo ævo diſtracta, ſtudio longe alienus, virtutem quoque in hoſte laudans. Omnia autem ſtilo puro, eleganti, hiftoriæ ſcribendæ apto involvit, ſparſis hinc inde



inde ad veterum exemplum flosculis, quos vocant, politicis. Plura in Noſtri laudem haud cumulamus, quin potius, niſi te tantis deliciis indignum judices, ad ipſius libelli lectionem ſincere ablegamus. Ut autem, quis fructus inde ſperandus, ſcias, potiſſima ejus capita indicabimus. Exhibet geſta ab anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo ad ejuſdem octogefimum tertium, quatuor libris comprehenſa. Carolo II per tot discrimina rerum ad avita regna reſerſo, quosvis poſt tot turbulentas tempeſtates halcyonicos dies ſibi prælagiebant, quos turbarum tædium ceperat. Cromwelliani tamen, omnis Regii nominis infeſtiſſimi hoſtes, nova indies in Regis excidium cudebant conſilia, facile valitura, niſi Caroli ſuorumque vigilantia Ludlovi, Venneri, Anabaptiſtarum & Presbyterianorum conjurationes in ipſo partu ſuffocafſet. Tantis motibus, ne ulterius ſerpant, obviam ibat Regni Senatus promulgatione legum de Cromwelli aſſectis a magiſtratu abrogandis, de Typographorum (editus enim inter alia mendacia erat liber *Anni mirabiles* inſcriptus, totus, quantus quantus, incredibilibus, quæ nuper facta ſomniabant, prodigiis plenus) audacia coercenda, deque diſciplina Eccleſiaſtica *Uniformitatis* lege lata, quam a perduelli clero labefactatam Sheldoni Londinenſis Epifcopi, de cujus meritis multa Noſter diſſerit, eloquentia firmavit. Quibus factis permagna conjuratorum manus, ſub prætextu Pontificiorum in Proteſtantes odii, Regis vitæ inſidias ſtruxit. Parum ergo aberat, quin *Uniformitatis* lex, niſi a propoſito Regem cordatiores avocaſſent, fuiſſet abrogata. Eadem, ut in Anglia, in Hibernia mutatis actoribus fabula; ſed noxia perduellium conſilia Vernono Vice-Regi Philippi Aldeni & Theophili Jonesii calliditas prodidit. Novæ quoque mox in Anglia turbæ ortæ, quæ, Oteſiſ fratribus patrem conjuratorum principem fruſtra aſſerentibus, & Typographis famoſorum libellorum pœnam luentibus, componuntur feliciter. Præterlapſo inter hæc ſexageſimo tertio anno, & bello in Belgas decreto, perduelles novos ſumunt ſpiritus, mox per renovatam *Elizabethæ* legem penitus fracti. Hæc inſequebatur peſtilentia graviffima, perierunt enim ad ducenta millia hominum, quod damnum victoria Eboracenſis Ducis de Opdamii claſſe aliqua ex parte reſarcitum videbatur. Schiſmatici inde in patriæ

p. 1.

4.

16.

22.

47.

58.

67.

74.

79.

- interitu salutem quærentes, Acheronta movere haud erubescunt.
- p. 87. Pars consilia & auxilia hostibus ferunt, alii ipsam Regiam, nisi Albemarlæ Dux periculum discussisset, igne delere cupiunt. Anno sexagesimo sexto auspiciato Angli, per belli furta evocati, atrox navale prælium cum Belgis committunt. Scoti sociorum clade nondum doctiores Turnerum capiunt, de quibus, isto e carcere elapso, pœnas sumunt Deyellius & Drummondus. Hinc enarrato tredecim tectorum millium Londini incendio, quod Casparem Zieglerum Lipsiensem pridem ante (nempe in Exercitatt. circa Regicidium Anglor.) prædixisse putat, finem imponit Noster primo Libro; nunc ad secundum. Tot, quarum seriem dedimus, miseriis defatigati Angli agunt de pace cum Batavis, qui sordere jamicto hostilibus pergunt. Sed en! dum paci externæ per triplex fœdus cum Sueciz Rege & Belgii Fœderatis Provinciis in Regem Galliz Ludovicum XIV consulitur, Britanniz Regni Ordines in duas acies scinduntur, quod schisma omnium, quæ secuta sunt, maiorum fontem merito dixeris. Mox enim *Corona*, quod vocant, *Patrimonium* vœnum exponitur; fœdere, quod paulo ante nominavimus, triplici rupto, novum cum Gallo in Batavos percutitur, miserisque istis bellum non indictum infertur. Congrediuntur Angli prælio navali cum Batavis, superioresque, multis quidem, quibus Noster prolixum dicit panegyricum, viris fortibus amissis, discedunt. Tot cædibus utraque gente attrita, Belgæ pacem petunt, quam, lite de demittendis velis composita, anno septuagesimo quarto impetrant. Patria, in qua alma pax vigeat, hinc paulum relicta, bella, quibus omnis fere Europa diripiebatur, Noster sistit. Gallorum victricibus armis ad resistendum societatem faciunt Imperator Romanus, Rex Hispaniz & Fœderatæ Provinciz, quibus accedunt Lotharingus, Brunopolensis & Luneburgensis Duces, Elector Brandenburgicus, Rex Daniz, Osnabrugensis & Monasteriensis Episcopi atque Palatinus Princeps. Tantam belli flammam, quæ tribus atrocissimis præliis sævierat, extinguere, sed irritò successu, studet Anglus. Hinc Turini cæde & Crequi clade iratiorem Martem sentit Gallorum res anno proxime insequente septuagesimo quinto. Quapropter in inferiori æque ac superiori Germania ex æquo campo ad oppida bello

MENSIS JUNII A. MDCCXXVIII 251

lo tracto, varia partium fortuna urbes obsidendo capiendoque pugnatur. Valencenz, Cameracum, Audomaropolis, Visidungum, anno septuagesimo septimo, & sequente Gandavum, Hypræ, Levacuun & Puyfardam expugnantur, qua etiam tempestate Crequium Starenbergius, cujus laudes Noster pro more prædicat, ad prælium provocat. Gallus tandem viribus suis contra tot adversarios diffidens, pacem seorsim cum Batavis inicit, quamvis eodem, quo novæ pacis conditiones signatz, die a Luxemburgo & Aurantiz Principe cruentum pugnaretur prælium, in quo Britannorum in exercitu Gallico, imprimis Ossoriensis Comitis, quem laudandi occasionem inde arripit, virtus præ ceteris enituit. Perlustremus nunc fata Suecorum, quos Danus & Brandeburgus ad incitas fere deducunt. Volgastia enim & Wismaria capitur anno septuagesimo quinto, & sequente sexto prope Lundinum Scannorum funesto inter Danum & Suecum prælio commisso, hic ab isto septimo anno bello navali devictus & Stetinum a Brandeburgo expugnatum fuit. Anno proximo Dani, a Coningsmarckio haud ita pridem ex insula Rugia fugati, amissa recuperant, recuperatisque Sundin & Viritium Brandeburgus addit. In his Suecorum angustiis, ut in integrum restituantur, Brandeburgum & Danum cogit Gallus, quorum uterque hunc adversum casum tribuit Batavorum perfidiaz, quam suo itidem malo se expertos Hispaniz Rex & Lotharingiz Dux conquesti fuerunt. Maximum ex omni hoc bello commodum in Aurantiz Principem, de quo majoribusque plura Libro III Noster disserit, derivatum fuit. Hinc Turcarum & Tartarorum in Poloniam incursionum mentionem facit Autor, quod Sobieskii virtutem multis encomiis ornandi ansam ipsi præbuit. Hæc excipit seditio Messinensis (ex cujus compositione quanta commoda Angli tulerint, demonstratur) & Hungarica, ut & origo obsidionis Viennæ, cujus in libertatem vindicatione tertius Liber clauditur. Descendimus ad IV & ultimum, ubi Noster, qui fere longius ab itinere decesserat, ad suos redit. Carolus tot turbis victus liberum omnium religionum concedit exercitium, quæ res duo bella civilia, alterum cum Parlamento de potestate in Ecclesiasticis, alterum cum Sectariis peperit. Jam Schaf-toniensis Comes, cujus & Bridgemanni antecessoris vitæ exponuntur,

p. 161.

166.

177.

182.

186.

192.

206.

217.

227.

242.

251.

262.

- p. 288. tur, Cancellariatu a Stranguajo exutus ad Sectarios in Pontificios transit. Hinc famosorum libellorum, ex quorum autoribus Marvellius quidam, qui lethalia ista, quæ Noster supra p. 119 significaverat, acerbiori stylo exarata dedit, præcipuus, magna vis in vulgus mittitur. Inde occasione Noster nactus, Sectariorum, quæ ab anno ejus Seculi sexagesimo septimo patraverant, scelera enumerandi, quorum antesignani Joannis Oweni *Apologiam pro Conscientia Libertate* multis & solidis argumentis refutat, & Thuanum, imperii in Ecclesiasticis moderationem collaudantem, erroris infimulat, suam insuper cuique permissam religionum licentiam, non e re publica, imo omnis pellis scaturiginem esse, firmis rationibus & exemplis adstruit. Res ipsa loquitur. Docemur quippe, *Papale* bellum ortum esse. Hinc Ducis Eboracensis nuptiarum dissolutionem postulant pacis publicæ turbatores, qui repulsam ferentes, majoris damni autores exsistere. Auxilia in hostes Regi Parliamentum abnuit, rumor de Pontificiorum & Gallorum insidiis falsus in credulam plebem spargitur, dissidium in utroque Regni confessu miris modis feritur, fitque Parliamenti a Rege continua secessio. Et hæc sunt quæ strictim e libro non magno memorare libuit.
- 312.
319.  
334.

**DOMINICI GEORGII DISSERTATIO HISTORICA de Cathedra Episcopali Setiæ Civitatis in Latio, cum appendice monumentorum, eandem Ecclesiam & Civitatem illustrantium.**

Romæ, ex typographia Hieronymi Mainardi apud theatrum Capranicense, 1727, 4 maj.

Alph. I pl. 17.

**Q**uo paucioribus iter tritum fuerit viatoribus, eo plura offendes obstacula, eo major cura erit adhibenda. Eadem fata experiuntur, qui temporis injuria oblitterata in scenam producunt. Bibliothecas enim perscrutari, codices vetustiores diurna nocturnaue versare manu, lapides ex ruderibus eruere, inscriptiones, quas situs exedit, legere, hoc opus, hic labor est. Laudanda itaque Cl. Autoris, jam variis scriptis illustris, industria, qui in  
præ-

præfenti Dissertatione nihil, quod ad rem suam faceret, intactum reliquit. Setia, vel, uti apud Italos audit, *Sezza*, est urbs Campaniæ, antiquitate præ ceteris maxime conspicua, id quod Noster p. 2 seqq. ex lapide, in quo Hercules ejus conditor dicitur, & ex clarissimis veterum Geographorum æque ac Historicorum testimoniis docet. Huic oppido priscum splendorem, tot seculis obscuratum, restituisse hodiernum Papam Benedictum XIII, merito dicendum est. Testantur id duæ Constitutiones de restituta Setinæ civitati cathedræ Episcopalis dignitate, deque ejus cum Terracineni Ecclesia, æque principali, unione, anno nostri seculi vigesimo quinto & sequente sancitæ, quas Noster post dedicationem (inscripsit autem librum eidem Pontifici) & præfationem exhibet. Sed, qui haud animo æquo hanc Setiensium fortunam intuebantur, eam duobus telis impugnabant. Alii ius cathedras Episcopales pro lubitu constituendi Papæ competere; alii Setiam tanti muneris capacem esse, negabant. Utrisque solide Noster respondet: illis in dedicatione, his per totum opus. Nonne longe viliores urbes in Latio eadem prærogativa gavisæ fuerunt? Adeat, qui Historiæ Ecclesiasticæ adeo expertus est, Nostri a p. 6 usque 58. Nonne tot, quot vix vicina oppida, superbit sanguine & egregie gestis nobilibus? Assatim hoc docet finis libri. Nec ex suo hæc Noster. Stant ab ejus partibus fidei haud sublestæ monumentorum nubes, quorum potissima, numero XXXIV, vide sit torius rei tractationi subjuncta. Augiæ stabula Nostro fuisse purganda, singulæ ferme paginæ loquuntur. Audiamus aliqua ex multis. Episcoporum catalogi haud tolerandis nævis laborabant. Hinc p. 36 & 38 Ughellus, p. 41 seqq. Lucas Holstenius, p. 48 Antonius Massa fuerunt emendati. Gothos, Longobardos & Saracenos Noster queritur, in vetera monumenta crudeles, historiæ Italiæ Ecclesiasticæ æque ac profanæ operam danti tantas peperisse difficultates, ut, qui eas ex voto superare credat, somniasse videatur. Cujusvis proinde viri boni officium est, ut, qua lacunas inde ortas suppleat, nullam occasionem prætermittat. Cujus rei Noster probe memor, p. 37, 74, 75 & 76 Ughellum, p. 48 vulgatam Gallefensium & p. 61 seqq. Seriensium Præfulum catalogum ex MSto, quod in Monasterio Perusino asservatur, auxit. His laboribus

haud levibus superatis, restabat alius fere Hercules. Veterum a nostra longe dispar pronuntiatio & exinde orta scriptura multos in transversum rapuit, hinc ne idem Nostro accideret, omnis lapis erat movendus. Desiderabatur in Conciliorum subscriptionibus Laurentinus Episcopus. *Lorenfis* quidem, nullibi *Laurenfis* legebatur. Quare Noster p. 8, collata cum p. 25, in eam adductus fuit opinionem, barbaris olim temporibus *Laurentum* fuisse dictum *Lorentum*. Omnes, qui vel per transennam impressos, ne dicam scriptos libros aspexerunt, ei subscripturos esse confidimus. Legisse enim meminimus apud Suetonium de Vespasiano c. XXXII, ipsum *plostra* pro *plaustris*, *Flaurum* pro *Floro* dixisse. Et ne plura in medium proferamus, *Plautius* apud Sallust. Cal. XXXI & Suet. Cæf. V in MSSis, quæ vel Commentatores vel nos ipsi vidimus, audit *Plotius*. Quam *τῆ* au cum *o* confusionem sedulo annotarunt Vossius de arte Gramin. II, 4, Sanctius Min. IV, 16, voce *Morus*, Jul. Cæf. Scaliger de Cauf. L. L. I, 8, quibus omnibus faciem prætulit Festus voce *Orata*. In eundem censum venit *τῆ b* cum *c* & *v* commutatio, quæ quo frequentior in libris scriptis, eo facilior ad aberrandum a recta via. Possemus aliunde sexcenta exempla transcribere, nisi jamjam paratas fruges apud Nostrium appositas inveniremus. Sic p. 35 allegatur inscriptio, in qua *Viterbiensis* per *b*, sicut p. 76 *Vulturnensis*, *Verulensis* & p. 102, *Valvensis* eadem ratione, it. p. 40 in lapide a Blanchino quondam descripto *Benturi* pro *Venturi*; at e contrario ibidem *tivi* pro *tibi* & p. 54 *Vicoaventinenfis* pro *Vicohabentinus* extat. Sufficiat, delicias, quas magno apparatu in hoc opere invenies, primis labris degustasse. Non possumus autem non omnes ac singulos, quibus ista, quæ antiquitatem redolent, bene sapiunt, ad has epulas invitare, spondentes, hilarem quemque inde abiturum esse.

**SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM,**  
*præcipue Saxoniarum, in quibus scripta & monumenta illustria, pleraque hætenus inedita, tum ad Historiam Germaniæ generatim, tum speciatim Saxonie superiori, Misnie, Thuringiæ etc. spectantia, continentur. Ex sua Bibliotheca*

MENSIS JUNII A. MDCCXXVIII. 255

ca aliisque edidit JO. BURCHARDUS MENCCKE-  
NIUS, *Ætius, Potentissimo Regi Polon. atque Electori Sa-*  
*xoniæ a Consiliis Aul. & Historia, Hist. in Acad. Lips. Prof.*  
*Publ. & Societat. Reg. Britann. & Boruss.*  
*Socius.*

### Tomus I.

Lipsiæ, impensis Joan. Christiani Martini, 1728, fol.

Alph. 12, Tabb. æn. 8.

**A** Mantissimus Historiarum Imperator, Divus Maximilianus I, peculiari rescripto omnes quondam Imperii Proceres admonuit, id darent gloriæ Imperii, & suæ quisque generis decori, ut, qua possent, industria & fide in domesticos lares inquirerent, quo de potissimis Germaniæ Principibus æviternum conderetur monumentum. Eximie hoc officio usque huc defuncti sunt illi inaprimis, qui Scriptoribus, quorum opera in describendis Germaniæ gentibus olim fuerat versata, colligendis & e tenebris erudendis singularem navarunt industriam, unde Leibnitii Scriptores Brunsvicensis, Pezii Austriaci, Ludewigii Herbipolenses & Bambergenses, Moguntini denique Joannis in publicum prodire, ut plures taceamus. Et ne deesset Saxonix nostræ suis hac in parte splendor, effecit nunc *Celeb. Menckenius*, Præses noster, Vir de universa re literaria egregie meritus, editis nuper admodum duobus Tomis Scriptorum aut MSCtorum, aut raritate MSCta ferme superantium, quibus non parum nitoris Tabulis æneis typoramque elegantia accedit. Hos dum Sacratissimæ Sarmatarum Majestati, Patriæ Patri longe Clementissimo, devotissime consecrat, in Dedicacione inter alia memorat, Saxoniam nostram nunc maxime literarum gloria florere, testaturque, nuper ipsum Potentissimum Sardinix Regem Lipsiam nostram in Germania, ut Lutetiam Gallorum, & Londinum Anglorum, potissimas literarum in Europa sedes agnovisse. Enimvero promiserat Vir *Celeb.* ab aliquot annis publico programme singularem Scriptorum Saxonorum, Misnicorum ac Thuringicorum collectionem, quæ non rariora modo, sed & passim obvia scripta complecti debebat.

bebat, ut haberent exteri, unde integrum historiarum nostrarum systema peterent. Verum dum plures interea ad ipsum perferrentur Codices MSCti, non ad nostram modo, sed universam Germaniarum historiam spectantes, qui lucem nunquam adspexerant, abjecto priori consilio, Bibliothecarum suarum locupletissimarum cimelia, in quibus quidem Saxonica eminebant, cum perpauca, impressis licet, rarissime tamen obviis, & nunc vel ad Codices revidis vel notis illustratis, sub generali inscriptione in lucem protraxit. Sibi quidem pro modestia & candore, quo pollet, singulari integrum haud fuisse profiteretur, omnia notis collustrandi, ut adeo paucas tantum, sub manu notas, sibi vindicaret. Attamen ad integritatem Codicum exprimentam nihil omisit, adeo ut maluerit errare cum MSCtis, distinctionibus etiam singulis retentis, quam intempestive harrolari. Patet illud statim in primo Opusculo, *Autoris* nempe *Anonymi Chronico veteri a Carolo M. usque ad mortem Friderici II Imp.* quod ita scrupulose ex membrana Bibliothecarum suarum, 400 circiter annorum, describi curavit, ut sphalmata quoque fuerint retenta, quarum tamen quavis facile emendaverit. Integrum Chronicon, quod ab ipsa creatione, ut pleraque illorum temporum, incipit, huc transcribere vix operae fuisset pretium; placuit potius Editori a tempore Francorum, imprimis Caroli M. incipere, & deinde quoque Ecclesiastica quaedam, aliaque parum ex usu visa praetermittere. Ipse Autor in exordio Operis sui ad librum, *Pentibcon*, provocat, quo nomine *Gottfridi Viterbiensis Pentibcon*, a Pistorio Scriptorum Tom. II editum, indigitare videtur. Anonymus tamen ab eodem multum est diversus, & cum Viterbiensis vix nominet Henricum VI, ipse longius progreditur, dignus omnino, qui in lucem protrahatur, cum fabulas non adeo sectetur, dum e. g. Fridericum Barbarossam Alexandri III mandatis per omnia quidem obedivisse scribit, nihil tamen de conculcatione Imperatoris addit; praeterea de morte Friderici refert, ipsum, dum vellet liberare Teutonicum, qui in flumine transvadendo submergebatur, pectus, dum nataret, ad lapidem magnum allisisse, indeque animam emisisse; & Philippum Ottoni IV Imperatori Arelatenfi Regno cessisse, affirmat. Sucedunt II *Lectiones emendatiores & auctiores Chronici ALBERICI, Monachi trium fontium*

p. 30.  
 31.  
 33.  
 37.

ab



ab A. 960 ad A. 1247. Vulgaverat ipsum Chronicon *Leibnitius* in *Accessionibus Historicis*; pulchro tamen Codice e Belgio ad se delato, operæ pretium putavit Noster, ut, diversissimis inde lectionibus in lucem protractis, librum utilissimum integritati suæ restitueret. Quis fuerit Albericus, ex fronte libelli, & dictis ad A. 1237 constat, ubi scribit: *obiit primus Abbas Ecclesie nostræ novi Monasterii Leodiensis*: unde & de vicinis rebus Gallicis, Metensibus, & Verdunensibus fuit sollicitus. Videtur vero pluribus annis huic Chronico insudasse, dum ad A. 1216, de *moderna Angliæ Regina*, & ad A. 1239 de *Joannis de Palatio Carpini Historia Tartarorum* A. 1246 conscripta, verba facit; nec mirandum, istum ad A. 1106 diserte notasse: *Ex aliorum libris lecta posuimus. Ceterum quæ sequuntur, quia recentis memoria sunt, a probabilibus Viris tradita, vel a nobis ipsis visa, vel audita, ponemus*: quæ minime obliunt, quo minus eundem totius Operis autorem existimemus. Recte de ipso judicaverat *Jac. Thomastus de plagio literario* §. 58, Albericum inter eos nominans, qui centone quodam ex variis Chronicis confarcinato componuntur. Nec quisquam sane accuratius ubivis notavit, ex quibus profecerit, in quibus sunt longe plurimi hodie prorsus deperditi, quorum tamen fragmenta Alberico adhuc debemus. Præterea non res modo in Republica gestas per singulos annos non sine delectu commemorat, verum & primus horum scriptorum Historiam literariam juvat, neminem omnittens hominum paullo doctiorum, barbaris etiam seculis florentium, cujus non scripta adducat diligenter, imo Epitaphia, atque integras quandoque epistolas afferat. Sequitur III *ANDREÆ Presbyteri Chronicon breve ab A. 568 usque ad A. 874*, ex membrana seculi circiter IX notas habente ac forte autographa productum, quod cum *Cel. Menckenio* communicavit Juvenis quidam modestissimus, sub *Hermannii Philomusii* nomine latitans, tum forte revelandus, cum *Lucii Licinii*, quas promisit, *Epistolas* in lucem protrahet. Vixit autor Ludovici II Imp. tempore, cujus sumus se comitatum dicit, mox in Carolomanni adventu in Italiam abruptens. Nomen *Andræ* ipse prodit, & Presbyterum se esse testatur; forsitan idem ille est *Andreas Presbyter Ravennatensis*, qui & *Agnellus* appellatus, Autor *historiæ Pontificum Ravennatum*.

p. 89.

100

*rum*, quam *Cel. Muratorius* tum seorsim, tum inter *Italicarum*  
*Rerum Scriptores Tomo II*, magna cura edidit. *Agnellus* enim  
 ille circa A. 805 natus, & noster *Andreas* circa A. 878, quo fere  
 telam abruptit, mortuus videtur: præterea loquendi modus idem,  
 ut *Philomusus* singulari exemplo docuit: saltem patria adhuc cru-  
 cem figit, cum ille *Ravennas*, hic *Mediolanensis* vel *Mediolano*  
 vicinus fuisse videatur. Huic junguntur ex membrana vetusta Bi-  
 bliothecæ *Menckiana IV Annales Francorum ab A. 801 ad A.*  
 822, quorum Autor rebus notata non indignis, uti de *Venetis a*  
 107. *Carolo M. debellatis & subactis*, portenta quoque fabulis similia  
 104. admiscuit. V prodit liber inter impressos rarissimus, *PETRI*  
 107. *SAXII, Arelatensis Ecclesie Canonici, S. Theol. Doct. Pontifici-*  
*um Arelatense, seu Historia Primatum S. Arelatensis Ecclesie;*  
 quem editum olim *Aquis Sextiis*, A. 1600, forma quadripartita,  
 sed mox, ne jura Germaniæ in *Arelatense regnum* nimis omnium  
 oculis paterent, suppressum, & 20 vel 30 *Vallenibus*, modo exem-  
 plum daretur, venditum, jam pridem optarunt eruditi in Colle-  
 ctione aliqua recudi. Germani imprimis, quod Imperatores no-  
 stri diu tenuerint regnum *Arelatense*, & ex *Arelatensi* haud dubie  
 stirpe prodierit primus *Thuringiæ Comes Ludovicus Barbatus*,  
*Caroli* quippe *Lotharingiæ & Brabantix Ducis* filius, unde passim  
 scriptores, ut *Tentzelius* in hoc ipso Opere *T. II p. 998*, hanc stir-  
 pem primam *Comitum seu Landgraviorum Thuringiæ Arela-*  
*zensem* vocarunt. Equidem *Cl. Kneſebeck* in *Prodromo Juris Pu-*  
*blici universalis* complura diplomata ex hoc Opere, quod totum  
 ex diplomatibus compositum & collectum est, hinc inde excerp-  
 serat, nondum tamen reslinguens sitim eruditorum, cui nunc de-  
 mum, integro opere recuso, satisfieri poterit; imprimis dum  
 sphalmata frequentia, quæ sensum fere obscurabant, sublata, &  
 justæ distinctiones positæ, ita tamen, ut diplomata intacta relin-  
 querentur, citationes præterea, in margine sine nota appositæ, suis  
 locis sint assignatæ, ac summaria margini adscripta. Ceterum de  
 Autore, qui forte *de la Roche* apud suos audiit, nihil fere proditum  
 reperitur, nisi quod ipse se sub *Clemente VIII Avenione* in Colle-  
 gio & *æde B. Nicolao* sacra per septennium studiis operatum, &  
 sub *Horatio Montano* A. 1602 in *Archiepiscopale sodalium S.*  
 Are-

Arelat. Ecclesie receptum, Petri d'Angiers hortatu laborem hunc aggressum esse, memorat. Hunc excipiunt VI *Diplomata CXXIX* p. 329 & 367. 379.  
*Abbatiam Chomburgensem prope Halam Suevorum sitam concernentia ab A. 1090, quo fundata, ad A. 1480.* Notum est in finibus Suevix & Franconix Monasterium Chomburgense, non Comburgense aut Cambergense, ut falluntur alii, in monte situm, a fluvio *Chobe* seu *Kochen* præterlabente nominatum. Habuit Chomburgum olim Nobiles de Chomberg, inde Episcopos Augustanos, & horum permutacione Comites Rotenburgi Dominos, ex quibus Richardus arcem illic extruxit, quam deinde filius ejus Burchardus S. Benedicto sacrauit; inde Seculo XII Abbatix nomine paruit Episcopo Herbipolitano, habetque hodie Advocatos Pincernas de Limpurg, qui Advocatix feudum recipiunt ab Herbipolensi, qua de re multus est *Mart. Magerus a Schœnberg*, Prælatu-  
 ræ hujus olim Syndicus, in *Advocacia armata*, quo cum meretur conferri *Crusius in Annalibus Suevicis*, ubi & Catalogum Abbatum imperfectum tentavit, hic sub auspiciis Diplomatarii ex ipsis diplomatibus suppletum. Integrum Diplomatarium ab Ill. *Zollmanno*, Ser. Duci Saxo-Cizensi quondam a sanctiori Senatu, benignissime communicatum, rebus minoris momenti omissis, nunc justo ordine dispositum, haud ingratum erit Suevis maxime & Franconibus. Interea cum Cl. *Schannat Vindem. Liter. T. II*, inferuerit Anonymum de origine & Abbatibus hujus cœnobii, eodem facile nunc carebimus, ut & Diplomatario ab eodem nuper promisso. VII *Diplomata LV, res Comitum Gleichensum ab A. 1217 ad A. 1518 concernentia*, ex Casp. Sagittarii historia Comitum Glichensum MSCta desumpta, quæ cum pluribus aliis ejus MSCtis, diplomatibusque Oldeslebiensibus & Capellendorfensibus Cel. Editori obtulit *Polyc. Leyserus*, Julix nuper ornamentum, ad quem Sagittariana omnia pervenerant, cujus mortem nimis festinatam nunc acerbè dolemus. VIII *Diplomata Bremensia XVII*, e Chronico Bremensi majori vernaculo, Saxonica dialecto scripto, Bibliothecæ *Menckeniæ*, transfumta, excepto Diplomate tertio, quo Otto III Ecclesie Hamburgensis privilegia firmat, quodque descriptum accepit Cl. Collector ex Codice Vindobonensi, unde sua diplomata, ab his plane diversa, descripserat Lin-

533.

583.

p. 613.  
675.

denbrogius in *Script. Germ. Septentr.* Succedunt IX *Diplomata Oldislebensia CXCVII*, & X *Capellendorfsia CLXXXVIII*. Vicus Thuringiæ prope Saxeuburgum fuit Oldislebia, Benedictinorum cœnobio clarus, donec puriora sacra reducerentur, unde pactura postea inter Principes Seren. Domus Sax. Ernestinæ, ut esset perpetuo penes familiæ seniorem, pro cura Directorii. Capellendorfiun arx hodie & præfectura in Thuringia ad Ducem Saxo-Vinariensem spectans, olim sub conventu Monialium familiæ S. Benedicti florebat, cujus statum jam pridem mutatum esse, ex postremis hisce documentis intelligitur. Diplomata hæc, licet non omnia ejusdem valoris, insignem tamen præstabant usum Familiæ Burggraviorum Kirchbergensium, Pincernarum de Apolda, itemque de Varila. Lectu tamen digniora sunt XI a) *Diplomata XXXVI, e Bibliotheca Academica Lipsiensis membranis descripta;* quæ ad Portense, Montis Sereni, ipsum Paulinum Lipsiense & Caltenbornense imprimis Monasterium spectant. His opportune addita sunt *Conradi Marchionis Misniæ Diplomata duo*, donationes S. Sepulchro & Hospitali Hieros. A. 1145 factas concernentia, & *compositiones quædam amicabiles* inter Principes & Episcopos aliquot Germaniæ, Wilhelmi potissimum Ducis Saxonie auctoritate, A. 1460 factæ, ex ejusdem Bibliothecæ penu depromtæ.

763.

813.

Ad res Imperatorum quorundam illustrandas faciunt XI b) *Vita Caroli M. Autore DONATO ACCIAJOLO, Florentino, elegantè descripta, & ex MSCto plenius edita.* Libellus est exiguus, sed compto sermone compositus, cujus autor sæpe secutus Eginhardum, habet tamen plura, vel apud hunc minime vel paulo aliter expressa. Inciderat enim in manus Cl. *Menckeni* Vita hæc Caroli M. ante duo circiter secula manu exarata, nullo quidem Autoris nomine apposito. Suspiciatus tamen ex venusta dictione *Acciajolum* Autorem, in *Wicelii Hagiologico* p. 178 b sqq. eundem reperit insertum, sed omissa præfatione, & majore parte finis, quæ in ipsius Codice extabant; hunc igitur secutus est *Noster*, ita tamen, ut cum *Wiceliano* eundem subinde compararet. Hac occasione & *Wicelium* a ridiculo errore, cujus nomine a *Vossio*, *Bælio* aliisque accusatur, vindicat *Menckenius*. *Wicelium* enim putabant, stolidè hanc Caroli M. vitam *Plutarcho* attribuisse, ob verba

in

in margine adscripta: *ex Plutarcho*: cum Wicelius potius in-  
 nueret editionem vitarum Plutarchi, quas Acciajulus Latino idio-  
 mate donaverat, adjecta in calce Vita Caroli M. a se ipso compo-  
 sita. XII *Legenda Patroni Germania S. Bonifacii Libris II, Lati- p. 333.*  
*ne, cum alia Legenda Bonifacii vernacula paulo diversa.* Partem  
*Legendæ Latinæ, scilicet a Capite VIII Libri II, jam publicaverat*  
*Tentzelius Suppl. 2 Hist. Goth.* attamen cum Sagittarius subinde  
 totum opusculum luce non indignum judicaverit, ex Codice cor-  
 rectori Bibliothecæ *Menckeniæ*, secundum Sagittarium, ut  
 videtur, descripto, & Hortleberi, ut sit verisimile, scholiis inter-  
 polato, merito idem huc translatus est. XIII *ERMOLDI NI- 865.*  
*GELLI, Abbatis, ut videtur, Anianensis, & Autoris synchroni,*  
*de rebus gestis Ludovici Pii Augusti ab A. 781 ad 826, Carmen ele-*  
*giacum; e Muratorii Scriptor. Rer. Ital. T. IIP. II.* Opus hoc,  
 multorum votis diu expetitur, tandem in lucem emiserat nuper  
 Muratorius; attamen cum collectio illius sumtuosa, & raro apud  
 nos sit obvia, optime de Germanis nostris, qui non minus sibi Ni-  
 gellum, quam Itali vindicant, meretur Noster, dum opus illud  
 cum omni apparatu, doctissimique Muratorii notis, denuo incudi  
 subiceret. Plura de Nigello, qui Imperatorem pietissimum con-  
 tra calumnias ingenue defendit, peti possunt ex præfatione Mu-  
 ratorii, p. 366 hic inserta. XIV *BENZONIS, Episcopi Albien- 957.*  
*sis, Panegyricus Rhythmicus in Henricum III Imp. alias IV*  
*Germ. Regem.* Libros hos VII Benzonis, Episcopi Albensis seu  
 Albensis in Italia, uti seipsum sæpius vocat, de rebus ad Henri-  
 cum, quem vulgo IV dicimus, Imp. pertinentibus, non inelegan-  
 ter, quamvis subinde, ut existimandum, corrupte descriptos, op-  
 portune, jam ferventibus operis hujus typis, transmisit Summe  
 Venerandus inter Suecos Episcopus *D. Ericus Benzelius*, traden-  
 te illos, dum Lipsiam transfret, Illustrissimo Comite, *Claudio Eke-*  
*blad.* Singulare hoc est Seculi XI monumentum, cujus Autor, li-  
 terarum pro illa ætate haud ignarus, simul Historicum, Panegyri-  
 stam & Poetam agere voluit. Quem ordinem sibi præstituerit,  
 haud facile divinaveris; nunc enim monita dat Henrico IV Imp.  
 nunc eum in Pontificem excitat, nunc quæ ipse pro Cæsare pa-  
 traverit, enarrat, & mercedem præstolatur, se *Episcopum sine Epi-*  
*scopatu*

p. 1051, 1060 *scopatu languentem oculis & pedibus* vocans, ubique vero maximum contra Papam zelum prodit. Ceterum in similibus & exemplis, e sacris & profanis Autoribus petitis, totus est, vocabulis quoque Græcis, et si Latine scriptis, & subinde quoque in Latinum

1047, 1069. Ionum detorti, frequentius utitur, voces quandoque easdem repetit, nunc literas duplices simpliciter effert, ut *abscisis*; nunc simplices geminat, ut *summere*; nunc literas permutat, ut *acclisia, socius*; literam *h* vocibus sæpe præfigit, ut *bori, honere*; ut alia taceamus, quæ num Autori omnia, an scribæ sint attribuenda, cum de ætate Codicis nulla simul mentio fuerit facta, non satis liquet. Ceterum cum Oedipo esset opus, ad enodanda obscuriora, nec otium suppeteret ipsi Editori librum, quem brevi typis subijci ordo postulabat, perlustrandi, operam hanc lubentissime in se suscepit Conf. D. *Jac. Aug. Franckensteinius*, Collega noster perindultrius, ut summa capita margini apponeret, & quantum per alia negotia & temporis penuriam, fervente prelo, licuit, Notas quasdam subjiceret. **XV EBERHARDI WINDECKII Mogunt. Historia Vita Imp. Sigismundi vernacula.** Diu jam expectatum est hoc opus ab eruditis, cum ejus spem dudum in *Proleg. Act. Conc. Const. T. 5 p. 6*, fecisset *Cel. Herm. von der Hardt*, tres libri Codices MSC. Vindobonensem, Gothanum, & Leibnitianum nactus, simulque novum de vita Sigismundi librum pollicitus. Sed cum Vir *Cel.* consilium hoc penitus abjecisse videretur, & exemplum illud Saxo-Gothanum, omnium forte antiquissimum, a Viro summo, *Ern. Sal. Cypriano*, cui & alia debet hæc Collectio, ut maximas ei hoc nomine grates debeat Orbis literatus, promptissime Nostro fuisset procuratum, ipse recentiore Codicem, jam pridem in Bibliotheca sua splendidissima exstantem, qui tamen raro opis quid attulit, cum Gothano contulit, & librum, quamvis vernaculum, integrum atque incorruptum vulgandum, optime censuit. Cuiusque ex verbis in fine Codicis adscriptis pateat, eum ab *Ulrico Aicherio* Egræ jam A. 1461 descriptum esse, suspicatur, hunc fere primum dispersas Autoris chartas, quas, ut in Præf. testatur, amantem *Henrico Noribergensi* dictaverat, collegisse, & annorum ratione neglecta, descripsisse, quæ *Cel. Menckensii* cura secundum justam temporis seriem transposita videbis.

Win-

*Windeckius* ille, ut ipse profitetur, quindecim annorum puer, p. 1072.  
 Moguntia, patria sua, cum insignis autoritatis mercatore Pragam  
 profectus, Sigismundo inde per 40 annos usque ad ejus obitum  
 adhæsit, & plerisque ipsius rebus interfuit. Cumque Sigismun- C. 132.  
 dus eum in rebus arduis in consilium adhibuerit, Consiliarium 130.  
 Cæsaris eum recte dixeris; & quod esset civis Moguntinus, etiam  
 apud Archi-Episcopum singulari gratia floruit, ejusque apud Cæ-  
 sarem negotia curavit. Rebus angustiis Imperatoris sapius pro-  
 spexit, ut cum ejus nomine pretiosa quædam cimelia oppignora-  
 ret Brugis pro 18000 Flor. se ipsum vadem constituens, quam  
 summam Sigismundus ægre refundebat. Mox ad Moguntinos 51. sq.  
 aliosque fuit missus, urbes quasdam oppignoraturus, quod qui-  
 dem successu caruit. His vero rebus ita sibi devinxit Cæsarem, ut  
 hic ipsi annuos reditus e vectigali Moguntino constitueret. Fi- p. 1075, 1182,  
 dem auctori facit, quod res describat, quibus ipse interfuit, & de 1276.  
 dexteritate sua juratus testatur in Præfatione. Et Cleri quidem 1075.  
 vitia non tacet, ejusque avaritiam & ambitionem omnis calamitatis  
 fontem agnoscit. Inferta sunt passim acta publica & integræ Epi-  
 stolæ; imprimis vero jucunda videntur, quæ res Sigismundi do-  
 mesticas concernunt. Ita stupri violenti, falso licet, insimulatus C. 32.  
 est a Friderico Duce Austriæ; tum ejus in uxorem Barbaram in- 86.  
 dignatio, hujusque miseria commemoratur. Matriculam impri- 108.  
 mis Imperii hic videas omnium antiquissimam de A. 1422; cum  
 vetustissima huc usque fuerit habita, quæ A. 1431 promulgata.  
 Dattium quoque multis in locis ex Windeckio emendandum ac 149.  
 supplendum deprehendes, ut taceamus illa de Sigismundi coro-  
 natione & arrogantia Pontificis. Illud vero nobis visum est ridi- 189.  
 culum, quod Sigismundum veneno prope enecatam Medicus  
 quidam, Sævus natione, (*ein grober Swop*, ut loquitur Windeck) 20.  
 accedens, pedibus per integras 24 horas suspenderit. Ceterum  
 haud silendum, Autorem ultra Sigismundi tempora progredi, &  
 rebus Alberti II degustatis, circa coronationem Friderici III Imp.  
 & investituram Brandenburgici Marchionis aliorumque A. 1442  
 Aquis celebratam subsistere. XVI ANTONII de MUSICA, p. 1289.  
*Antwerp. Commentariolus rerum a Carolo V Imp. ad S. Digeri-*  
*um gestarum.* Testem oculatum produciamus, qui Commissarii  
 nomi-

- nomine Provisori exercitus Cæsari tunc adhæsit. Opusculum ex Codice autographo Bibliothecæ Regiæ Londinensis a *B. Jo. Guil. Jano*, Wittebergenfium Theologo, ante paucos annos descriptum, huc maxime referendum videbatur, quod illa obsidio A. 1544 suscepta, ad Mauritiû Sax. D. res gestas spectet, qui Cæsari ultra 1300 equites adduxisse, & strenue multa gessisse, tum in obsidione, tum post urbem captam, memoratur. Et si vero Autor stilum suum modeste vocet rudem, minime tamen videtur contemnendus, si pauca negligentius ab homine militari expressa excipias.
1296. 1307. Sequuntur hunc prolixiores XVII *Annales Reip. Augustanæ, seu Augstburgenses, ab ACHILLE PIRMINIO GASSARO relictis, & ex autographo nunc primum editi.* Et si de *Gassari*, Lindaviz d. 3 Nov. A. 1505, Ulrico Gassero, Maximiliani I Chirurgico, nati, & Augustæ d. 4 Dec. A. 1577, melancholicæ & febre ardente mortui, vita *Mart. Cræsius* & sub nomine *Pirminii*, quod illi demum in Confirmatione A. 1512 a Jo. Fabro, Vicario tum temporis Parochiæ Lindaviensis, inditum, *Paul. Freberus* sint commentati, plura tamen de eadem perbenigne communicarunt Nestro *Wolff. Jac. de Sulzer*, Reip. Augustanæ Senator, & *Christoph. Koch a Gailenbach*, Dicasterii ibidem Assessor. Auriaci nempe in Gallia Doctoris titulum adeptus Gassorus, Augustam venit circa A. 1546; uxorem habuit *Catharinam Werderin de Veldkirch*, eaque mortua *Annam Mariam Obnin, Hieron. Tucherii* viduam, quæ ipsi jura civitatis Augustanæ attulit, eaque defuncta aliam duxit, *Scholasticam Büblerin* 1552; quæ ipsum non ita multo post turpiter deseruit, unde vixit cælebs cum filio suo & genero *Machario Rumero* ad finem usque vitæ. A. 1568 stipendium a Senatu meruit menstruum 10 aureos, per annum fere integrum, quo pestis ibi sæviit. Fuit præterea Reip. Augustanæ Physicus, Historicus insignis & Medicus certæ peritiæ & felicitatis, ut adeo a Jo. Alberto, Duce Megapolitano, perliterato Principe, aliisque magnæ dignationis viris, literas sæpius plarè familiares acciperet. Exstat adhuc illius effigies, quæ ab illa ex Codice Gothano hiczere expressa paullo differt. Maximi ipsum fecit *Conradus Gesnerus*, eundemque insignibus ornavit elogiiis; *Jo. Langius* eum adeo vocat alterum in re medica Achillem. Ingentem librorum copiam



copiam collegerat, unde *belluo librorum* dictus; quam post ipsius morte. a sibi comparavit Huldericus Fuggerus, ac postea testamento cum reliquo apparatu reliquit Palatinatui. Filium post se reliquit nullum, filiam vero *Annam, Rumlero* nuptam: scripsit libellum *de peste*, editum *Noribergæ 1544* in 4, *Hippocratis Aphorismorum methodum novam*, Sangalli 1584 in 4; *Curaciones & Observaciones medicas* & Collectanea practica a *G. H. Welschio* in Sylloge Observat. Med. & in Centuria Consil. Med. repetita, *Catalogum Regum Hierosol.* tabulam Mathematicam, *Sciaterion pcdarium* inscriptam, *Epigrammata ad Dioscor. Euporistam Nonnum Medicum*, ac *Luca Stenglini* opera; *Alex. a Süchten* Propositiones Sarmaticas Medicas consutavit. Antiquitatum Germ. & linguæ imprimis Germanicæ vetustæ studiosissimus, *Ostfridi Evangelia Gothica* primus descripsit & illustravit, v. *Act. Erud.* 1727 p. 146, addiditque Lexicon vocum veterum & intellectu difficultum, utque imprimeretur, misit ad *Conr. Gesnerum*, & cum is typographum nancisci non posset, ad *Matthiam Flacium*, colligendis testibus veritatis & Centuriis Hist. Eccl. tum intentum. Præterea extant in Bibliotheca Augustana *Catalogus Regum omnium, quorum sub Christiana professione per Europam adhuc regna florent, in gratiam Du. Ulrici Fuggeri A. 1554 collectus & primum editus Augustæ Vindelicorum in 4to, & Historiarum & Chronicorum epitome veluti index*, Basil. 1532 in 8; qui postremus liber ad A. 1: 31, non 1520, ut fallitur *Sagittarius*, pertingit. Annales nostros quod attinet, *Drau. lius, Lipcnius, Struvius, W'hear* inter editos dudum numerarunt, falso; cum cœptum jam, ob Patriciorum quorundam præjudicium, suppressum fuerit opus. Usus vero est Noster Codice Gothano, a summe Rev. *Cypriano* ipsi communicato, qui pro avtographo ideo habendus, quod plurima suis locis inferenda adscripta sint eadem prorsus manu, qua textus ipse exaratus, quæque adeo, cum & stylum Autoris prodant, in contextum sunt relata. Equidem *Heinzelium*, Senatorem Augustanum, qui Gassarum maxime in hoc opere adjuvit, Codicem Annalium avtographum possedisse, constat ex Epistola a *Cons. a Gailenbach* communicata, & Præ-Nobiliss. *Sigism. Jac. Ammanum*, Patricium Augustanum, servare alium Codicem, in quo nonnulla, quæ

de sua vita ipse Gassarum reliquisse traditur, excerpta ex Henr. Panthaleonis & Hier. Wolfii scriptis de Gassaro, Xysti Betulei Carmen in Autorem, Cyriaci Wagenbergi Epistola ad Autorem, dedicatio Autoris ad Heuzelium & ejusdem Responsorialia ad Autorem, ac Dedicatio Autoris ad Henricum Khelingerum de Radau continentur; præterea Autoris autographum extare apud Ill. B. *de Reblingen*, præfatione seu dedicatione ad Magistratum Augustanum auctum, quæ ad Appendicem libri hic conspicitur; unde suspicari licet, Gassarum librum pluries subsecivis horis descripsisse, ut inde non sit mirum, si autographa ejus plura, pluribus ab Autore inscripta, deprehendantur. Illud fuisset optandum, ut fontes indicasset Gassarum; fidem tamen ipsi asserunt *Dav. Langenmantelius*, in præfatione libri: *Historie des Regiments der Reichsstadt Augspurg*, ubi Gassarum limpidissimos ubique fontes degustasse testatur, & *Engelbertus Werlich*, qui in *Chronico Augustano P. II*, sua ab A. 1522 ad A. 1520 ex Gassaro supplevit. Ex Pontificiis, alioquin partium studii ipsum accusantibus, illo usi sunt sæpius *Stengelius* & *Mahnertus*, ex nostris *Seckendorffius*, *Cyprianus*, *Henznerus*, *Tentzelius*, *Fellerus*, *Bruckerus* aliique. Cæterum insigne familiæ Gassari, ab *Ammano* communicatum, hic expressum sistitur. Tomum huncce claudunt *XVIII COSMÆ, Pragens. Eccl. Decani, Chronica Bohemorum Libri III ad Edit. posterior. Freher. recogniti & notis illustrati a Christiano Gottlieb Schwarzio, Prof. Publ. Altorf.* Cum Marq. Freherus Scriptores Rer. Bohem. ederet, antiquissima simul Cosmæ Pragensis Chronica Bohemorum exhibebat, multis tamen in libro I, & libri II parte maxima, & integro libro III truncata. Quadriennio ferme post Pragam pervenit, inciditque in exemplum integrum, quod ut 1607 Hanovizæ imprimeretur, addita S. *Adalberti vita* & quibusdam aliis, effecit. Eodem vero usus videtur Codice, qui hodiernum extat Pragæ apud Rev. Patres Societ. Jesu, cumque in illo pariter habeatur *Benessi a Weidmühl vita Caroli IV*, optat Cel. Editor, ut Rev. Patres publico ulterius eam non invideant. Ceterum paucissima editionis Freherianæ postremæ prostant exempla, unde liber exiguz licet molis, quinque vel sex Joachimicis vendebatur. Cum vero is plura ad res Saxonicas & Misnicas spe-

ſpectantia contineat, autor Noſtro extitit Celeberrimus *Chriſtianus Gottlieb Schwarzius*, Altorfenſis Academiz decus, ut liber publico commodo recuderetur, notis ſuis erudite illuſtratus, quamvis nomen revelari modeſte recuſaverit. Majora dabit Vir perinduſtrius in *Tom. III*, ubi *Petri Albini de Burggraviis Leisnicenſibus* rariffimum libellum diſſertationibus notisque ſuis illuſtrabit. Coſinas noſter diverſus eſt a Coſina Ep. Pragenſi, quippe jam 1098 e vivis erepto, cum noſter contra 1099 Sacerdotio initiatus, demum 1125 d. 21 Octobris octuagenarius deceſſerit. Maximi fecit Coſinam noſtrum *Balbinus* in *Epitome Rerum Bohemicarum L. 3. c. 8. p. 212*, quod ſumma fide Hiſtoriam ab A. 1038 ad A. uſque 1125, & ipſam fere mortem produxerit. Additam a Frehero *vitam S. Adalberti*, ad res Germanicas vix ſpectantem, & a Caniſio, Editoribus Actor. Sanctor. & Bzovio, (ab hoc quidem ſub falſo Sylveſtri II nomine) editam, & a Coſina noſtro, ut falſo ſibi perſuaſerat Freherus, minime proſectam, hic fruſtra expectaveris. Interea Ill. Editor collaudat diligentiam *Chriſtiani Gottlob Haltauſi*, Juris & amœniorum literarum ſtudioſi, qui & plura ex vetuſtis membranis accurate magnaſque felicitate deſcripſit, & quædam vernacula, in ſecundo quidem Tomo, Latinitate donavit, & contenta margini appoſuit, indicem ſuo tempore operi additurus. De Tomo II operis ſplendidiffimi dicemus Menſe proximo.

**ALEXII SYMMACHI MAZUCHII, METROPOLITANÆ ECCLESIE CAMPANÆ CANONICI THEOLOGI, IN MUTI-  
LUM CAMPANI AMPHITHEATRI TITULUM, ALIASQUE NONNULLAS  
CAMPANAS INSCRIPTIONES COMMENTARIUS.**

Neapoli, ex typographia Felicis Muſcæ, 1727, 4 maj.  
Alph. 1 pl. 2½, Tabb. æn. 2.

**N**on ſine inſigni voluptate feſtivam hanc doctiffimi Mazuchii lucubrationem perlegimus; materiæ jucunditate, doctrinæ criticæ apparatu, & virilis gravisque ſermonis elegantia certatim commendandam. Erutum inter Campani amphitheatri rudera, menſe Septembri 1726, fragmentum marmoreum fuerat, ad totius forte

- forte operis titulum spectans; prægrandibus litteris consignatum, altum tres pedes Comanos, quatuor latum, quod una cum
- TAB. III. supplementis Cl. Editoris adjecta tabula exhibet. Hujus veluti
- Fig. 1. redemptor editurus Noster, doctum hunc condere aggressus est commentarium, præmissa de Campani amphitheatri mentione a viris doctis injecta præfatione, in octo capita distributum.
- p. 3 cap. 1. Caput I, priores elogii lineas illustraturum, justam fere coloniam Capuam deductæ, Campanæque urbis historiam complectitur.
4. Antiquis temporibus municipii jure gavisa est Capua, postquam T. Veturio Calvino, & Sp. Postumio Coff. A. V. C. 419 civitas data fuerat Campanis. Suis ergo Capua utebatur legibus & sacris, junctaque connubiis Romanis erat, donec ab Hannibale A. V. C. 542 devicta, in præfecturæ formam redigeretur. Jugo igitur Romanorum accepto, Præfectus, qui jura daret, per annos 152 eo mitebatur quotannis, sæpiusque per idem spatium Capuam deducebatur colonia. Et prima quidem a Bruto, Patreilliu, qui Cæsarem interfecit, ea circiter tempestate, cum Sylla in Mithradaticum bellum intento, foedissima Marianorum per Italiam grassaretur dominatio. Altera L. Corn. Syllæ fuit, quam *Sigonius de jur. Ital. III, 4* cum Bruti colonia miscuit. Injuste quidem ex mente Auctoris, cum Brutus cives dederit, Sylla milites; ille præfecturam sustulerit, hic retinuerit. Postea P. Servil. Rullus, Trib. pl. legem promulgavit, ut Capuam in coloniam quinque colonorum millia adscriberentur, iisque & Campanus ager & Stellatis divideretur. Sed Cicero oblitit, cui proinde & statua a Campanis dicata fuit, simulque Patris Urbium appellatio communi religione tributa.
12. 13. Quadriennio tamen exacto A. V. C. 694 legem C. Jul. Cæsar per tulit. Enata hinc JULIA COLONIA, celeberrima quidem, non tamen prima colonorum deductio, quam & elogium nostrum memorat, quæque cives, veteranos nempe milites attulit, inter civiles adeo numeranda, nequiquam militares. Trucidato Cæsare, impari idem successu a M. Antonio tentatum: feliciter vero ab Octav. Augusto, qui supplementa tandem coloniam adscripsit. FELIX vocatur colonia, quod a Sylla Felice primum constituta fuerat: non a Campania Felice, cum is Campaniæ titulus tantam non ferat ætatem. *Sigonius* hic emendatur, Campanam Syl-

*Fig. 1.*  
COLONIA VILIA FELIX AVGVSTA CAPVA

FE CIT


DIVVS · HADR IANVS · AV G · RESTITVIT  
IMAGINE SEPT · COLVMNAS · ADDI · CVRAVIT  
IMP · CAES · TAE · LIVS · HADR IANVS · ANTONINVS  
AV G · PIVS · DEDICAVIT

*Fig. 7.*



*Fig. 3.*  
FAVS CÆMMR  
HÆE LCTET  
LEO IDOCT X IS CŌ VI A SP EG

*Fig. 8.*



*Fig. 6.*



*Fig. 4.*



*Fig. 5.*



*Fig. 2.*



LVCCEVS · PECVLIARIS · REDEMTOR · PROSCENI · FE CIT

Syllæ deductionem *l. c.* sollicitans & labefactans: propinaturque conjectura, eam forte omnem coloniam a Sylla fuisse deductam, quæ JULIÆ FELICIS nomine celebratur in monumentis. AUGUSTÆ cognomentum ex Scto Campanæ urbi impostum. Tribus enim ab Octavio Augusto vicibus, vel deducta eo iterum colonia, vel renovata vetus est. Semel ex triumvirali lege: hinc Octavii ipsius jussu: tandem, quo noster titulus respicit, post Actiacam victoriam. Hinc Cl. Autor *duo auctaria* intercalat, quorum *prius* de Campana Pertica ejusque præfecturis terrisque agit. *Pertica* agrario nomine, universum territorium, novis assignatum colonis, notat: *Præfectura* vero, quicquid deficientis coloniarum solo ex alterius oppidi finibus decimum perticæ adjungitur. Limes perticæ septentrionalis, alias *Kardo*; orientalis, *Decumanus* dicebatur: in Campano autem agro *Kardo* orientem, & *Decumanus* meridiem spectabat. *Hic* ad mare usque longissime explicabatur, *ille* vero brevior erat. *Alterum Auctarium* circa Campanæ coloniarum terminos litteratos occupatur, quorum quatuor, incertæ tamen originis, Cl. Autor reperit. Quodsi hariolationibus dandum aliquid, existimat, eos post confecta civilia bella, jussu Imp. Cæsaris defixos esse. Succedit de tempore extructi amphitheatri, & Campani ærarii viribus disputatio. Natales amphitheatri ad tempora coloniarum, non reipublicæ Campanæ, Cl. Autor refert. Ligneum illud ante vel lateritium fuisse putat, quam conderetur marmoreum, a Capuæ coloniarum ærario demum excitatum. Coloniarum enim cuius peculiare ærarium erat, quod redditus ex prædiis publici, pœnæ, hereditates, legata, donationes, & principum liberalitas augebant. Præerant eidem quæsttores coloniarum, vel præfecti ærario, qualis Campaniæ Calenus obtigerat, spectabantque huc Kalendarii curatores, publicam coloniarum summam senori dantes, singulisque calendis extorquentes usuras. Campanum certe ærarium pingue admodum prædiis fertilissimis erat. Terra Cnosia apud Cretenses triginta scutatorum millia quotannis reipublicæ Campanæ reddebat: quæ Lucani amplissimi agri, & Levesgæi collis proventibus perpetuo augebantur. Reliquos tituli versus c. II & III expendunt. HADRIANUM legendum esse monent, quod excitandis reficiendisque operibus plu-

p. 31.

33. §. 4.

32.

41.

51-56.

57. §. 5.

59.

60.

61.

62. not. 35.

c. II, III. p. 65,

73.

- plurimum is impenderit, stupendumque extruxerit Nemaufense amphitheatrum. Incidit operis hujus architectura in extremos
- p. 67. Hadriani annos, eos forte, cum (Tillemontio arbitro) A. C. 119 in Campaniam secederet, deque reficiendo cogitaret amphitheatro. Mors tamen eundem prævenit, unde filio Antonino, ob insignem erga cærimonias publicas curam & religionem Pio dicto,
75. plura Parentis ædificia dedicanti consummantique, relinquenda fuit operis dedicatio. Ansam hinc arripit Doct. Autor, lepida do-
77. ctaque quam interposuit *Diatriba de dedicationibus* fufius agendi. Conferre præcipue ea jubet, quæ *Gutherius de vet. jur. pontif.* III, 11, 12 docet, quibus supplementa saltem se scribere profitetur.
- 79—107. §. 1. In veram *dedicationis* notionem, primo statim loco sollicite inquirat, eamque a *consecratione* omnino differre tuetur. Utraque, ait, sine altera peragi poterat. Consecratio præcedebat modo, modo sequebatur: imo in detestationem quandoque *consecratio* fiebat, *dedicatio* nunquam. Patuit tamen subinde latius *dedicationis* vocabulum, *consecrationem* suo quoque ambitu complexum.
80. Proprie vero *dedicare* nihil aliud erat, quam primo fabricæ usu eam secuturis dicere addicereque usibus. Sequiori Latinitati idem illud *encaniare* dicebatur. Apud Græcos ἐγκαινίζειν & καθιερεῖν occurrit: illud *dedicare*, hoc *consecrare* notat. Nec ignota Ebræis *dedicatio*, quod collatis Scripturæ locis *Deut. XXI, 5, Pf. XXIX, (XXX) 1, Neb. XII, 27, Dan. III, 2*, ostenditur. Vetus Latium, primo cujusvis rei usu eam *dedicari* dixit. (*Dedicere* namque, a Cel. Facciolati, in edit. Calepiniani Lexici adoptatum, merito exulat.) Frequentiora id docent marmora, scriptaque recentiorum quoque comprobant. Sic *togam in funus dedicare*, est novæ togæ usum in funere inchoare; *dedicare in censum*, est incepta rei possessione eam in censum deferre; *rudem carinam dedicare*, est novam & mare nondum expertam ponto committere &c.
- 84—88. 89. *Sub ascia dedicare monumentum*, quæ in Lugdunensibus sæpe agris formula reperitur, non, ut Gutherius & Fabrettus exponunt, sepulchri mediocritatem, veluti unius ascie, qua calx subigitur, ope, sine ullo instrumento λαξεντικῶν absoluti, innuit: sed potius sepulchrum recens extructum, antequam perfectum fuerat, dumque fervet adhuc fabricarum opus, cadavere illato *encaniare* notat.
- 90.

tat. Exposita *dedicationis* voce, illi enarrantur, ad quos templo- p.91 sq. §.2.  
 rum, publicorumque operum dedicatio pertinuit. Penes duum-  
 viros id fuisse, Gutherius statuit, castigatus a Nostro. Plebiscito 93.  
 namque olim præficiendus erat, qui dedicaret opus, dedicantique 95.  
 tribuebatur, ut nomen suum inscriberet, etiam si ædificasset alius.  
 Magna inde dedicandi ambitio, donec post Claudii fata ad Prin- 96.  
 cipes lege regia illud officium transfiret. Profecti hinc sæpius  
 Roma sunt Imperatores ad aliquid dedicandum, vel etiam alteri 94 sq.  
 imperatorio nomine dedicandi potestatem indulerunt, cujus rei  
 in Ecclesia Romana vestigia monstrat Cl. Autor. *Consecrationem* 97 §.3.  
 ordo tangit, certis ritibus conceptisque formulis, a Gutherio Bris-  
 fonioque traditis, peragendam. Cavendum imprimis erat, ne  
 verbulo aberraret, qui consecrabat Pontifex, & ne quicquam emo-  
 ta perturbataque mente ab eo fieret: singulis fere bonis conse-  
 crandis peculiaris lex erat, ex docta *Anton.v. Dalem de consecratio-*  
*nibus ethnicis* commentatione addiscenda. Disceptatur præci- 100.  
 pue, an *opera publica* soleenni ritu sacra fuerint? quod de Roma- 101.  
 nis, ob summam Pontificii juris apud veteres inscitiam, affirmare  
 dubitat Noster, melius de Græcis, hac ex parte religiosioribus,  
 fentiens. In eo tandem desinit, *res sacras*, consecratas, *sanctas* §. 4. p. 102-  
 vero dedicatas saltem fuisse. Singularum autem rerum, bibliote- 106.  
 carum scilicet, ædium, viarum, &c. *dedicatio*, anniversariis solen-  
 nibus celebranda, vel epulis absoluebatur, seu cœna recta esset, seu  
 Sportulæ: vel nummis ea lege dispensatis, ut vescerentur in publi-  
 co cives. Caput IV aliud amphitheatrale epigramma expo- c. IV, p. 107.  
 nit, per eadem hæc tempora repertum:

SATELLIA. M. F. ANUS

APODYTERIUM. AD. NOVITATEM. R... cstituit  
 EPISTYLIS. CETERISQUE. MARMORIBUS O... rnavit.  
 Obscura est gens Satellia. *Epistylum* noster per *architrabem* ex-  
 poni, quam ligneam ante, prima omnium marmoream fecerat  
 Satellia. Docte præterea de *apodyteriis balnearum & gymnasio-* 108-112.  
*rum*, h. e. cellulis illis, ubi loturi vel gladiaturi vestes deponebant,  
 & ubi gladiatores mortui sepeliebantur, ac conficiebantur semi-  
 vivi, quorum desperata erat curatio; de *catabulo* seu claufura  
 ani-



animalium, ubi detinebantur & ad crudelitatem in bestiarios erudiebantur eadem; *deque ludo gladiatorio* differit. Caput V c. V, p. 113--119. Campanorum in omne ludorum genus, gladiatorios imprimis, studium describit: adeo nimirum in eos proni erant, nulla ut mensa satis apparatus censeretur, ad quam non aliquot gladiatorum paria committerent. Cap. VI & VII Campani amphitheatri antiquam recentioreque faciem, appellationes, *meta*, Capuæque VI, VII, 120--146. obsidiones dominosque tradit. Cap. VIII de scenicis Campanorum VIII, 146. ludis actheatro, eorumque in ludos studio præcipit, *legemque paganam pagi Herculanei* ex veteri elogio integra commentatione exponit. Adjecta est jucunda in *Campani proscenii* 148--155. rudis sculpturæ aliquod *anaglyptum* exercitatio. Exhibet illud 158--164. Deorum statuas, per angulos, ubi urinam facere solebant, ar- TAB. III. Fig. 2. cendæ immunditiei causa dispositos, quod ex angue appicto Noster divinat. v. *Perf. Sat. 1.* LUCCEIUS nimirum, cognomen- to PECULIARIS, REDEM'TOR, qui factum tectum mundumque omni parte tuebatur proscenium, pellibus victimarum in Campano Capitolio ex more ædis (Virgil. *Æn. VII, 87*) incubans, per quietem admonitus reparavit proscenium, hocque anaglyptum EX BISO, h. e. ex viso, fecit. Sistit vero hæc tabula, ex mente Cl. Autoris, a Mabillonio & Paschali abeuntis, 1) *machinam versatilem*, (tympanum forte,) a calcantibus hominibus velut duobus tympanotribis versatam, attollendis demittendisque ponderibus aptam; cum *trochlea* & *ductario fune*, qui circa tympanum advolvitur, *columnaque* prisce operis, in fundamenta novi ædificii reponenda. Adest proxime 2) *imaguncula humi sedens*, cum *malleo* & *scalpro*, Luccejum Peculiarrem, vel architectum referens. Adstat 3) *Minerva* hastata, galeato & cristato vertice, cum Medusæ capite in pectore, Pallas illa *μηχανίτις*, manum machinæ bono omine admovens. Porro 4) *Jupiter μηχανεύς* affidet, superne nudus, inferne tectus, diadematus, fulmen dextra, sinistra sceptrum crassiusculum, *ρόπαλον* tenens. 5) *Diana* sequitur, itidem *μηχανίτις*, alte succincta, tutelare Campanis numen, Minervæ Jovique in Campano Capitolio Dea *σύννα* ☉. Hanc 6) *Genius* excipit, imposito epigrammate indicatus, *publicus* videlicet, eodem plane habitu, quo in Trajani

& Hadriani numismatibus occurrit indutus. 7) *Serpens cristatus* superest, vel *διὰ σέρπεντος* Caput simulacrum, cujus olim cives a serpentum frequentia Ophici, Opici, Opsci & Osci appellati fuere; vel etiam Dei topici solenne signum. Index tandem Mazochiani operis restat, quem *additamenta* præcedunt, multa veterum loca, titulos varios, mores antiquorum, instrumenta, formulas, voces, æque ac opus ipsum illustrantia, in quibus omnino habebunt, quod exerceat ingenium, Critici. Præclare ad ultimum de reliquis, quas perpolit doctissimus Autor, lucubrationibus criticis, *commentario* imprimis *de originibus Campanæ urbis*, quem p. 57 expectare jubet, ominamur. p. 165-172. 57.

**TITI FLAVII CLEMENTIS, VIRI CONSULARIS & Martyris, Tumulus illustratus.**

Urbini, typis Ven. Capellæ Sanctiss. Sacramenti per Antonium Fantauzzi, 1727, 4, ch. maj.


Pl. 7½.

**E**minentissimus Cardinalis ANNIBAL ALBANUS d. 22 Januarii 1725 cum in sua illa S. Clementis Papæ & Martyris Basilica, Romæ in Cœlio monte sita, S. Ignatii Antiocheni Episcopi & Martyris ossium partem, quæ sub Altari majore recondita esse credebatur, eruere vellet; Altare majus subruui, egeri terram, & locum totum aperiri iussit. Verum nihil ibi tum repertum est, præter capsulam plumbeam, qua ossa aliquot & ossium fragmenta continebantur, cineres præterea cruore concretos, vas vitreum effractum, urceum fictilem, crucem geminam, alteram ligneam, alteram æream, & imaginem ceream duplicem, quæ agni formam referebat. Capsulæ imposita erat tabula marmorea, quæ ex altera pagina literas habebat tribus versibus digestas, *vid. Fig. 3*, in altera vero tria monogrammata, *vid. Fig. 4, 5 & 6*. Hanc inscriptionem Anonymus noster illustrandam sibi sumpsit, ut supra dicti Cardinalis studio & voluntati obsequeretur. Absolvit autem rem omnem tribus paragraphis. TAB. III. Fig. 3, 4, 5 & 6.


In §. 1 docet, quomodo legenda sit hæc inscriptio. Et Fig. 3 quidem lineas duas priores sic omnino legendas esse asserit: *Flavii Clemens Martyr hic feliciter est tumulatus*. Tertia vero li-

Mm

aca



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART  
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

ACTA ERUDITORUM  
LEIPZIG 1728

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT  
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK  
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 612 Y 4<sup>0</sup>

nea quomodo non sit legenda, facilius esse dicere, quam quomodo legenda sit, fatetur. Hinc diversas quidem interpretationes affert; certi autem nihil statuit. Nam qui hanc lineam sic legendam putant: *LEO Ius DOCTOR XISTus Martyr VIus A Sancto Petro ECclesia rector, sive VIus Apostolica Pontifex ECclesia*, vel inde refutantur, quod Xistus seu Xystus, vel ut alii scribunt, Sixtus Martyr sextus Ecclesie Pontifex nulla ratione dici potest. Non nemo ergo ita hæc explicavit: *LEO I DOCTOR XrISTiani-tatis Anno CDXL ASsumtus Pontifex ECclesia*. Sed quoniam præter cetera, quæ possint opponi, in hac inscriptione non XL, ut ille suspicabatur, sed VI manifeste legitur, ingenium quidem, *inquit Autor*, & interpretandi solertia laudari debet, ipsa vero interpretatio pro vera suscipi non potest. Affert ergo Francisci Mariani, Bibliothecæ Vaticanæ Scriptoris, hac de re conjecturas, qui probabilius statuit, sic explicari: *LEO I DOCTOR XISTi (seu Christi) CON-cilium VIum Autoritate Sancti Petri EGit*. Tandem subjungit alterius cujusdam Viri, incredibili, ut ait, sagacitate in ejusmodi rebus præditi, lineæ hujus tertie lectionem scilicet: *LEO I DOCTOR Xristi 13 Mensis VIti Ad S. Petrum Eumdem Gestavit*. Verum, inquit Noster, si hæc foret lineæ tertie sententia, longe serius, & quidem ab homine valde imperito conscriptam esse oporteret. Primum enim illæ, quæ vocantur cifræ Arabicæ, qualis est 13, non ante Seculum XII a Latinis usurpatæ sunt: deinde non ad S. Petri, sed ad S. Clementis Papæ Basilicam gestatum est corpus hujus FLAVII CLEMENTIS, cui apposita est hæc inscriptio.

Cum ergo omnia hæc interpretamenta procul a scopo aberrent, ex ipso ductu formaque literarum autem satis appareat, hanc lineam tertiam tempore longe inferiore scriptam esse, quam duæ priores, nobis maxime arridet conjectura Venerandi cujusdam Præsulis nostræ Religionis, quam nobiscum perhumaniter communicare dignatus est: nempe non *Leonem I* sed *Leonem III* hic nominari, qui circa finem Seculi VIII Pontificatum adeptus, usque ad annum Christi 816 regnavit, magnus reliquiarum cultor, magnus Basilicæ S. Clementis fautor; cujus utriusque rei testimonia clarissima reperimus apud Baronium, illius quidem ad

A. 799 num. 10, hujns vero ad A. 796 num. 28, item ad A. 816 num. 61. Igitur sic fortasse rectius hæc legerentur: *LEO IDibus OCTobris XrISi Martyris reliqVIAS Pofuit Eccleſie Gremio.*

Partem adverſam, quam repræſentant Fig. 4, 5, 6, ſic legendam Autor noſter non dubitat: *XPICTOC IHCOUC*, ſi-  
TAB. III.  
Fig. 4, 5, 6.  
*ve Chriſtus Jeſus Dominus, vel Deus Optimus vel etiam Dominatur*, qua occasione de monogrammate Chriſti, jam ante Chriſti tempora in nummis Ptolemæorum conſpicuo, ſed poſtea a Grammaticis Græcis præcipue in libris & monumentis pro nomine Chriſti adhibito, aliisque a pag. 11 uſque ad pag. 21 ſatis curioſe agit.

In §. 2 Autor, quo tempore poſita fuerit hæc inſcriptio, diſquirit, conjecturasque trahit cum ab iis, quæ plumbea illa capſula concluderentur, Crucibus & Agnis cereis, tum a ductu ac forma literarum, quibus exarata eſt inſcriptio; ex quibus omnibus concludit, non ante ſeculum VI aut VII, ſed nec multo poſt ſeculum ſeptimum, ipſam eſſe poſitam & exaratam, id quod fere coincidit cum tempore Leonis III Papæ.

In §. denique 3 quis ſit Flavius ille Clemens, cujus memoriz dicata eſt hæc inſcriptio, demonſtratur: ſcilicet non *Clemens ille Romanus*, quem inter ſummos Pontifices vulgo numerant, ſed *T. FLAVIUS CLEMENS*, cujus mortis & martyrii non Chriſtiani tantum ſcriptores, ſed *Suctonius* etiam in *Domit. cap. 15* & *Dio Caſſius Hiſt. Rom. lib. 67 pag. 766 A* memoriam reliquerunt. De hujus Clementis genere, Conſulatu & morte pro Chriſto tolerata a pag. 39 uſque ad finem egregie Autor noſter diſſerit, qui de cætero integrum hoc argumentum, non minore elegantia, quam modèſtia & eruditione, pertractat, hancque diſſertationem in ſplendidiffima charta, characteribus ornatiffimis excudi curavit; majoris etiam decoris gratia, in fine adjecit nitidiffimam nummi in hanc rem fabricati figuram, cujus altera pars faciem Papæ regnantis & verba: *BENEDICTI US XIII PONT. MAX.* parte adverſa autem hanc inſcriptionem refert:

CORPORE  
 SANCTI FLAVI

Mm 2

CLE.

ACTA ERUDITORUM  
 CLEMENTIS  
 EXCONSULIS  
 ET MARTYRIS  
 TRANSLATO.

---

M. DCCXXVII.

**PETRI ANTONII MICHELOTTI**, TRIDENTINI, *Apologia, in qua summum Geometram, JO. BERNOULLIUM, motricis fibræ in muscutorum motu inflatæ curvaturam rectissime supputasse, defenditur, & RICH. MEAD, Georgii II Magnæ Britannicæ Regis Archiatri, objectionibus respondetur, &c. ad Virum Celeb. FAC. HERMANNUM. Accedit rari ex utero morbi historia, &c.*

Venetis, apud Jo. Gabr. Hertz &c. 1727, 4.

Plag 6 & Tab. æn. 1.

Commemoravimus in Actis nostris, Mens. Aug. 1724 p. 349, calculum Bernoullianum, in definienda figura, quam induere debent vesiculæ five cellulæ fibrarum motricium, propterea non satis accuratum videri Cl. *Richardo Mead*, quod considerasse has cellulas Bernoullium existimaverit ut figuras planas, non vero ut solida, per revolutionem figurarum planarum circa axem generata. Contra hanc objectionem Celeb. Bernoullium atque ejus hypothesein & calculum in præfenti scripto erudite & satis copiose defendit Vir Cl. Petr. Ant. Michelotti. Sed & se ipsum defendentem introducit Bernoullium, dum partem epistolæ, a Viro Celeb. ad se perscriptæ, exhibet, quam hoc loco inferere non alienum arbitramur. Ita igitur Bernoullius:

*Si meam, inquit, Cl. Mead de muscularium cellularum formatione opinionem affecurus esset, de quo ad me scribis, & de quo in Actis quoque Eruditorum Aug. Mense 1724 Lipsiæ publicatis refertur, nequaquam objecisset. Ecce enim, quemadmodum ejusmodi cellulas efformari concipio. Pono ego quoque, ut ille, (fig. 7) muscularem fibram fabricatam esse ad instar cavi alicujus cylindri*

TAB. III.  
 Fig. 7.

*tri ABCD, transversariorum ligamentorum ope, in partes, sive exiguas cellulas, ABFE, FE GH, GHDC, distincti, ita ut post factam inflationem ejusmodi figura oriatur, qualis est (fig. 8) IKLMNOPQ. Verum enim vero ejusmodi excavata columelle ABCD superficiem ex minoribus fibris inter se ita aptatis, colligatisque, ut densas membranas, cujusmodi sunt illa quae intestinorum caveas comprehendunt, contexant, intertextam esse, cum Cl. Mead minime comminiscor. Namque motrix fibra juxta meam idcam speciem habet cylindri ABCD, ex villis secundum ejus longitudinem circa oppositas bases parallelo situ ita dispositis, ut superficiem creent non continuatam, sed per exiguis interstitiis, parvisque foraminibus ad lumen ab ipsius cylindri cava patentibus interruptam: ejusmodi vero cylinder, sive columella ABCD, in cellulas, sive parvas caveas, ABFE, FE GH, GHDC, per transversaria filamenta dividitur; atque ideo in figuram IKLMNOPQ, cujus quilibet cavea caelestem armillarem (ut Astronomi loquuntur) sphaeram, ad polos obtruncatam, ingentem meridianorum circularum, gradu vel paulo amplius inter se distantium, numerum obtinentem representat, inflatione transformabitur. Ex hac autem sententia mea explanatione, ut quemlibet villum, non secus ac si in plano existeret, inflecti, sic villos IL, KM, LN &c. cavearum nimirum, ad fibram, musculorum motum praestantem, attinentium latera, in circulares arcus, quemadmodum in mea de Motu Musculorum Dissertatione praemonstravi, curvari revera debere, praclare intelligitur. Dispiciamus nunc, ipsene Cl. Mead commemoratarum cellularum laterum curvaturam, in hypothese, qua superficiem cavi cylindri ABCD, continuam membranam, flexilem tubum constituentem, esse ponit, magno rerum geometricarum apparatu definire tentans, allucinetur. Putat, latera AF, EG, GC, in non inflato cylindro, sive in flaccescentibus cellulis, de quibus est sermo, equalis omnino cum lateribus IL, LN, NP earundem jam distandarum cellularum esse longitudinis: id vero manifeste falsum est; quippe non latus, sed magnitudo, seu extensio totius membranæ cellulam effingentis, quum hæc inflatur, remanet eadem. Quamobrem Problematis, quod sexta sua propositione sol-*

TAB. III,  
Fig. 8.



vendum sibi proponit, resolutio veram ipsius cellulae lateris curvaturam, posito etiam, (quod ipse facit) saepe memoratam membranam continuam existere, nequaquam determinat. Ad id praestandum Problema ita mutare oportet: Ad datum axem AB (vid. Act. 1724 p. 350) per duo data puncta C, D, curvam lineam describere, cujus ea sit proprietas, ut demissis ex C, D, ad axem perpendiculis CA, DB, spatium ACDB, inter axem, curvam, & duo ista perpendiculara comprehensum, majus generet solidum, facta circa axem revolutione, quam si alia quavis curva eandem sui revolutione superficiem generans, & per eadem data puncta C, D, transiens, fuisset designata: pro illis, inquam, verbis, a Cl. Mead adhibitis: ejusdem cum curva describenda longitudinis; haec substituenda sunt: eandem sui revolutione superficiem generans; quod problematis naturam ex toto immutat. Ceterum utriusque problematis solutio per novam meam Isoperimetricorum methodum, cum in Comment. Reg. Acad. Sc. Paris. tum in Lipsensibus Actis A. 1714 promulgatam, facile obtinetur. Haec Bernoullius. Post quae non modo duo problemata commemorata solvit doctissimus Michelotti, atque in defensione & explicatione hypotheseos Bernoullianae pergit, sed & alia quam multa adjicit, ad celebriorum de ratione motus musculorum hypotheseon criticen, & philosophandi methodum in re medica attinentia.

Historia morbi ex utero, quae sub finem hujus libelli adjecta est, casum comprehendit haud sane vulgarem, de virgine Judaea, 22 annos nata, quae propter suppressam ex tristibus animi affectionibus purgationem menstruam, praeter alia symptomata, miram instinet, ad tertium jam annum, in ediam, corpore & abdomine haudquaquam attenuato, nec colore faciei naturali perditio, excretionibus vero naturalibus maximam partem impeditis.

DISSERTATIONS ON A DROPSY, A TYMPANY, the Jaundice, the Stone, and a Diabetes.

h. e.

RICHARDI BLACKMORE, M. D. ET Collegii Medici Londinensis Collegae, Dissertationes de Hydrope, Tympanitide, Ictero, Calculo & Diabete.

Lon.

Plag. 15  $\frac{1}{2}$ .

**P**Ræmissa proluxa de ortu & Sectis Medicinæ Præfatione, quinque morbos clarissimus Autor explanaturus, id agit, ut uniuscujusque definitionem suppeditet, symptomata recenscat & explicet, species nominet, causas alleget, prognosin addat, methodum medendi describat, simulque observationes & cautelas adjiciat. De singulis pauca commemorabimus. *Hydropsis*, quem in feroforum humorum vel in poris partium hærentium, vel in cavitate quadam collectorum redundantia consistere dicit, causas generales vel in sanguinis constitutione serosa, eum relaxatione & flacciditate fibrarum in vasis sanguineis combinata, vel in disruptione lymphaticorum, vel in distensione & obstructione nimia glandularum quærit, quarum illa ad anasarcam potissimum & hydrocephalum, ista ad ascitem, hydropem pectoris, &c. hæc ad hydropem ovarii ansam præbeat. Hinc indicationes sequentes format: 1) superflui humores sunt evacuandi, 2) orificia relaxata glandularum & vasa lymphatica rupta sunt constringenda & consolidanda. Quæ superfluos humores in massa sanguinea fluctuantes evacuant, sunt purgantia & diuretica. Negat equidem, ulli remedio virtutem evacuandi, aut activam & expulsivam aliquam efficaciam competere, cum omnis energia in naturam cadat, quæ sicut sponte sua heterogeneas particulas in diarrhœa ex sanguine motu critico eliminare solet, ita mediantibus activis crucioris particulis & spiritibus animalibus noxias purgantibus medicamento molleculas una cum superflua lymphâ per loca convenientia, id est, per glandulas intestinorum ejicere satagit. Qua ratione vero eadem purgantia aquas in abdominis cavitate congregatas educere possint, ita demonstrat: Supponit, poros & oscula glandularum in ascite nimis ampliari & aperiri, membranosas vero & musculosas corporis partes ultra naturalem dimensionem extensas ab aquis extravasatis majorem acquirere vim elasticam & rententiam, hasque ab activarum sanguinis particularum & spirituum animalium actione a purgantibus particulis incitatorum roboratas repellere aquas ad patula glandularum orificia & massam sanguineam, ex qua ope circulationis per glandulas intestinorum ejici-

ejiciuntur. Quemadmodum autem lenia purgantia pro hoc scopo parum præstant, ita ex drasticeis elaterium potillimum commendat. Quodsi vero nec drasticea desideratum exhibeant effectum, diutius eis insistere prohibet, quoniam tum particularum sanguinis vis est fracta, vel compages serosarum particularum multo tenacior existit, quam ut in glandulis commode fecerni valeant; hinc ad diuretica potius & roborantia refugium capiendum esse monet. Interim præcaveri posse, ne nova colluvies viscera contaminet, dicit, si mixtura sanguinis conservetur, atque pori & ductus glandularum roborentur; id quod a chalybeatis cum adstringentibus miscendis expectandum. Paracenthese ubi opus est, non errare eos existimat, qui simul & semel omnes aquas ex abdomine evacuant. In *Tympanitide* flatus non pro causa sed pro effectu morbi habet, utpote qui tam duram expansionem præstare nullo modo, facilius autem per paracenthesein expelli possunt, cum tamen hic tumor multum negotii facessat Medicis. Existimat potius, intumescentiam abdominis a præternaturali distensione fibrarum musculosarum & membranosarum partium oriri, anasque concedere flatibus & aqueis particulis in vapores resolutis in spatium illud quasi vacuum irruendi. Supponit enim, spiritus animales in hoc morbo, haud secus ac in hystericeis & hypochondriacis affectibus, a temperamento inordinato & constitutione quadam præternaturali incitatos irruere magno cum impetu in musculos & membranas, harumque fibras usque adeo extendere, ut in hoc statu spasmodico seu tetanico amissa vi elastica resilire nesciant. Hinc quoniam constat, causas morborum a depravata systematis nervosi & spirituum animalium constitutione ortas difficillime removeri, non mirum putat, tympanitidem adeo facile curari haud posse. Omnia enim remedia calida, aromatica, carminativa, plus nocere quam juvare. Operam potius dandam esse suadet, ut motus irregulares compescantur, & spirituum animalium activitas refrænnetur; pro quo scopo leniora tum purgantia tum martialia laudat. *Icteri* causam quærit vel in obstructione tubulorum & acinorum hepatis, vel in bilis quantitate aucta aut qualitate depravata; inter causas antecedentes accusat terrorem subitaneum, vel alios affectus enormiores, paralyti-

eam fibrarum flacciditatem, metastasin materiæ morbificæ, cruditates primarum viarum, scirrhum hepatis, calculos folliculi fellei, mensium suppressionem, febres intermittentes, colicam, & morsus animalium venenatorum. Præter ea, quæ speciales causas corrigunt, ventriculi virtutem digestoriam confortandam, sanguinem roborandum, & bilis particulas depravatas & præcipitatas evacuandas esse præcipit, hinc emetica, purgantia leniora, martialia & marina utramque facere paginam perhibet. *Calculi* causam remotam & antecedentem ponit in facultate digestiva ventriculi, sanguinis & spirituum destructa, ob quam impuritates & seculentæ portiones relictæ coagulationes & concretiones producunt, quæ in arctiori combinatione copiosioris salis volatilis, & paucioris acidi consistunt. Quoad Therapiam curatoriam fabulum evacuandum, & præcavendum est, ne novum generetur; prius peragitur per purgantia, & aquas minerales, quibus interponenda sunt diuretica; postèrius per talia, quæ separant viscidas fabulosas a reliquis particulis sanguinis, qualia sunt chalybeata. Therapia præservatoria lenioribus purgantibus, ut senna, rhabarbaro, elixir salutis, &c. semel per mentem assumtis, vel aquis mineralibus purgantibus, diureticis & alterantibus absolvitur. Inter diuretica prævalent millepedes; alterantia sint, quæ acidas & acres humorum particulas temperant, ut corallia, chelæ & lapides cancrorum, testæ ostrearum, &c. nec negligenda bona dicta ratione motus, aeris temperati, & victus. Lithontripticorum efficacia nulla est. Si calculus vesicæ ad tantam accreverit magnitudinem, ut per urethram ejici haud valeat, ad lithotomiam deveniendum, quæ optime per incisionem in regione pubis peragitur. *Diabetes* causa immediata est relaxatio seu ampliatio præternaturalis tubulorum & glandularum renalium, ob quam major copia seri ex massa sanguinea secernitur: aut colliquatio & fusio sanguinis: aquosæ enim portiones in cellulis & poris partium stagnantes acidam & acrem contrahunt qualitatem, serum præcipitantem; inter causas antecedentes immoderata ingurgitatio potulentorum spirituosorum, & systema nervosum per subitanos animi affectus alteratum accusatur. Remedio sunt, quæ connexionem particularum sanguinearum firmam conservant, & to-

num fibrarum renalium confortant. Utrumque præstant, quæ in-  
 crassant sanguinem & crasin ejus firmant, ut glutinosa & mucila-  
 ginosa, gummi Arabicum, tragacanta, olibanum, & mastiche,  
 item quæ acidum & austerum invertunt, ut corallia, margarita,  
 cinamomum; quæ fixis vel volatilibus & alcalicis salibus sunt re-  
 ferta, ut & opiata. Nec contemnenda sunt in principio vomito-  
 ria, quia revellunt & listunt exorbitans profluvium urinæ, item  
 purgantia, ut rhabbarum; omnium vero optime aquæ minera-  
 les tam calcarix quam martiales conducunt.

**SALOMONIS VAN TIL, S. THEOL. DOCT.**  
*Et Prof. in Acad. Lugd. Bat. Commentarius in quatuor  
 Pauli Epistolas &c.*

Amstelædami, apud Gerardum onder de Linden, 1726, 4.

Alph. 2 pl. 21.

**C**UM Vir clarissimus *Daniel Bedæcrus* opus analyticum *Cel.  
 Tillii*, in Acta nostra A. 1721 p. 58 relatam, in lucem publicam  
 prodire juberet, in præfatione illius operis monuit, latere quidem  
 adhuc in scriniis lucubrationes *Tillii* ineditas, in epistolas non-  
 nullas Pauli, ante exactum Academix cursum conscriptas, Auto-  
 remque in animum induxisse suum, easdem, si strictiori prius ex-  
 amini subjicere licuisset, in lingua Belgica cum aliis communica-  
 re; has ipsas vero, si ita, prouti ab Autore relictæ sunt, in publicum  
 mitterentur, literatis minus forsitan profuturas. Alii autem in  
 Belgio postea jactarunt, uberiores se commentarios Tillianos ad  
 illas Pauli epistolas procurare potuisse: nonnulli etiam Editorem  
 clarissimum incusarunt, optimos eum privatis studiis reservare  
 labores, & fragmenta tantum in lucem protrahere. Ut itaque no-  
 vo quodam specimine probaret Editor, nihil sibi antiquius esse,  
 quam omnia *Tillii* inedita scripta, quæ aliquo modo sine ejus fa-  
 mæ laceratione in lucem emitti possunt, orbi literato offerre; non  
 solum *Commentarios* ejus in quatuor Pauli Epistolas, nempe *prio-  
 rem ad Corinthios, Epistolam ad Ephesios, Philippenses & Colossen-  
 ses*, sed etiam varias *dissertationes* in apertum protulit, quæ a ne-  
 mine unquam descriptæ, sed manu Autoris exaratæ, ad ipsum per-  
 venerunt.

Com.

Commentariis hisce *Tilii* præmissa est ejus dissertatio de primi seculi adversariis, sincerioris evangelii hostibus, contra quorum studium confirmandi erant genuini Apostolorum discipuli. Et hæc quidem non omni ex parte est consummata, sed primas tantum perfecti operis, quod ad Epistolas Apostolorum rectius intelligendas plurimum lucis allaturum fuisset, exhibet lineas: digna tamen est, quæ omni perlustretur studio, cum statum ecclesiæ, qualis in primo fuit seculo, quinque capitibus haud leviter depingat. Hostes enim purioris doctrinæ evangelicæ ab Apostolis prædicatæ Autor in capite primo generatim enarrat, & in quatuor dividit classes. Ad primam referuntur *Judæi*, nunquam non Christo ejusque Apostolis, & Christiano nomini infensi, *1 Thess. II, 14-16*: ad alteram *gentiles*, qui vel instinctu Judæorum Christianos persequerentur, vel maximam partem odio & contemptu Christianos persequerentur, sectam aliquam Judæorum nos esse opinantes: ad tertiam vero & quartam referuntur adversarii ex ipso ecclesiæ gremio suborti, quorum alii dicuntur Christiani *Judaizantes*, vel Pseudo-Christiani ex Judæis, qui ex studio placendi Judæis, vocatos ex gentibus circumcissionem ritusque Judæicos suscipere contendebant; alii vero appellantur Christiani *paganizantes*, vel externe credentes ex gentibus, qui non Judæis solum, sed & gentibus gratificandum esse rati, nec a scortationibus abstinebant, nec ab idolothytis, nec a suffocatis. Hosce adversarios ecclesiæ Autor in quatuor sequentibus capitibus speciatim persequitur, & luctam Apostolorum cum Judæis *cap. II*, cum gentibus *cap. III*, cum semijudaizantibus *cap. IV* & cum gnosticis seu Nicolaitis *cap. V* exponit. Per hos intelligit homines philosophiæ Platoniciæ, eique traditivæ addictos, jactantesque, se cum istius Philosophiæ principiis religionem Christianam non solum posse conciliare, sed etiam ex ea illustrare, & per eam confirmare, modo ea pertractetur methodo, ut a communibus dogmatibus more philosophico pergatur ad singularia. Atque in hac dissertatione conciones Apostolicæ Judæis & gentibus oppositæ paucis illustrantur, concionis Paulinæ, *Act. XIII, 16-41*, analysi exhibetur, & inter alia observatur, orthodoxos Paulum senten-

## ACTA ERUDITORUM

tuarum, quas recte tuebantur, habuisse magistrum; Judaizantes Petrum allegasse patronum, & Gnosticos Apollinem.

Ad Commentarios ipsos quod attinet, proluxa singulis præmittitur Isagoge, in qua post topographicam civitatum & regionis descriptionem, & status politicus, & gentium idololatria, & Christianorum status ecclesiasticus; tumque epistolæ Paulinæ occasio, scopus, argumentum & circumstantiæ commonstrantur. In primis Isagoge ad Epistolam Pauli ad Ephesios pag. 113–185 attentius perlustrari meretur. Hæc enim in tres partes divisa, primum in septem capitibus statum Ephesi politicum, urbis situm, eminentiam & prærogativas, historiam, quæ per modum annalium in compendio proponitur, formamque regiminis, anni Asiatici rationem, Judæorum inter Ephesios degentium conditionem, & denique Ephesiorum virtutes & vitia delineat. Deinde Ionum, & in specie Ephesiorum idololatriam, Dianam, ejusque statuam, templum, cultum, sacrorum ministros & sacra tempora VII capp. proluxè & erudite describit. Et tandem statum Christianissimi inter Ephesios X capp. paucis persequitur. In ipsis Commentariis præmittitur analysi, quæ ab ea, quam opus analyticum exhibet, plurimum differt, & non solum in plerisque capitibus brevior, in quibusdam vero proluxior est, sed etiam textum sacrum longe aliter dispertit. Tum sequuntur scholia, ex Beza, Coccejo, Knatchbullo aliisque collecta, in quibus quamplurimæ occurrunt observationes, textum Apostolicum egregie illustrantes; haud raro autem selectum judiciumque desideres. Versio quoque Belgica in scholiis illis sæpius notatur & emendatur; (conf. p. 61, 76, 102 &c.) & p. 109 citantur scholia ad Acta Apostolorum, quæ nondum edita sunt. Tandem subjungitur *ἑπίδηξις*, sive uberior demonstratio thesæos Apostolicæ per argumenta ab ipso Apostolo allata.

Commentariis additæ sunt eclogæ, & dissertationes quinque chronologicæ. In eclogis chronologicis p. 387–428 per XXVII articulos exponitur universa Chronologia a condito orbe usque ad annum, mensæ, atque diem nati Christi, & lites chronologicæ optima ratione componuntur. Ex. gr. qui in annis antediluvianis cum Vossio interpretationem Græcam τῶν LXX Hebræo Codi-

MENSIS JUNII A. MDCCXXVIII. 285

Codici præferunt, refutantur artic. II. In annis Judicium computandis Chronologos fere omnes errare, quod contemporanea subordinaverint, monetur art. VII; & art. VIII locus dubius, *Act. XIII, 20*, illustratur, calculo annorum 450 ab anno quadragesimo Mosis ad 13 annos Samuelis perducto. Assyriorum Reges enarrantur art. XI–XV, & duplex occupatio Babylonæ, altera a Xenophonte, altera ab Herodoto descripta, asseritur art. XVI. Ahasverum, Estheræ maritum, Græcis dici Cyaxaran & Darii Medii filium Cyrique focerum fuisse, probatur art. XVIII. Ex quibus de reliquis facile ferri potest judicium. In dissertationibus Theologico-Chronologicis ultimum vitæ Christi annum, mensē atque diem definiturus Autor, primam dissertationem Petavio, Dodwello aliisque opposuit, qui Judæos tempore Christi in neomeniis definiendis, non  $\Phi\acute{\alpha}\nu\lambda$  Lunæ, sed vitiosum aliquem cyclum secutos, a vera lunatione biduum aut triduum aberrasse contendunt. Tum veluti rem extra controversiam positam assumens, Jesum Christum sub Tiberio Imperatore, Pontio Pilato procuratore, & Capha pontifice, ministerium suum in his terris incepisse & absolvisse, in altera dissertatione de annis ministerii Christi disputat, & ultimum vitæ Christi annum non cum anno æræ vulgaris XXIX componendum esse, contra Emanuelem a Schelstrate in tertia; nec cum anno æræ vulgaris XXX, contra Philippum Landsbergium in quarta; sed annum Æ. V. XXXIII solum requisitis conditionibus facere satis, in quinta dissertatione demonstrat.

**VITA ET RES GESTÆ DIVI GEORGII I,**  
*Magnæ Britannicæ, Franciæ & Hiberniæ Regis, heroico*  
*carmine descriptæ ab ESAIA PUFENDORFIO, Sa-*  
*cræ sue Reg. Maj. in Ducatu Cellensi Consiliario Aulæ*  
*& Cancellariæ.*

Cellis, typis Christ. Jul. Hofmanni, 1727, fol.

Pl. 9½.

**O**rdior Herois permagni gesta GEORGI,  
 Gesta, quibus belli pacisque is tempore fulsit,  
 Gesta, quibus cælo se gloria sustulit ejus.

Nn 3

En



**E**N initium carminis heroici, memoriz Georgii I, Regis nostræ ætatis & sapientissimi & felicissimi, consecrati. Divisit Illustris Autor id in quatuor Sectiones sive Libros, quorum primo majores Regis describit ordine; altero, quæ domi forisque gessit usque ad A. 1714, quo factus est Rex Britannorum; tertio gesta ejus regia exhibet universa; quarto denique de morte ejus disserit deque successione Filii. Singulis paginis subjecit annotationes, loca indicantes eorum autorum, qui de quaque materia egerunt pluribus: ut adeo compendiosam hic habeamus, sed eandem satis perfectam Georgii I historiam. Concludimus iisdem verbis, quibus Autor opus suum finiit:

*Sis felix, faustus, sospes, GEORGE SECUNDE,  
Sceptra tuumque thronum confirmet numine blando  
Jova suo, & multos jubeat superare per annos  
Communes extra casus sortemque caducam,  
Perpes uti vigeat mens fortis corpore forti,  
Dum seris olim frontem veneranda senectus  
Inducat rugis & spargat tempora canis.  
Aurea pax vireat, nostrisque perennet in oris,  
Civibus ut liceat ditis placida otia pacis  
Cum pietate gravi latis traducere rebus,  
Publica resque habeat salve atque Ecclesia pura!  
Floreat & vivat conjux, Regina benigna!  
Vivat Fridricus Ludovicus, Patris imago!  
Floreat Augustus Guilielmus tempore longo!  
Quinarum crescat Charitum chorus ille fororum,  
Allera perpetuos ut possit pandere plausus!*

**M. ANTONII MURETI OPERA; TOMUS I,  
Orationes continens.**

Veronæ, apud Jo. Alb. Turnermannum, 1727, 8.

Alph. I pl. 10.

**P**Rimo hoc Tomo, quem ceteri Tomi singuli post singulos sex menses excipient, (tres autem jam prodire) Orationes viri summa eloquentiæ laude conspicui exhibentur, & quidem

eodem ordine, quo in editione præclara nostri Thomasi. Omissa tamen est laboriosa & pererudita ejus Præfatio, pro qua exhibentur duæ Dissertationes, altera Vitam Mureti complexa, altera de ejus Operibus eorumque editionibus exponens. Et Vita quidem hic promittitur, *si res spectes, copiosius certiusque, si sty- lum, castigatius descripta*, quam descriperant antea alii. Multi certe hic notantur errores, qui in historiam Mureti irreperant. Negatur quippe, Scaligero magistro usum fuisse Muretum: negatur, eum in Academia Parisina Professore fuisse, & aliquando auditores habuisse Henricum Regem & Catharinam conjugem: negatur, eum Tolosæ creatum fuisse Doctorem Juris: negatur, Mureto Tolosa discedendum fuisse ob commissum crimen longe turpissimum: negatur denique, eum postremis vitæ annis nomen dedisse Societati Jesu. In altera Dissertatione Editor sentit, Muretum meliorem fuisse Oratorem, quam Poetam, fuisse item eximium Criticum, præclarum Jurisconsultum, linguarum Græcæ & Historiarum peritissimum. Hinc recensitis ejus Orationum editionibus, (nam ceterorum Mureti librorum editiones prætereuntur silentio,) doctissimus Editor commemorat, se initio sequi constituisse editionem Thomasianam: at venisse suas in manus editionem Aldinam A. 1575, per multis locis manu ipsius Mureti correctam, auctamque versione libri quinti Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum. Se igitur servasse quidem Thomasianæ editionis ordinem, præmissis etiam epicediis atque elogiis Mureti, additaque tota Oratione funebri Francisci Bencii, e qua tantummodo excerpta dederat Thomasius; sed secutum esse Orthographiam Aldinam, & adjuxisse laudatam modo versionem libri Aristotelici, una cum ipsius Mureti correctionibus: illas vero correctiones, quas Orationibus suis alleverat Muretus, & quæ universæ vix unam implent paginam, prælaninari suæ Dissertationi conjuncte inseruisse.

TRAITE DE L'ALGEBRE &c.

hoc est,

TRACTATUS DE ALGEBRA; AUTORE  
CROSA, Membro Academia Regiæ Scientiarum.

Parisii, apud Franciscum Montalantium, 1726, 8.

Alph. 1. pl. 9 Tab. 22. 2.

Lo

**I**N hoc tractatu Cl. Autor stylo amplo & diffuso Algorithmum speciosum communem & extractionem radicum ex æquationibus quadraticis, cubicis & biquadraticis explicat, cum sic tyronibus se consulere confidat, qui præcisa dictione mimine juventur. Postquam igitur de notatione quantitatum disseruit, additionem, subtractionem, multiplicationem & divisionem litteralem una cum formatione potentiarum docet. Difficultates enodaturus, cur potentiz litterales & numerorum ultra tres dimensiones ascendat, id, quod in questione est, respondet, scilicet quantitatem in genere & numeros sine fine multiplicando ad dignitates superiores evehi posse. Docuit vero jam olim *Stifelius*, cum Algebra nasceretur apud Europæos, quomodo potentia quævis solido quodam exprimi possit, & ex comparatione progressionum arithmeticarum & geometricarum numerorum coscicorum seu algebraicorum, qui potentiis illis respondent, naturam deduxit. Immo notum est, quod potentiis quoque plana, nec non lineæ, perinde ac solida sua respondeant. Tractat deinde de progressionem arithmetica & geometrica & inde ad algorithmum litteralem fractionum progreditur, quem non differre a communi in Arithmetica tradi solito constat, cum numeri indeterminati, quos litteræ exprimunt, tractentur tanquam determinati. Quemadmodum vero exponentium dignitatum indeterminatorum nullam mentionem facit; ita quoque reductionem quantitatum irrationalium ad formam rationalium negligit, a Viro etiam post fata summo *Isaaco Newtono* maximo emolumento in Analyfin introductam. Quamobrem necessarium fuit, ut algorithmum irrationalium more antiquo traderet. Æquationes quadraticas affectas solvit, reductione ad integras facta addendo quadratum dimidiz quantitatis cognitz secundi termini: quæ via omnium planissima est. Extractioni radice cubicæ inservit regula sic dicta *Cardani*, quæ terminum secundum deficere supponit in casu quolibet, ubi ad fuerit, facile tollendum. Quoniam extractio radicum ultra quartum gradum nondum reperta; igitur Noster in extractione radicum ex æquationibus biquadraticis definit: regulas enim extrahendi radices per approximationem, quales complures prostant, insuper habet. Colophonis tandem loco de analysi in qua usus algorithmi speciosi & calculi algebraici, qui radicum extractionibus potissimum absolvitur, pauca nonnulla tradit: solis enim præceptis contentus ab exemplis abstinet. Talia desiderantibus commenda. *De Algebra & Presertim elementa Matheseos, nec non Guinai Algebrae & Geometriæ applicatæ & Hospitalii Tractatum* & de fractionibus Conicis.

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Julii Anno MDCCXXVIII.*

ABREGÉ' DES MATHEMATIQUES &c.

hoc est,

COMPENDIUM MATHESEOS IN USUM  
*Majestatis Imperialis universæ Russiæ adornatum ; To-  
mus I, continens Arithmeticam, Geometriam &  
Trigonometriam.*

Petropoli, typis Academiæ Imperialis Scientiarum.

1728. 8. chart. aug.

Plag. 8½, Tabb. æn. 8.

*Tomus II, continens Astronomiam & Geographiam.*

Ibidem A. eodem, 8, chart. aug.

Plag. 6.

**L**iber rarissimus, cujus nonnisi viginti quinque, ut accepimus, exemplaria nitide impressa sunt, sive chartæ augustam speciem, sive typorum & figurarum æri incisarum elegantiam spectes, dono Amplissimi *Schumacheri*, Bibliothecarii Imperialis, ad nos pervenit. Tomi primi Autor est celeberrimus *Hermannus*, qui propediem Tractatum brevem de Architectura militari & civili eidem adjunget: Tomum secundum condidit *Astronomus præclarus de l'Isle*. Per quæstiones & responsiones prima istarum scientiarum rudimenta perspicue explicantur.

*Hermannus* in Arithmetica algorithmum in integris & fractis cum extractione radicis quadratæ tradit, omissa extractione radicis cubicæ, propterea quod operatio difficilior paucis verbis explicari nequeat, & regulæ trium directæ brevem quandam mentionem injicit. Geometriam in *Longimetriam, Planimetriam &*

*Stereometriam* dividit. In *Longimetria* lineæ in genere, tum re-  
ctæ, curvæ & circularis in specie, nec non linearum perpendicula-  
rium & parallelarum atque angulorum definitiones affert, mo-  
dumque angulos & lineas cum in charta, tum in campo metiendi  
exponit. Nec hic silentio præterit lineam horizontalem cum arte  
libellandi. In *Planimetria* definitionibus figuræ in genere & fi-  
gurarum rectilinearum in specie exhibitis, figuras rectilineas de-  
scribere docet. Definit deinde circulum eumque per data tria  
puncta describendi modum exponit. Tandem modum determi-  
nandi areas figurarum rectilinearum subnectit. In *Stereometria*  
absolutis definitionibus cubi, prismatis, parallelepipedi, cylindri,  
pyramidis, sphaeræ, solidorumque regularium capacitatem eo-  
rum ad mensuram revocat. In *Trigonometria* explicatis termi-  
nis solutionem triangulorum & rectangulorum more communi  
expedit.

*Insulanus* aut, si mavis, *de l'Isle* describit primo in genere  
stellarum genera, fixas nempe, planetas & cometas, notionem mo-  
tus communis & ejus ope globi artificialis repræsentationem, nec  
non elevationem poli, quam Petropoli 53 graduum 57 minutorum  
deprehenderunt. Differit deinde in specie de Sole, Luna & ecli-  
psibus, quinque planetis primariis eorumque secundariis, come-  
tis & systematibus mundi. Physica prætermittit & nonnisi astro-  
nomica recenset. De Sole dum agit, rationem reddit, cur dies  
æstate longiores quam hieme, cur non eadem hora eodem die Sol  
ubivis terrarum oriatur & occidat, cur dies longissimi, qui Petro-  
poli est 18  $\frac{1}{2}$  horarum, atque brevissimi, qui ibidem 5  $\frac{1}{2}$  horarum,  
non ubivis terrarum eadem, atque docet, quomodo in mappis  
geographicis elevatio poli notetur & quinam in iisdem atque glo-  
bis terrestribus sit Meridianorum usus. Similiter dum de Luna  
specialia tradit atque eclipsibus, differentiam inter motum Solis &  
Lunæ exponit & rationem reddit, cur non in omni novilunio vi-  
deatur eclipsis Solis, nec in omni plenilunio eclipsis Lunæ, cur  
eclipseos Solaris quantitas non eadem ubivis locorum, nec utra-  
que eclipsis eodem tempore ubivis accidat. Indicat denique usum  
eclipseos. De ceteris planetis paucissima in medium affert, con-  
tentus indicasse periodi, qua circa Solem revolvantur, quantita-

tem & numerum Satellitum Jovis atque Saturni, una cum usu eclipsium circumjovialium in Geographia & navigatione. Cometarum phænomena præcipua succincte recenset & differentiam systematum *Ptolemæi* & *Copernici* palmariam monstrat, monens, observationes astronomicas non sufficere quæstioni huic decidendæ, utrum terra quiescat & Sol moveatur, an vero Sol quiescat & terra moveatur, & mox phænomena cœlestia per systema *Copernicanorum* distinctius explicans. In Geographia regiones Europæ, Asiæ, Africæ & Americæ enumerat, & cuinam Principi vel Monarchæ pareant, indicat.

Monet *Hermannus* in præfatiuncula, a Collegis suis expectanda esse similia compendia *Historiæ veteris ac modernæ, Politicæ, Heraldicæ & Genealogicæ.*

PIECES, QUI ONT REMPORTE' LES DEUX  
pris de l'Academie Royale des Sciences &c.

h. e.

DISSERTATIONES PRÆMIIS DUOBUS  
ab Academia Regia Scientiarum pro A. 1720 propositis  
condecoratæ.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1721, 4.

Pl. 13 Tabb. æn. 1.

**R**ouillé de Messay, Consiliarius in suprema curia Parisiensi Academia Regiæ Scientiarum pecuniam legavit, unde quotannis duo præmia distribuuntur iis, qui illius judicio optime disferuerint de rebus ad Systema mundi generale & Astronomiam physicam atque navigationem pertinentibus. Præmium prius est 2000; posterius 1500 librarum. Cum A. 1719 Academia Scientiarum ea fini eruditus proposuisset quæstiones, 1) *quodnam sit principium & quanam natura motus, nec non causa communicationis motuum,* & 2) *quinam sit optimus modus in mari conservandi aequalitatem motus penduli, sive ope alicujus machinæ, sive vi suspensionis suæ;* præmium prius obtinuit Cl. *Crofa*, tunc temporis Philosophiæ ac Matheseos Professor Lausanensis, posterius vero horologiopæcus quidam Batavus, cui *Maffy* est nomen, illite-

ratus equidem, sed tamen ingeniosus. Quoniam interest Reip. litterariæ, ut memoria eorum conservetur, quæ præmiis condecorata fuere ab Academia Regia Scientiarum; nos historiæ litterariæ in his Actis consulentes, ea negligere non debemus: ut ut igitur dissertationes, quæ huc usque præmium meruere, ad manus nostras tardius pervenerint; illarum tamen mentionem facere nos jubet institutum nostrum. In scenam igitur nunc producemus dissertationem primam atque secundam, de ceteris in sequentibus dicturi. Monet autem Academia Regia Scientiarum, quod *Autorum placita, quibus præmium decernit, minime sua faciat; nec inventa probet, sed earum tantummodo dissertationum, quæ sub manibus sunt, unam ceteris præferat.* Absit adeo, ut quis sibi persuadeat, iudicio illius inventa esse ab autoribus, quæ ad inveniendum proponebantur, v. gr. causam motus & causam communicationis motus nunc esse repertam. Videamus, quid de utraque videatur Cl. *Croße*.

Quoniam corpus omne ad motum & quietem indifferens, vi experientiæ, motus causam quandam extrinsecam esse debere infert, disputans contra motus æternitatem & contra hypothesein, qua aliis corporibus motus, aliis quies essentialis tribuitur. Eam igitur detecturus, in naturam corporis sibi inquirendum esse ducit. Multus est in adstruenda hypothesei *Cartesianorum*, quod substantia corporis sit extensio ipsius, cum in eam quadret definitio substantiæ, qua ens per se subsistens seu propriam sibi existentiam habens definitur, ut adeo ipsi corpus & extensio sint unum idemque. Figuram attributum extensionis esse ait, seu extensionem ipsam, quatenus terminata; motum vero attributum ejusdem extensionis, seu extensionem ipsam, quatenus locum mutat. Corpus cum se ipsum ex statu quietis in statum motus transferre nequeat, causam motus *intelligentiam* quandam esse statuit, consequenter cum *Carteseo* eam tandem in potentia & voluntate Dei, tanquam intelligentiæ supremæ ac æternæ, quærit, cum is producere possit, quicquid velit, quemadmodum anima solo nutu suo moveat membra corporis aut minimum agitet causas, quibus motus musculorum perficitur. In naturam motus inquisiturus, supponit sphaeram superficiem politam intra aliam cavam quiescentem, sed

sed voluntate Dei efficaci in gyrum actam, & inde infert proprietates motus, quas vocat, essentielles sequentes: nimirum 1) motum esse statum corporis superficiem extensioni contiguam continuo applicantis; 2) nullam dari in sphaera mota partem, quae non continuo eodem modo mutet situm respectu partium superficiei concavae; 3) aggregatum partium, ex quibus sphaera componitur, dum continuo situm mutat, spatium percurrere, atque hinc patere, quantitatem motus aestimandam esse facta ex celeritate in massam, quod alias obscuritate laborare fatetur. Motum non differre a quantitate sua probat, quod motus sit status corporis spatium percurrentis & quantitas motus continuo spatio proportionata: quantitatem vero motus esse vim corporis inde colligit, quod corpora non habeant vim nisi per motum & vis motus sit motus ipse. Communicationem motus ex mente *Cartesianorum* explicaturus, eam perinde ac motum sphaerae suae solitariae ab efficace voluntate Dei deducit, qui, ubi vult, corpus aliquod moveri, etiam velle debet, ut alterum, quod motui obstat, loco suo cedat. Sapientiae autem divinae tribuit, quod non eadem celeritate cedat, qua movetur incurrens, salva hujus celeritate, cum sic exiguo tempore motus in imensum augetur, non sine praesudicio pulchritudinis universi. Voluisse itaque Deum, ut corpus motum tantundem motus amittat, dum in alterum incurrit, quantum alterum per conflictum recipit. Enimvero haec hypothesis Nostro minus placet, quod corpora sic non sint causae verae suorum effectuum, sed tantummodo apparentes. Quamobrem probaturus percussorem esse veram causam motus communicati, independentem ab omnipotente Dei voluntate, motum ait esse statum corporis realem, aut potius corpus ipsum certo modo existens. Qui dicat, corpus locum suum perpetuo mutare, eundem hoc ipso asseverare, quod motui suo opposita loco pellat, & qui dicat corpus realiter moveri, eundem asseverare, quod motui suo opposita realiter loco pellat, eum contradictionem involvat, locum continuo mutare, nec tamen motui opposita loco pellere. Hunc esse characterem essentialem causae verae, quando contradictionem implicet, quod agat, & effectus ab actione ejus minime nascatur. Mutationem loci esse statum activum; effectum necessarium status



hujus activi esse efficere, ut corpus, quod loco pellendum, etiam locum mutet. Deum, dum motui existentiam dedit, eidem quoque indidisse vim loco pellendi corpora, & hanc vim ab ipso corpore non differre. Nudis adeo assertionibus hypothesin suam confirmat & ad qualitates occultas tanquam ad sacram quandam anchoram confugit. Systema causarum occasionalium tandem impugnans, consequentiarium agit, sumens, quod libertas eodem evertatur, & inde inferens, quod sic genus humanum in Pyrrhonismum redigatur maxime absurdum, dum se liberum esse putet, cum tamen minime sit; quod omnis moralitas, omnis virtus, omnis lex, omnis obligatio tollatur; quod Deus perinde fiat auctor mali ac ordinis; quod nomina sapientiae, sanctitatis, iustitiae, misericordiae, etiam quando de Deo usurpantur, sint voculae nihil significantes; quod universum compositum sit ex automatis, quae videntur agere, nec tamen agunt; quod notio entis supremi redigatur ad notionem entis ad automata ista movendum necessitati. Mittimus alia, in qua facundiam suam exercet Cl. Autor: suffecerit ad animum revocasse, quod iudice Nostro motus sit status corporis, isque mutabilis, atque idem tamen cum corpore; quod Deus statui huic mutabili indiderit vim, & vis statui indita sit eadem cum corpore; quod status sit activus & tanquam vera causa agat. Absit tamen, ut quis sibi persuadeat, Academiam Scientiarum placita ista probare vel sua facere, vi eorum, quae supra notata sunt.

Progredimur ad dissertationem alteram sive propositiones examini Academiae Regiae Scientiarum subjectas de modo optimo aequalitatem motus penduli in mari conservandi. Notat Autor industrius & ingeniosus, horologia oscillatoria fixa tam exacta se vidisse, quae intra annum spatium non ultra tria minuta a caelo discesserint. Jam igitur ab A. 1714 de eo cogitavit, annon machina excogitari possit, quae modum penduli in navi a ventis & fluctibus agitata ita conservet, ut horologium in mari eadem acuratione tempus indicet medium. Ea fini perpendit, quoniam sint ea, quae ad regularitatem motus penduli fixi aliquid conferant. Primo itaque loco cum occurreret pondus, quod constanter pendulum eodem modo animat, ipsum scilicet a nulla alia, nisi

vi gravitatis agitatum; ope elateris motum æque regularem obtenturus, loco unius majoris uti jubet pluribus minoribus, quæ constanter simul in idem subjectum agunt. Ut vero actio semper sit eadem, singulis diebus singulos tendi jubet elateres, veluti si octo fuerint, primo die primum, secundo secundum & octavo tandem octavum, nono autem iterum primum. Composuit Autor machinam istiusmodi, & motum a quatuor elateribus productum conferens cum motu penduli fixi, æquipollentiam utriusque ipso facto didicit. Expendit secundo loco modum, quo regularitas motus axis pinnati conservatur: quod artificium cum in horologiis portatilibus non perinde ac in oscillatoriis locum habeat, experientia fretus, commendat elaterem spiralem ab *Hugenio* in Diario Eruditorum Parisino A. 1675 d. 25 Febr. publici juris factum & insigni cum successu horologiis portatilibus hætenus applicatum. Observat nimirum, eum non minorem regularitatem admittere, quam pendulum fixum, modo horologium a perito artifice tractetur, qui de regularitate ejus non amplius spondere possit quam durante cursu suo, intra 24 vel 30 horas communiter absolvendo. Parens Nostri cum inventum *Hugenianum* legisset, experimentum instituit & concordiam penduli fixi atque elateris spiralis admiratus, horologia portatilia ejus formæ primus construxit, qualia in Anglia hodie construuntur. Porro cum constet, corpora durissima, veluti marmora & metalla, frigore condensari, calore autem dilatari, atque hinc motum horologiorum nunc accelerari nunc retardari, ubi in diversa climata transportantur; ideo suadet, ut horologia cistæ includantur, in qua vi lampadum fide thermometri idem caloris gradus conservetur, qui sub zona torrida maximus deprehenditur. Cista ista eo modo suspenditur, quem jam exposuit *Hugenius* in horologio oscillatorio. Motus regularitatem in horologiis hac ratione conservari omni anni tempestate, facto experimento Autor didicit. Colophonis tandem loco describit perfectionem, ad quam ars conficiendi horologia, præsertim portatilia, perducta, ut inde colligi possit, quænam a principiis penduli regularitatem in navi conservandi ab ipso traditis expectanda sint.

## Des Freyherrn von Caniz Gedichte ic.

h. e.

**LIB. BARONIS DE CANIZ POEMATA**  
*maximam partem ex αὐτοῦ γράφοις emendata & aucta, quibus annotationes subnexuit, vitam præmisit, & in calce de eo, quod Gustum meliorem in Poesi & Oratoria arte appellare solemus, disquisitionem subjunxit* JOANNES ULRICUS KOENIGIUS, *Serenissimo Polon. Regi & Saxoniz Electori a Secretioribus Epistolis & Poesi.*

Lipsiæ &amp; Berolini, apud Ambrosium Haude, 1727, 8 maj.

Alph. 2 pl. 6 cum fig. æn. 3.

**I**llustrissimi Canizii Poemata numero pauca, mole parva, sed ad antiquitatis amulsum exæquata, & melioris ævi primitias, quis est in patrio Parnasso tam hospes atque peregrinus, ut ignoret? Fuere sane in oculis & manibus civium, queis

*de meliore luto Titan præcordia finxit;*

nisi quod plures doluerint, istas gemmas & ipsas a mangonibus male habitas, & venum in vilissimo vasculo esse expositas; poemata, inquam, ejus Viri, & ipsa tam multis turpissimisque mendis defœdata, & præterea tam misere sordideque excusa fuisse, ut res foret probatu haud difficilis, veterem ætatem & critices imperitam, & deliciarum typographicarum rudem, plus honoris Joanni Sachio suo habuisse, quam hanc nostram, cultam adeo atque perpolitam, præstantissimo Poetæ. Quare merito cum sanctæ Vatis memoriæ, tum Amplissimo Editori gratulamur, immo huic quoque gratias agimus, quod patriam communem tanto munere bearit, effeceritque magno suo labore & sumtu, ut illa non habeat amplius, quare Galliz Boilavium, aut si quis est alius magnorum Poetarum apud exteros pulchre editus, invideat. Sive enim chartarum magnitudinem elegantiamque quis intueatur, sive typorum nitorem varietatemque, sive ordinis in universo opere adhibiti concinnitatem, sive in emendandis operarum typographicarum erroribus multam curam, sive imaginum æri affabre incisarum per-

perpulchrum decus, sive lemniscorum ornamentorumque multiplicium, & Editoris ingenium, & artificis solertiam spirantium, copiam: sane ille fatebitur, nihil hic desiderari, quod efficere poterat, ut hæc Canizianorum editio a summa perfectione quam proxime abesset. Sed hæc oculos peritorum imperitorumque primo intuitu non fugiunt; nunc quid intus lateat, commemorabimus.

Post frontem, pulcherrima imagine decoratam, cujus & utroque sermone ligato & non ligato subjuncta est explicatio, primo merito loco legitur operis ad Herculem harum regionum Musagetam, Illustrissimum Comitem Wackerbarthium, dedicatio, quam Cansteinianæ præfationes, duabus editionibus, primæ A. MDCC & novissimæ A. MDCCXXIX præfixæ, excipiunt. Pone sequitur Nobilissimi Kœnigii præfatio, ex qua, si lubet, discere poteris, quot vicibus Poemata illa edita sint, (nempe, intra annos undeviginti saltem novies illæ delitiæ desideratæ sunt) quot in hac decima editione loca luxata sint restituta, quot alia vulnera sanata, quid in annotationibus sit præstitum, qua illæ fini conscriptæ, qui opem tulerint, ubi Illustris Besseri, B. Nicolai Zapfii, Confiliarii Aulici Saxo-Gothani, ab annis Academicis veteri amicitia Canizio nostro conjunctissimi, & Illustris Weislii, Regi Porussicæ a secretioribus Cameræ consiliis, nomina eminent, quæ denique sit maximi Poetæ in omnibus, quibus ludere ei fuit volupe, carminum generibus præstantia. Proxime ferit oculos Illustrissimi Vatis memoria, duplici imagine nobis servata, quarum illam ærea Tabula excusam pictoriæ incisoricæque artis insignibus artificibus, hanc, operosissimam vitæ descriptionem indefessæ Amplissimi Editoris diligentia debemus, utramque sane per jucundam, quod in illa ora Viri quasi coram inspicere, & frontis indicio eximias animi dotes cognoscere, in hac autem, animi præcellentis quandam veluti icona intueri, & quam nihil frons fallat, discere liceat. Illam repetere vetat instituti nostri ratio; hujus ut quædam epitome in hoc tot eximiis imaginibus doctissimarum Virorum exornato Eruditionis Atrio desit, non patiemur.

*Fridericus Rudolphus Ludovicus*, familia gentis Canizicæ Prussica, A. MDCCCLIV, XVII Novembris progenitus, patrem

habuit Ludovicum, Electori Brandenburgico ab Aulæ, Cameralis Judicii, & Pruslicæ Provinciæ Consiliis, matrem *Annam Elisabetham*, Conradi a Burgsdorf, summi in Aula Electorali Brandenburgica Camerarii, filiam. Patrem ante amisit, quam nasceretur; nec apud Matrem, summo Campi Mareschallo Saxonico, Baroni Golzio, secundis nuptiis junctam, commode satis educari poterat; quare Avix amantissimæ, Burgsdortix commendatus, sub præceptoribus domesticis tantum profecit in Literis, ut ad uberiores bonarum artium mercaturam anni seculi illius septuagesimo primo Lugdunum Batavorum, &, cum Avia longinquam absentiam amplius ferre non posset, anno tertio & septuagesimo Lipsiam commigraret, ubi cum Jo. Hauboldo Einfidelio, Electori Saxonix postea a sanctioribus consiliis, &, qui ad eundem summæ dignationis locum evectus est, Carolo Godefrido Bosio, S. R. I. Comite, qui unus ex illis sodalibus hodie superest, & Zapfio, Bosii studiis ista tempestate præfecto, conjunctissime vixit, &, præter ferias literas, Poesin, ad quam natura factus videbatur, excoluit. Confecto studiorum curriculo animus Nostro erat, Ulyssis exemplum sequi & multorum mores populorum inspicere, cujus rei cum veniam & ab Avia, & a summo Principe obtinuisset, ingressus est iter Italiam versus, & ea pariter atque Gallia, Anglia, Belgio lustratis, multisque celebribus, magnis, & Illustribus Viris, maxime Noviomagi, ubi tum pacis negocium agitabatur, salutatis, non salvus modo & incolumis, sed multis sapientiæ & eruditionis opibus locupletior ad suos reversus est. Vix reducem magnus Elector, Fridericus Wilhelmus, in numerum Generosissimorum Juvenum retulit, qui sibi a Cubiculo esse solebant, quo factum, ut Bello Pomeranico & obsidioni Sedinensi, A. 1678 Stralsundensi, anno proximo expeditioni Suecorum e Prussia ejiciendorum gratia susceptæ, muneris causa interesset, quo in Mandelslohium quendam translato, ab Electore duobus Capitaneatibus, Zossenensi, Trebbinensique ornatus est. Aderant tempora, quibus de matrimonio ineundo Nostro cogitandum erat, nec deerat digna ducendi conditio: nempe dudum placuerat Dorothea Emerentia Arnimbia, Baronis Cansteinii, Consilarii intimi, Supremi Aulæ Mareschalli, & Cameræ Præsidis privigna, virgo omnibus sui sexus

vir-

virtutibus conspicua, cum qua tantopere, & per omnem vitam, immo post funera adamata Doride sua tandem anno supra millesimum sexcentisimo octogesimo primo faustissimis omnibus junctus est. Constituerat apud se, isto thesauro, & Tusculani sui, cui Blumbergio nomen, otio frui: sed, ut solent ejusmodi ingenia non sibi, sed reipublicæ ac orbi nasci, Electori ab Aulæ & Legationum Consiliis esse jussus, primum suæ prudentiæ, & in rebus agendis peritiæ tyrocinium anno octogesimo secundo in Aulis Electorum Rhenanorum, & inde in Francofurtano Conventu poluit, eo equidem cum successu, ut Elector loco Zoffenensis & Trebbinensis Capitaneatum, quas Noster volens in eundem Mandelsholium, cujus supra mentio facta est, transferebat, maxime optimam Müllenhofii & Müllenbeckii præfecturam sponte sua offerret. Mox ad Coloniam Electorem, & aliquoties Hamburgum intestinorum dissidiorum sopiendorum causa missus, utroque in loco fidelitatem suam & dexteritatem Domino suo facile approbavit. Cognita his experimentis virtute dignus repertus est, qui ad Augustissimum Imperii Caput anno octogesimo sexto mitteretur, ubi primum Budæ expugnationem Imperatori gratulatus est, deinde Hamburgensibus turbis sedandis, tum evertendis Gallorum machinationibus operam navavit, ea equidem Cæsaris in omni re gratia usus, ut discedens etiam clementissima formula dextra Augusti conscripta Domino suo commendaretur. His servitiis meruit gratiam Friderici Wilhelmi Magni, qui eum, præter memoratas dignitates, inter Cubiculi quoque Comites retulerat; neque sane minore gratia apud Filium Fridericum floruit, a quo initio suscepti regiminis Consilarii intimi dignitate ornatus, mox Viennam Legatus missus est, ut mortem magni Electoris Imperatori ritu solemni nunciaret, atque brevi post iterum, ut, natum esse recenti Electori filium, eidem indicaret. Anno superioris seculi octogesimo nono cum dissidiis inter Regem Daniæ & Holstia Ducem coortis componendis, tum controversiæ de successione Lauenburgica amica ratione finiendæ, Electoris sui nomine operam dedit, qua re, tum etiam aliis multis suis meritis effectum esse videtur, ut exeunte anno Sonnenburgi inter Milites Illustrissimi Ordinis Johannitici legeretur, & Schievelbe-

nensis Commendaturæ vacuam possessionem expectare jubetur. Anno supra millesimum sexcentesium nonagesimo primo Cizam, secundo & tertio bis in Saxoniz inferioris tractum, successione Mecklenburgicæ amicæ ordinandæ causa, Domini iussu abiit, quarto socrum amisit, quintum autem expertus est perquam tristem atque lugubrem. Eo enim anno & Blumbergii sui partem dimidiam funesto igne in cineres versam vidit, & conjugis omnibus sexus sui virtutibus ornatissimæ cineres fleuit, doluitque ereptum animæ dimidium suæ. Ad alios fortunæ ictus invicto animo Canizius, huic dolori cessit; quare suavis est, persuasumque tandem, ut itinere suscepto molliret curas; verum enimvero cum in eo esset, ut Namurcum abiret, obsidionem spectaturus, inviturusque amicos nonnullos ibidem hærentes, imperia Domini intercesserunt, ut Mecklenburgum versus legatus lites inter Principes de hereditate exortas componere anniteretur. Redux etiam in re familiari sensit, quantam in optima conjugè fecerit jacturam, tandemque alia Legatione ad eosdem Principes Mecklenburgicos & ad Holsatiæ Ducem defunctus, se permoveri passus est, ut Virginem, a moriente conjugè stenti marito commendatam, Dorotheam Mariam, e Liberis Baronibus de Schwerin secundis nuptiis duceret, quarum nuptiarum ritibus cum ipse Elector gratiosissime adesset, novum sponsum inter suos status Ministros, inque ipsum Confiliariorum intimorum Collegium se cooptare, latus conviva edixit. Imperator etiam pristinorum meritorum memor & tanti Viri eminente virtute compulsus, anno nonagesimo octavo & Nostrum & posteris, si quos habiturus fuisset, S. R. I. Liberos Barones esse, sua sponte voluit. Mox nova eaque amplissima ei Legatio delata est, primum, ut Hanoveræ recenti Electori, postea Magnæ Britanniz Regi, Georgio exponeret, quantum Dominus suus de defuncti Patriæ Electoris morte doleret, deinde ut Hagam Comitum se conferret, & gravissimis consiliis, quæ ibidem inter Britanniarum Regem Wilhelmum, Belgicam Rempublicam, & alios Principes agitabantur, Electoris sui nomine interesset; quod magna cum cura, & multa cum gratia apud eos, cum quibus agenda erat, præstitit, donec intestinus, immo internecinus hostis, apostema in pectore, cum redire domum, immo, aliis morborum gene-

generibus accedentibus & a pertinaci vi sua nihil remittentibus, vasa colligere cogeretur. Quanta animi magnitudine fato suo occurrerit, legant hic loci relatum, qui volent. Nos mortem, qui anno nonagesimo nono XI Aug. ei obtigit, narrabimus. Illo mane, vestibus omnibus indutus, rogabat nobilem virginem, quam patu grandiore, conjugique suæ cognatione conjunctam, habebat inter familiares, ut suis manibus sustentatum ad fenestram adduceret, liberioris aeris hauriendi causa; ubi conspecto Sole oriente, in hæc lætus erupit verba: *O pulcherrimam rem! qua, licet rerum creatarum numero sit, cum tamen tam bella appareat, tantum delectet, o! quantum conspecta ineffabilis illa summi Autoris pulchritudo delectabit;* quibus dictis repente mortuus concidit. O dignum Equite Christiano vitæ exitum!

Sed redeamus in ordinem, memoriam mariti excipit memoria uxoris, Doridis optimæ imago, uti eam partim artifices nobis servarunt, partim posteritati commendavit Illustris Besslerus eximio carmine, quo Canizium Viduum, id flagitantem, solatus est. Sequuntur Poemata ipsa summa cum cura recensita, notis Luulentis instructa, accessionibus haud spernendis locupletata, & in suos dispartita ordines, sacrorum, misti generis, satyricorum, & ex peregrinis linguis in vernaculam conversorum, funebrium, & elegantium denique jocularumque. quæ si laudaremus multis, merito illud vetus occineretur nobis: Noctuas Athenas. Sed & de adjectis Commentariis, quid multa? Intelligent reapse æquæ lectores, eosdem lucem haud exiguam carminibus afferre. Inter misti generis poemata pag. 57 Noster ad Eusebium de Brand, Statum Miistrum, & Electori ab intimis Consiliis:

*Wie rühmlich du die Zeit auf Schulen angeleget,*

*Das gab uns zu verstehn das tiefgelehrte Blat,*

*Dadurch Arminius ward in der Grust bewegt,*

*Sobald der muntre Brand nur auf den L. brüstul trat.*

Faucos fuisse credimus, tantæ in hariolando felicitatis, ut intellexerint, quod res est, & quod ibidem in notis legitur, Dn. de Brand, more genti suæ perquam familiari, præter Juris & Politices studia tanto ardore Theologiæ Francofurti ad Oderam vacasse, ut publi-



cam etiam dissertationem de Jacobi Arminii hypothefibus in ca-  
thedra defenderit. Pag. 113:

*Er wird nicht weniger entzückt,  
So bald der Dudelfack in feiner Schencke klinget,  
Als wenn Bellerophon von feiner Liebe fingenet.*

Vix erit quisquam, qui postremum versiculum intelligat, nisi qui  
fando acceperit, aut hic legerit, post Pacem Naviomagentem Bel-  
lerophontem, multo sumtu, magnaue artis musicæ elegantia,  
in Theatro Parisino spectatum auditumque esse. Sed & quæ se-  
quuntur, *Blanc mangé, Linguattole, Glomms, Pomocheln*, esculen-  
torum genera, & Prullica Numina, *Perkun, Potrimpos, Pikoll*, pau-  
cissimis Germanorum nota erunt, & illa p. 118:

*Und wenn kein grosser Hecht hier in die Darge beißt,  
So gilt mein Giebelfang, der oft das Netze reißt.*

& iterum p. 124:

*Werd ich, in meinem, nun zu Gustgen mich gefallen,  
So thu desgleichen auch bey deiner liebsten Drellen.*

Quæ explicata legat, qui volet. Superest Amplissimi Editoris de  
Gustu in prosa verlaque oratione disquisitionio, sane perdocta  
& perquam accurata, e qua definitionem Gustus utriusque,  
melioris, deteriorisque, p. 292 excerptam hic tradimus: *Melior  
Gustus in utraque oratione est mentis quadam veluti spontanea  
vis atque virtus, verum, bonum, venustum, uti est, percipiendi, &  
a falso, malo, invenusto, sive illud in verbis, aut in rebus, aut de-  
nique in totius operis constitutione lateat, prompte & veluti mo-  
mento separandi; ex qua in voluntate justum arbitrium justus  
que selectus, in exercitatione concinna applicatio profuit. De-  
terior Gustus animi est quidam morbus, atque inertia, qua ve-  
rum, bonum, venustum, non, uti est, percipitur, adeoque cum falso,  
malo, invenusto, sive in verbis, sive in rebus, sive in operis universi  
natura, confunditur, unde in voluntate iniquum arbitrium in-  
eptusque delectus, in exercitatione inconcinna applicatio.* Legant  
reliqua harum literarum amantes: neque enim facile quempiam  
illius lectionis pœnitebit, quod illa disquisitionio, non minus quam  
reliqua in hoc opere ab Amplissimi Kœnigii manu profecta, etiam  
ob eximiam sermonis nostri puritatem, stylique elegantiam

maximopere sint commendanda. Nos plura non addimus, quod hujus scripturæ modum jam fere excessisse videamur, neque comode singula ex doctissimo scripto afferri possint, in quo omnia inter se connexa, & uno veluti vinculo inter se colligata extant.

Nihil adeo superest, quam vovere ex animo, ut in illa plura Caniziana eruendi spe, qua Nobilissimum Virum duci novimus, fortunam haud lævam, immo faventissimam experiatur; simul majorem in modum rogare, ut & Criticen in Caniziana, & illius de Gustu disquisitionis partem reliquam, ut utilissimam, ita jucundissimam, publico bono quam ocyssime subjungat.

**JO. FRANCISCI BUDDEI, TH. D. ET P. P.**  
*Miscellanea sacra, sive Dissertationum aliarumque Commentationum, ad Theologiam, historiam Ecclesiasticam & recentiores controversias spectantium, Collectio in tres Partes distincta, cum Indicibus necessariis.*

Jenæ, sumptibus Jo. Felicis Bielckii, 1727, 4.

Alph. 12 pl. 9.

**Q**Uatuordecim præterlapsi sunt anni, quum Summe Reverendus ac celeberrimus suisque meritis plane insignis Autor collectionem quandam Dissertationum suarum Theologicarum aliarumque commentationum, *Syntagma Dissertationum Theologicarum* inscriptam, ederet. Hujus vero Syntagmatis quum nova paranda esset editio, illud augere, novamque partem, illas Dissertationes commentationesque Academicas, quæ ab eo post editum Syntagma luci publicæ erant traditæ, complectentem, adjicere, celeberrimo Autori placuit. Immo ut desiderio bibliopolæ, cujus sumptibus hæc Miscellanea excusa sunt, satisfaceret, tertiam quoque Partem adjecit, in qua Dissertationes exhibentur, quæ ab iis, qui respondentium munere functi sunt, conscriptæ & sub moderamine Autoris nostri publico eruditorum examini traditæ fuerunt. Tria igitur sunt Syntagmata, quæ hæc Miscellanea sacra in se continent. De primo non est, quod quædam dicamus, quum summa illius a nobis in Actis nostris 1714 mense Augusto pag. 385 sit r'ata; id tamen monendum est, quod *Meditationes sacrae*, quæ

quæ illi additæ erant, nunc minus exhibeantur, quoniam seorsim prelo subjici debent. In secundo Syntagmate primum locum occupat commentatio de *Pelagianismo in Ecclesia Romana per bullam anti-Quesnellianam, a Clemente XI P. R. promulgatam, triumphante*, in qua Autor multa tradit erudite, quæ ad historiam Pelagianismi in Ecclesia Romana ejusque progressum pertinent; quum autem per bullam istam anti-Quesnellianam per Pelagianismum in Ecclesia Romana triumphare contendit, neutiquam statim cuncta Quesnellii asserta calculo suo approbat, monetque, pleraque ita esse comparata, ut anguis in herba lateat. Sequitur *recentissimarum de sacra Cœna controversiarum Sylloge*, in qua præter alia controversia, quam Leonhardus Christophorus Sturmius de verborum sacre Cœnæ institutionis interpretatione excitaverat, attingitur. Scripserat Sturmius ad ipsum Autorem nostrum, eique significaverat, ad confirmandam sententiam suam de sensu vocis *τρο* in verbis institutionis sacre Cœnæ, hoc tantum superesse, ut consensu Patrum veteris ecclesiæ confirmaretur, quumque putaret, id ab eo fieri posse, ut hunc laborem in se succiperet, rogaverat. Respondit Venerandus Autor noster, maxime eum falli, utque hoc ostenderet, in hac Sylloge loca quædam Ignatii, Justinii, Irenæi, Tertulliani adduxit, iisque demonstravit, veteris ecclesiæ doctores expositioni illius adversari. Tertia Dissertatio exhibet *Judicium B. Martini Lutheri de Ecclesia Romana expensum & vindicatum*, quæ opposita est libro, qui inscribitur: *aufrichtiger Abriss der wahren und ganzen Catholischen Kirchen, wie man sie mit Augen sehen kan*, in quo Autor, quem Georgium Christophorum Ferdinandum a Ræsewiz esse constat, id agit, ut quibusdam Lutheri testimoniis probet, Romanam Ecclesiam omnino esse veram, atqui hoc est, quod Autor noster heic refutat, Lutheri judicium de ecclesia hac expendens. Quarto loco conspicietur Schediasma de *Ecclesia Romana cum Ræthenica irreconciliabili*, de quo jam in Actis nostris *Supplement. Tom. VII Sect. X* diximus; ultimum autem locum tenet Dissertatio de *statu Ecclesiarum Apostolicarum, earum præcipue, ad quas Paulus Apostolus Epistolas suas scripsit*, in qua præcipue illustrat controversias, ad quas Apostolus hic in litteris suis respexit, atque

atque errores, quos simul confutavit. Hæc dissertationibus addita sunt, elegantissima Oratio de *bonarum litterarum decremento nostra ætate non temere metuendo*; commentationes Theologicæ de *apostasia*; de *eo quod in Theologia pulchrum est*, cujus commentationis partem quandam in linguam Gallicam translata exhibet celeberrimus Jo. Petrus Crosa, posteriori Tomo novæ editionis *Tractatus de pulchro*; item de *libertate cogitandi*, quæ Autori *discursus de libertate cogitandi* est opposita; de *criteriis veræ & falsæ inspirationis*, quæ spectat ad inspiratos, quos vocat, qui eo tempore, quum scriberetur, ingentem dederunt strepitum; de *fallibili Pontificis Romani infallibilitate* contra Matthæum Peitdidierum, de *conciliis Lateranensibus rei christiana noxiis, & de origine Socinianismi ab ecclesiæ emendatione non repetenda*. Prout harum dissertationum commentationumque Theologicarum argumenta sunt egregia atque optime excogitata; ita Autor noster ista more suo, id est, accurate atque erudite exposuit atque illustravit.

Tertium horum Miscellaneorum sacrorum Syntagma, quod Dissertationes Theologicas sub moderamine Autoris publico examini expositas continet, nobis exhibet Dissertationem de *Pædobaptismo*, oppositam clarissimo Viro, Antonio van Dalen; de *hamartigenia*; de *beatitudine in regno gratiæ exhibita*, quæ respicit ad controversiam illam in Holstia agitatum: num beatitudo fidelium in h. c. vita a beatitudine electorum in altera vita specie, an gradu differat? item de *fide, quam nonnulli fingunt, naturali*, in qua præcipue sententia Pireti refutatur; de *Salvatoris nostri exaltatione dolorosa ejusque effectu*, ex *Job. XII, 32*; de *origine mali* contra hypotheses recentiorum quorundam, præcipue Leibnizii; de *usu mysteriorum fidei in praxi vitæ christiana*; de *omnibus concedenda Scripturæ sacre lectione* contra bullam anti-Quesnellianam; de *discrimine naturæ & gratiæ quoad facultatem recordandi, seu memoriam*; de *Jesu melioris fœderis sponse*; de *colloquiis charitativis seculo XVI per Germaniam irritò eventu institutis*, quæ dissertatio satis est ampla; de *anima sede peccati originalis principali*; de *Galilæa, rebus gestis & miraculis Christi clara*, & de *idoneo litterarum sacrarum*

*interprete.* Equidem hæ dissertationes non omnes ejusdem sunt generis, quod ipse celeberrimus Autor noster in præmissa præfatione fatetur; singulæ tamen diligenter sunt conscriptæ, nec solum dignitate argumentorum suorum se commendant, verum etiam variarum rerum eruditus apparatus in illis invenitur, ex quo multa capita historię ecclesiasticę, recentiorum controversiarum aliarumque Theologię disciplinarum sunt illustranda.

**JO. GEORGII WALCHII, THEOL. D. ET P. P.**  
*Commentatio de Concilio Lateranensi a Benedicto XIII*  
*celebrato.*

Lipsiæ, sumtu Jo. Frid. Gleditschii B. Filii, 1727, 8.  
 Plag. II.

**Q**UUM memoria Concilii Lateranensis, quod paucis abhinc annis Benedictus XIII celebravit, merito conservanda sit in commentariis historię ecclesiasticę, maxime utilem operam S. R. Autor collocavit in hac Commentatione conscribenda, imprimis quum non solum historiam illius recensuerit; sed etiam quid res Christianę ab eo sperare possint, luculenter monstraverit. Atqui hoc imprimis nomine commentatio hæc conscripta est, ut pateat, quod ab hoc Concilio nulla Ecclesię Romanę emendatio sit speranda, quod ut evincat tria capita commentationis confituit. Primum agit de *emendatione Ecclesię Romanę frustrata*, in quo ex monumentis historię ecclesiasticę enarratur, quomodo emendatio Ecclesię Romanę sit tentata in Conciliis, Pisano, Constantiensi ac Basileensi, de quibus singulis contra objectiones Romanensium probatur, quod fuerint Concilia legitima atque universalia; sed deliberationes in illis susceptę feliciori destitutę fuerint successu. Idem demonstratur de variis Romanis Pontificibus, qui meliorem rerum sacrarum conditionem sint meditati, minus vero perfecerint, præcipue de Leone X, Adriano VI, de cujus deliberata ecclesię mutatione multa sunt dicta, neque non de Clemente VII, Paulo III. Hisce expositis Autor noster causas recenset, cur hujusmodi consultationes nihil effecerint. Caput secundum exponit de ipso Concilio Lateranensi a Benedicto XIII

*XIII celebrato*, cujus historiam ita tradit, ut primum nomen *Lateranense* explicet; deinde quotum sit hocce Concilium Lateranense, expendat; porro alias illius circumstantias referat atque acta, quæ prædierant, strictim recenseat. Capite tertio Autor differit de *navis Concilii hujus*, quos ad tres classes revocavit, ita ut ad primam scopum vitiosum; ad secundam ejus normam minus rectam & ad tertiam decreta erronea atque inutilia retulerit. Ipsa hæc decreta distincte ac distribute exquisivit, ac quum alia ad dogmata, alia ad res civiles & politicas, ac denique nonnulla ad disciplinam ecclesiasticam pertinere monuit, de singulis, quæ in illis sint vitiosa, sedulo ostendit. Inter alia observat S. R. Autor, quod Benedictus XIII, non sua voluntate commotus, sed sacri ordinis virorum vi ac fraudibus coactus, constitutionem *Unigenitus* confirmaverit, quoniam clarissime significaverit, quo loco rigidos infallibilitatis papalis defensores habeat, postquam Natalis Alexandri scripta numero librorum prohibitorum eximi voluerit. Hac occasione varia differuntur de Natali Alexandro. Disputat quoque Autor contra Missam Romanensium, eorumque confirmationem in baptismo aliaque dilucidat capita, de quibus inter illos nostræ Ecclesiæ Theologos agitantur controversiæ.

**SPECIMEN PHILOGICUM DE VETERUM gentilium & Judæorum Theologia Mythica. Accessit ברכה כהנים id est: ratio, qua filii Aaronis, ut dicuntur, diebus festis e suggestu plebi benedicere solent. Ubi invenies quæ hæcenus nemini fuere observata. Autore M. SEBASTIANO JACOBO JUNGENDRES, Norimb.**

Sumtibus Autoris, 1728, 4.

Plag. 13.

**I**llud imprimis docta hac commentatione datum sibi existimavit Cl. Autor, ut a communi illa, qua Mythica premi Theologia solet, suspicione, quasi vero anili saltem garrulitati vanisque otiosorum hominum debeat deliriis, strenue eandem vindicaret; eamque potius præcipua continere naturalis doctrinæ, religionis,

- gionis, morumque capita, suavibus tecta fabularum involucris, pro ea qua pollet antiquitatum peritia, erudite assereret. *Pars operis Generalis*, circa Mythologiam in genere occupata, indolem ejus, partes, finemque tradit: hinc ad originem, quam servorum gregi tribuit, fataque illius progressus, Scriptores Mythicos, inque illis Locmannum, Phædrum, Hyginum, Ovidium, Livium Andronicum, Æsopum præcipue affert, mentione pervetustæ alicujus Æsopi editionis injecta, Parmæ apud Antonium Zarotum 1474, curante Rimicio excusæ, quæ Cel. Fabricii in Bibl. Gr. studium omnino effugit. *Pars Specialis* Theologiam Gentilium mythicam *Sectione I* commemorat, natales ejus, partes, occultamque tractandi rationem, quæ abigebat impetuosius a sacrorum commercio rudem plebeculam, quo & superstitionis veneraretur mystas, & illi liberius interim in honestatem castitatemque omnem, remotis arbitris favirent. Enarratis, qui huc spectare videbantur, scriptoribus, Orpheo, Museo, Lino, Homero, Hesiodo & Ovidio, *altera Sectione* ad Judæorum Theologiam Mythicam pergit: quam cum Cabbala imprimis contineat, ejus in historiam spatiosius excurrit, puramque Cabbalam a Mose ad Esdram obtinuisse, impuram vero, rebus Judæorum in deterius ruentibus, surrogatam in prioris locum fuisse, monet. Fabularem autem docendi rationem ab incunabulis Israeliticæ rei Noster repetit, a Prophetis sæpe, ipsoque Salvatore, Talmudicas subinde imitato allegorias, adoptatam. Sequiori ævo ad offundendas auditori tenebras, studio componebantur fabellæ, in cujus rei fidem speciminis loco unum alterumque Apellarum commentum, v. c. de relicto a creatore ab aquilonari parte in firmamento foramine, ab eo qui Deum se esse affirmaret, olim consuendo; de Leviathanis scæmella occisa, justisque venturis sale condita; de זוי שרי Pf. L, 11, seu infigni ave, caput in cælos efferente, pedibus in mari relictis, &c. ingeniose de rebus mysticis exponit; additis, quæ Christianorum sacra sua occultandi consuetudinem illustrare poterant, quibusdam observationibus. Subjuncta operi brevis est de ברכה כהנים f. eo Judæorum ritu disquisitionis, quo festis diebus, dum benedictionem cœtui impertiuntur sacerdotes, ad singulas ejus voces, præcedentes iterat, variaque Scripturæ oracula intercalat populus. Ipse hæc

hæc ita eloquitur Cl. Autor: *Praxis ita se habet: Sacerdotes, qui stant ante ארון הקודש, incipiunt cum verbo יברך; tunc statim repetit populus idem verbum, additque versiculum ex Psalmo, aut alio libro sacro in margine annotato; tam diu enim sacerdotes verbum יברך extendunt & sine omni intervallo addunt יי; populus vero repetit primum verbum cum voce יי, iterumque addit duos versus, duobus verbis adscriptos. Postea כהנים tertium verbum canunt, & populus iterum ab initio omnia verba incredibili velocitate repetit; tam diu enim sacerdotibus in unius verbi pronuntiatione commorandum est, donec populus cum omnibus ab initio repetitis finem fecerit, & sic deinceps, ita ut sacerdotes nullum verbum repetant, nec pausam faciant, sed una serie benedictionis verba recitent, semperque eorum quodlibet tam longe extendant, donec & populus cum sua recitatione ad finem pervenerit. Ordo vero, quo demurmurantur singula, hic est:*

יברך Pf. CXXXIV, 3.	ישר Pf. XXIV, 5.
יי Pf. VIII, 2.	יי Jef. XXXIII, 2.
וישמך Pf. XVI, 1.	פניך Pf. XXVII, 9.
יאר Pf. LXVII, 2.	אלך Pf. LXXXVI, 4.
יי Ex. XXXIV, 6.	וישם Num. VI, 27.
פניך Pf. XXV, 16.	ולך Chron. XXX(29) 11.
אלך Pf. CXXIII, 1.	שלם Jef. LVII, 19.
וירחך Pf. CXXIII, 2.	

Tandem vero, quemadmodum Novi Testamenti, typis Germanico - Hebraicis exscribendi, editionem, a Cl. Autore p. 76 & 91 exoptatam, ter jam ac pluries forte, A. 1540, 1592, & iterum 1700 per Christianum Mollerum, curatam fuisse, ex Cel. Wolfii Biblioth. Hebr. P. 2 p. 459 didicimus; ita ut Cl. Autor, quæ B. *Wagenseilius* in *Supplemento MS. Bibliothecæ Rabbincæ, ad Abr. Hinckelmannum*, quod possidere se p. 67, \* affirmat, in litterariæ rei incrementa consignata reliquit, suo tempore benevole promat, humanissime ab eodem contendimus.



**JO. ALBERTI FABRICII, SS. THEOL. D. ET  
Prof. Publ. Hamb. Bibliothecæ Græcæ Volumen XIV, ulti-  
mumque. Accedit Index generalis ad universa qua-  
tuordecim Volumina.**

Hamburgi, suntu viduæ Felgineræ, 1728, 4.  
Alph. 4 pl. 2.

**T**Andem ergo, plausus inter & congratulationes universi eru-  
ditorum orbis, quinque post lustra ad umbilicum perduxit  
S. R. Autor voluminosum Bibliothecæ Græcæ opus; supplemen-  
ta saltem ac castigationes, suo posthac tempore, additurus. Ulti-  
mam nunc ejus Partem exhibet, suprema Libri VI capita com-  
plexam. Quod primo statim loco occurrit XI Caput, *Leonis Al-  
latii συμμικτων* s. opusculorum Græcorum & Latinorum indi-  
culum sitit, Romæ 1668 exscriptum: quem *Constantini Lasca-  
ris, Byzantini*, de scriptoribus Græcis, patria Calabris, p. 22, Sicu-  
lisque p. 27, & de gestis SS. Apostolorum Petri & Pauli, eodem Au-  
tore interprete, commentationes excipiunt p. 36, ex Antiquitatum  
Siciliæ Thesauro depromptæ. Succedit p. 38 Antiochenorum Epi-  
scoporum ac Patriarcharum, chronologico & alphabetico or-  
dine digesta enarratio, ex Actis Sanctorum repetita; & *Simeonis,  
Thessalonicensis* Archi-Episcopi, contra hæreses opus, de fide, ri-  
tibus & mysteriis Ecclesiasticis, p. 49: una cum Indice scriptorum,  
in *Vincentii, Bellovacensis* Episcopi, Speculo naturæ occurrenti-  
um, p. 107, ad editionem Duacensem A. C. 1624. Caput XII p. 125  
scripta Græca, quæ commentitiis Autorum nominibus circumfer-  
runtur, indicat, præsidiaque Critices in genuinis & spuris fœtibus  
secernendis extollit. Monstruosum scilicet hoc veterum cacoethes  
fuisse, p. 127 docet, levia scripta magnis autoribus elocandi, tantis-  
que eadem exornandi nominibus. Allatis igitur variis imposturæ  
hujus, quæ & leges ad Deos retulit autores, causis, criteria promit  
p. 133, quibus detegi a nobis hæc poterat verusutia, addito p. 134 Auto-  
rum elencho, quorum de arte critica lucubrationes super sunt. Oc-  
casionem tam facilem non frustra dimissurus S. R. Autor, *Gemisti  
Plattonis* compendium Zoroastreorum & Platonicorum dogma-  
tum, Græcæ & Latine inseruit, p. 137; de *Orozone*, scriptore sup-  
pōsi-

posititio, scholia, p. 145; *Pseudo-Callisthenis* de rebus Alexandri M. exordium Græcum, p. 148; & genuina *Berosi* fragmenta, p. 175, adulterinis illis a *Joanne Annio*, Romæ 1498, & deinde sæpius divulgatis, non admiscenda. Anniani hujus operis hic exponuntur contenta, scriptaque, quibus & impugnatum illud & defensum fuit, adjecto imprimis Lusitanice & Latine *Academia Regia Ulyssiponenfis* decreto, quo Academici, Annianorum aliorumque scriptorum suppositorum autoritate uti, graviter prohibentur, p. 211–227. Epistolæ accedunt, p. 227–270, quas *Diodori Siculi* nomine, *Antoninus Mongitor* in Bibliotheca Sicula venditavit, numero sexaginta & sex, ex Italica *Octavii Archangeli* versione Latine redditæ a V. C. *Abbr. Preigero*, & ex *Scriptorum Siciliæ Thesaur*o mutuatæ. Ingeritur præterea p. 150 §. 8 in *tria Fabriciani Codicis Pseudographi V. T. Volumina* Index capitum, cum supplementis quibusdam ac Paralipomenis, quæ inter *Psalmus CLI* cum versione veteri & notis p. 160 eminent, seorsum a *Pl. R. Dno M. P. C. Hilschero*, Palæo-Dresdensis Ecclesiæ meritissimo Pastore, cum vita *Goliathi* & Epitola de *Oge Gigantum maximo*, Budissæ 1716, 4 editas. Sequuntur *Apocryphorum V. T. L.* 1691 impressorum summaria p. 174 & *Codicis Apocryphi N. T.* cujus elenchus Vol. XIII *Bibl. Gr.* p. 333 traditur, auctarium, p. 270. Dissertit illud de Prot-Evangelio *Jacobi*, Evangelio infantis *Salvatoris*, Evangelio *Nicodemi*, Actis *Pilati*, ejusque ad *Tiberium* epistola, de *Pseudo-Abdia*, deque *Corinthiorum ad Paulum* literis, per *Stephanum Presbyterum* scriptis, ac per *Diaconos*, *Threzum Thechumque* in urbem *Phœnicis* apportatis; & *Pauli ad Corinthios* responsoriis. Utraque hæc epistola, in *Guil. Whistoni* gratiam ex Armenico in Latinum, a *Viro Eruditissimo M. V. la Crose* versa, integra hic comparet. Variæ ad ultimum memorantur *Maria Epistolæ*, ea imprimis, quam ad *Messanenses* dedisse fertur, enarratis simul p. 256, qui eandem illustrarunt, scriptoribus. Quod restat operis, accuratus & copiosus rerum & Autorum sibi *Index generalis* vindicat, in XIV Bibliothecæ hujus volumina concinnatus, quem singulari in *Mutæ* studio *Viri Cl. Jo. Christiani Wolfii*, *Physic. & Poet.* in *Gymnasio Hamb. P. P.* debere, S. R. Autor in præfatione gratus celebrat.

**D. VIRGINII VALSECHII, PISANENSIS, IN**  
*Academia Pisana Sacr. Liter. & Hist. Eccl. Professoris,*  
*Epistola de veteribus Pisane civitatis constitutis, ad Cla-*  
*riss. & Reverendiss. Patrem D. GUIDONEM GRAN-*  
**DI, Camaldulensem, S. Michaelis in Burgo Abbatem, &**  
*in eadem Academia Matheseos Profess. præstan-*  
*tissimum.*

Florentiæ, typis Regiæ Celsitudinis, 1727, 4.

Plag. 6½.

**C**um doctissimus *Valsechius* epistolam a Guidone Grandi ad V. Cl. Josephum Averanium perscriptam legisset, qua is, alata e cœnobii sui tabulariis judiciali sententia A. 1193 ostendit, seculo XII Pisano in foro usum Pandectarum utique viguisse, contra id, quod in Historia Pandectarum senserat V. Cl. Henricus Brenemannus; statim cupiditas ipsum cepit, vetera etiam Pisane civitatis constituta, quibus Brenemannus potissimum nititur, inspiciendi. Hæc epistolæ hujus edendæ Nostrò fuit occasio. Initium vero facit ab examine sententiæ de neglectu Juris Justiniani in foro Pisano usque ad A. 1262 & ulterius, quam proposuit Celebrerrimus Brenemannus, *Pisis civilem prudentiam integro seculo friguisse, nec ullius in jure usus autoritatisque fuisse, dum in ipsa Urbe jam statim sub Eugenio III, b. e. circa A. 1150, ex jure Casareo cause deciderentur, dumque A. 1158 ab Imperatore ex Bononia quatuor Professores litium dirimendarum causa ad conventum in Roncallis acciti fuissent atque brevi omnia undique fora ferventissimis juris Romani concertationibus perstreperent.* Existimat enim Vir eruditissimus, primum, usos esse Pisanos adhuc post Friderici conventum diutissime mixta quadam Jurisprudentia, ex jure scripto & consuetudinario; deinde, scriptum illud jus constituisse ex Lege Romana & Longobardica; tertio, *Legem Romanam* Pisanis dictam esse compilationem Juris e Codice Theodosiano & fragmentis quibusdam Ante-Justinianis ab Alarico sub Gothis conceptam; quarto, ex hac Lege Romana, exque Jure Longobardico & Pisane civitatis consuetudinibus in foro ibi jus redditum esse usque ad A. 1262 & ultra. Prius quod attinet, id  
adeo

adeo verum profitetur Noster, ut jure simul scripto & consuetudinario hodiernum uti Pisanos, doceat. Neque magis negat alterum, quippe quod e prologo veterum Constitutorum satis probetur. Tertium, quod Brenemannus confirmat tribus Codicibus MSis, Codicem Theodosianum cum Novellis Theodosii, Valentiniani & Majoriani complexis, addita juris epitome, & qui *Lex Romana* inscribuntur, id non omnino placet Valsechio nostro, Codicem & Novellas Justiniani simul *Legis Romanae* appellatione venisse, statuenti, ita, ut Ludovicus Pius, Viros omnes Ecclesiasticos *Lege Romana* jubens vivere, Codice etiam & Novellis Justiniani eos uti jussit, cum post edictum illud Ludovici ad has quoque *Leges*, ut Romanas, provocatum, easque jamdudum usurpata a Gregorio M. constet, in causis Ecclesiasticis. De Novellis notabilia praesertim sunt exempla in Concilio, ut vulgo creditur, Parisiensi, verius in Duziacensi, A. 871, tempore Ludovici II celebrato, & quae proferuntur alia ab Hincmaro diversis locis. De Codice vero illud observatione dignissimum quod Joannes VIII, in Concilio Tricallino secundo, A. 878, legem Arcadii & Honorii laudans, quae in utroque codice extat, solum citat Justinianeam. Hinc verosimile sit, easdem Justiniani legis comprehensas fuisse *Lege Romana*, pro qua Leo IV Pont. Max. eodem seculo IX Lotharium Imperatorem rogavit, & qua populum Rom. Lotharius uti sivit. Ceterum & Henrici II Imp. Edictum non tres modo e Codice & Novellis Justiniani *leges* citat, sed palam etiam facit, seculo XI jus Justinianeam in jurejurando calumniae esse judiciis observatum. Sed, quarto loco quod asseruit Brenemannus, non sine Pisanæ civitatis injuria, ad id confundendum ex statutis Pisanis potissimum Epistola hæc comparata est. Namque ex Codice MSo Constitutionum Pisanæ civitatis, quem Florentiæ in Bibliotheca Stroziana viderat, in cujus ultimæ rubricæ sine legitur: *Constituimus atque firmamus, ut omnia constituta a nobis correctæ vel emendata & mutata, &c. lecta & publicata sunt MCC LX, Indiæ. III, tempore Domini Riccardi de Villa, Pis. Potestatis*; in eoque additum aliquando cernitur: *Commune Legis & Usus*; alicubi plenius: *Hoc constitutum est commune Legis & Usus*; & ex Constitutione, quæ, ut ait, in me-

dia hujus Codicis est, quamvis tempore multo anterior præcedenti, (quæ vero nihil aliud est, quam prologus veterum statutorum,) collegit Clarissimus Brenemannus, non ex jure Justiniano, sed ex Lege Romana Ante-Justiniana, jure Longobardico & Pisanis consuetudinibus in foro Pisano judicatum esse ultra A. LXII seculi decimi tertii. Nullum itaque, nec levissimum vestigium Legis istius Romane, quæ Codice Theodosiano & fragmentis Ante-Justinianis constiterit, in Constitutis, quibus & tum olim & postea ad hunc diem usi Pisani, apparere, docet Noster. *Constituta* hæc, uti inscribuntur, A. 1161, more Pisano, qui est communis 1160, primum compilata fuerunt in unum volumen, indicio prologi, quem & Cl. Brenemannus totum exhibuit, & Noster e Codice seculi XIV, ad vetustiore alium descripto, repetit. Variant quidem Codices in anno & indictione: sed, ubi scribitur 1141, manifestus est scribæ lapsus: neque *Indictio nona* recte ponitur, ut apud Brenemannum, cum *octava*, quæ est anni communis 1160, recte conveniat anno Pisano 1161. Talis enim est æra Pisana, ut suspicetur ab incarnatione Domini, seu Deiparæ conceptu, non vero a nativitate, sive a Calendis Januariis proxime sequentibus, quo pacto annos nativitatis Christi novem mensibus antevertunt, in connumerandis annis exactiorem Dionysii supputationem secuti; & hoc more veteres Chronographi Pisani rerum gestarum tempora signarunt. Indictione autem Romana, seu Pontificia, non Constantinopolitana, seu Constantiniana, usi illo ævo Pisani, ut Noster ex subscriptione duarum sententiarum, quas in fine epistolæ apposuit, probat. Post prologum sequuntur constitutorum XXIX rubricæ, quæ ad usum pertinent, & quarum sub finem in Codicum uno, quos Noster consuluit, scriptum est: *Explicunt Constituta usus Pisana Civitatis*; id quod titulo prologi respondet: *Incipit Prologus Constitutorum usus Pisana Civitatis*. Sic & in fine rubricarum LVII, ad legem spectantium, duo Codices habent: *Explicit Constitutum Legis Pisana Civitatis*. Vetera hæc Constituta subinde variis temporibus recognita, aucta & correctata: cumque rubricæ usus & legis seorsim ac mutato sæpe ordine lectæ sint in Senatu, inde fortassis factum, ut inverso ordine rubricæ legis primo in recentioribus Codicibus loco extent, se-

quan-

quantur, inserto prologo, rubricæ usus. Duo Codices post constituta usus exhibent XXXIII rubricas, & in uno Codicum sub finem hujus augmenti legitur: *Ratificata & approbata fuerunt superscripta ordinamenta A. MCCCXXIII Indict. sexta tertiononas Decembris*: additæ etiam rubricæ XXVI. I, a Pisanis civibus compositæ & a Prioribus Libertatis & Vexillifero Justitiæ populi Florentini confirmatæ A. 1478, die 28 Mensis Februarii, ac demum rubricæ, sic inscriptæ: *Statuta novissima edita A. MDXVI*; aliaque nonnulla. Et his constitutis hodie utuntur adhuc Pisani: utuntur in subsidium jure Justiniano, postquam ipsis avtonomia, seu propriarum legum usus jurisque communis a Florentinis relictus atque identidem confirmatus fuit. Nihil adeo vero in iisdem constitutis ex jure Theodosiano est, ut potius tota ferme ex universo jure Justiniano, ac præsertim Pandectarum, concreta videantur, quamvis Brenemannus, compilatores statutorum Pisanorum magis in Codice Justiniani versatos fuisse, quam in Pandectis, dixerit. Ipsum Prologi statutorum exordium descriptum est ex l. 1 ff. de or. Jur. & complures Pandectarum leges, paucis mutata vel interpolata, ut l. 2 ff. ne quid in loc. publ. & 4 l. 1, 2, 3 & 4 ff. de feriis, l. 18, 19 ff. de Legib. l. 56 de Reg. jur. aliæque sub rubricas translata. Manifesto quoque l. 7 C. de Legib. iis verbis, quibus extat in Codice Justiniano, cum aliter legatur in Theodosiano, invenitur in utrisque constitutis, Legis & Usus. Notaverat jam doctissimus Grandi, in epistola ad Averantium, loca, in quibus cum *Lex Romana*, tum *Jus Romanum* memoratur, sed quæ, num ad Justinianeum, an vero ad anteriora jura referri debeant, aliis judicandum reliquit. Sunt ea de legitima; ubi Pisana, quæ major est, opponitur Romanæ, de successione patronorum in bona libertorum, de successione fisci ac denique de pena invasorum ex l. 7 C. unde vi; quæ Noster singula juri Justiniano vindicat, adjutus ipsorum Interpretum Pisanorum suffragiis. Laudat ex iis Masum a Tripallo, qui sub finem seculi XIII claruit & Antianorum, ut vocati, i. e. Seniorum ac primorum Pisanæ civitatis munere functus est, itemque Jacobum Andream Ibonem de Lavajanis, qui seculo XV exeunte scripsit, quorum ad antiqua Pisanorum statuta notæ & in Codicum uno textui adscriptæ, & seorsum

sim a textu constitutorum quoque extant. Memorat & alias aliorum notas in Pisana Constituta, quæ omnes hunc modum servant, ut juri Justiniano concordantia vel contraria diligenter animadvertant. Quod vero scripsit Brenemannus, & supra indicatum est, in ipsis Constitutis quandoque legi: *Commune Legis & Usus*, & alicubi plenius: *Hoc constitutum est commune Legis & Usus*, id adeo verum est, ut notari vel maxime mereatur, non solum suas Leges suosque usus habuisse & habere Pisanam civitatem, sed & duas in ea *Curias* quondam fuisse, aliam *Legis*, aliam *usus*; in illa quæstiones Legis actas, in hac quæstiones usus: hinc in Constitutis usus est rubrica: *Quæ quæstiones ad Leges, & quæ ad usum ponantur*; & in Constitutis Legis hæc alia: *De quæstionibus & causis iudicio Legum inceptis, ut ad usum non vadant, & e contra*. In curia Legis secundum Legis constituta judicabatur, quemadmodum in curia usus secundum usus constituta. Quia tamen aliqua etiam constituta erant utraque in curia servari iussa, hæc proinde *communis Legis & Usus* dicta fuere; & capitulis utrobique obtinentibus inscriptio: *commune Legis & Usus*, præfixa, alicubi, cum Legis curiæ proprium jus proponitur, adjecta nota: *Hoc capitulum habet locum in Lege tantum*. Habuerunt itaque & habent hodie Pisani peculiare suos usus suasque Leges, Justiniano Juri nonnunquam adversantes, hinc tamen colligi nequit, eos Justiniano jure usos neutiquam fuisse, cujus adeo plena sunt eorum constituta. Nec mirum, peculiare istos usus Legesque Pisæ invasisse, cum, ut Prologus Constitutorum loquitur, non tam civibus illic jus reddendum esset, quam advenis.

*Qui pergit Pisas, videt illis monstra marina,*

*Hæc urbs Paganis, Turcbis, Libycis, quoque Partbis*

*Sordida, Chaldei sua lustrant littora detri:*

scribit Dominico, sub finem seculi XI in *vita Mæthildis*. Cumque in his veteribus Constitutis tam magnus sit Pandectarum usus, itaque ex universo fere jure Justiniano composita videantur, verofimilis est conjectura, Pisanos ante ipsorum compilationem, factam anno communi 1160, imo & ante Analphitanam expeditionem A. 1135, Pandectas possedisse, earumque studio addictos fuisse. Quid? quod Gratianus, sub ipsius Amalphanæ expeditionis

tem-

tempora, duas Pandectarum leges recitat, nec, velut tum primum in lucem Pandectæ fuissent revocatæ; videturque incredibile, statim, ac ex Amalphi Pifas illæ allatæ sunt, exemplar earum in Gratiani manus Bononiam pervolasse. Sed & ante Gratianum Ivo Carnotensis leges Pandectarum retulit, & ante Ivonem Robertus Montensis de Lanfranco & Guarnerio scripsit, eos A. 1032, *reper- tis apud Bononiam Legibus Romanis Justiniani Imperatoris, operam dedisse, eas legere, & aliis explanare.* Alia insuper datur conjectura de Pandectarum apud Pifanos, ante expeditionem Amalphantanam, usu. Abbas Constantinus Cajetanus, *commentario in vitam Gelasii II,* tradit, Pifanos *leges maris* condidisse, quæ A. 1075 Romæ a Gregorio VII Pont. Max. fuerunt approbatæ. Et extant ipsæ *Maris ordinationes* cum Latino & Gallico, tum Italico idiomate, inscriptæ: *il Consolato di Mare,* una cum indiculo, quo loca & tempora notantur, quibus eæ leges receptæ, & in quo Pifani illas Majoricæ incolis tradidisse memorantur, idque factum A. 1115. Habetur etiam Pifis *Breve Maris*, a Pifanis conditum anno Pifano 1323, consistens 192 capitibus, quibus alia capitula subduntur diversis temporibus condita, & alia quædam ex Constitutis usus, A. 1161 compilatis, puta, *de nauulo navium, de jactu navium, de rebus que inveniuntur in mari, de damno navi dato ab altera navi,* quæ capitula cum capitulis Consulatus maris fere con-<sup>stituta</sup>ntiunt, sub rubrica vero: *de jactu navium,* prorsus ea, quæ *tit. ff. ad L. Rhod. de jactu,* statuuntur, imo ipsam *l. 2 illius tit.* referunt. Fortassis hæc ipsa veteris maritimæ legis sunt capitula. Certe non aliis nautici juris legibus usos esse Pifanos, cum sua Constituta compilarunt & deinceps usque ad A. 1323, illud ipsum *Breve Maris*, de quo modo dictum, indicio est: nam ex constitutis usus ista de jure nautico transferri solum voluerunt, alias etiam leges eo relaturi, si tum extitissent. Ponas hanc conjecturam, quocunque lubet loco. Satis luculenter Justinianeï juris, ac speciatim Pandectarum usum antiquiorem civitati suæ vindicavit doctissimus Valsechius, cui quamplurimum debemus, quod tam bene mereri voluerit de obscura adeo illa fatorum juris Romani apud Italos periodo, cujus meliores magi que idonei indagatores & interpretes non sunt, quam domestici: optandumque foret,



foret, ut eruditiores Itali id sibi negotii datum esse intelligerent. Ceterum adiecit Noster *quatuor sententias*, quarum prior, A. 796 lata, juris Longobardici, reliquæ, seculo XII dictæ, juris Romani usum in civitate Pisana conspicue demonstrant & illustrent. Adornavit eas annotationibus probis, & in tribus posterioribus sententiis manifesta juris Justiniani indicia detexit, ut rerum judicatarum auctoritatem adaugeret, quam Clarissimus Grandi jam produxerat.

### Genealogische Tabellen etc.

h. e.

**GENEALOGICÆ TABULÆ FAMILIARUM**  
*nonnullarum Principali vel Comitiva dignitate illustrium,*  
*quas in Hispaniis, Italia, Galliis, Magna Britannia aliis-*  
*que regnis partim florere adhuc, partim defloruisse novimus,*  
*adjecta illustratione historica, ex idoneis scriptoribus &*  
*monumentis, chronicis etiam, tabulis genearchicis, &*  
*necrologiis manuscriptis petita.*

### Pars I & II.

Francofurti ad Mœnum, 1728, 4.

Alphab. 4.

**C**UM ea sit hujus ævi felicitas, ut inter alias omnes artes bonas imprimis illa veritatis lux, Historia, clarius exsplendescat, merito lætamur, esse Viros doctos, qui nostra hac tempestate, instituto veluti certamine, in id incumbunt, ut illa vetustatis nuncia altero oculo, Genealogia, quam rectissime valeat. Inter hos eximium meretur locum Tabularum Genealogicarum, quæ in manibus sunt, Autor doctissimus, in cujus schedis cum essent, quæ ad illustrandas nobilissimas atque illustres propagines facerent, ista communi bono, quamvis nomine modestissime suppresso, in publicam lucem exponere haud gravatus est.

Non intelligemus rectius, quam multa in vulgaribus libellis minus obvia hic legere liceat, quam ex ipso Tabularum Genealogica-

gicarum Indice. Sunt autem Tomi primi Stemmata 1 Principum Rosenbergorum, 2 Comitum & Principum Hornanorum, 3 Ducum Ossunensium, 4 Ducum Escalonæ, 5 Ducum Medinæ Celi, 6 Ducum Medinæ de Rio Secco (ita enim tradere hæc & alia nomina placet, ne fuga Charybdis barbaræ in obscuritatis Scyllam incidamus) 7 Ducum Medinæ Sidoniz, 8 Ducum de Infantado, 9 Gentis Cardonenfis & Cordubensis, 10 Principum Vallis di Taro, 11 Principum & Comitum Columasium, 12 Principum & Comitum Sapiehanorum, 13 Ducum Albæ, Fernandinæ, & Montalti, 14 Ducum Najarensium, 15 Ducum Sulmonensium ex Gente Lanoja, 16 Marchionum Pescarensium & Vastiorum, 17 Comitum Oropesensium, 18 Principum de Espinoy (Spinetesæ latine appellant) 19 Principum Lignensium &c. 20 Ducum Bullioneorum ex Arenbergicis, 21 Principum & Comitum Croyensium, 22 Ducum Thouarsiorum & Principum Tarentinorum ex gente Tremolia, 23 Vice-Comitum Turenniorum, & Ducum Bullioneorum ex Turris Arvernis, 24 Ducum Britanniz, 25 Comitum Vertusiorum, 26, 27 Comitum Armagnacorum, 28 Regiæ familiæ Albretanæ, 29 Ducum Alenconiorum, 30 Comitum d'Evreux (Ebroicensium) 31 Comitum & Ducum Nivernensium (Nevers) 32 Principum Curtiniaci (Courtenay) 33 Comitum de Foix & Candale (Fuxii & Candalæ) 34 Ducum Rohanensium, 35 Montmoranciorum, 36 Comitum & Ducum Villarsii, 37 Ducum Crussolii, Uffii, & Ventadurii, 38 Ducum de Rochefoucault & Rosheguyon, 39 Palignacorum, 40 Ducum Buslerii & Villaregiorum, 41 Ducum Noaliorum, 42 Ducum Aumontii & Villaquierii, 43 Ducum de la Force & de Lanzun, 44 Ducum de Mortemar, 45 Ducum Duratii, S. Simonis, Ruffeci, & Meillerayii, 46 Ducum Luyniorum &c. 47 Comitum Torigniorum, nunc Valentinesium Ducum, 48 Ducum & Comitum Estreorum, 49 Ducum Bervicensium, 50 Ducum Southamptonii, Graftonii, S. Albani, Richemondiz & Comitum Albemarlhorum, 51 Ducum Boltoni, 52 Portlandiz, 53 Marlborougii, 54 Comitum Northumbriæ, 55 Ducum Rutlandiorum, 56 Suffolcensium, 57 Schrewsburiensium, 58 Sommersetensium, 59 Nortfolcensium, 60 familiæ Stanleiz, 61 Ducum Buckinghamii, & Comitum Staffordenium, 62 Ducum Hamil-

miltoniorum, 63 Comitum Burlingtoniorum & Corckiorum &  
 Ducum Queensburenſium & Douvrenſium, 64 Comitum Weſt-  
 morlandiæ, 65 Ducum Sommerſetii ſanguinis Lancaſtrenſis, 66  
 Ducum Novicaſtrenſium (Newcaſtle) 67 Comitum Clarendonii,  
 68 Huntingtonii, 69 Oxfordiæ, 70 Eſſexiæ, 71 Ducum Bedfor-  
 denſium, 72 Comitum Cumberlandiæ, 73 Comitum & Ducum  
 Warwici, 74 Ducum Exoniæ Exceſter) 75 Comitum & Ducum  
 Cantii & Suffolciæ ex gente Graya, 76 Comitum Sunderlandiæ,  
 77 Gentis Bourgchieriæ & 78 Bercklejiæ. Tomi II: 79 Ducum de  
 Gravina, 80 Poliorum, 81 Gandiæ, 82 Friſiæ (Frigidam appel-  
 lant latine) 83 Pennarendæ, 84 Bejaræ, 85 Gentis Egmondæ, 86  
 Comitum Altamiæ, 87 Ducum Albuquerqueiorum, 88 Marchio-  
 num Bedmaræ, 89 Comitum Ognatenſium, 90 Ducum Medinæ  
 del ſ Torres, 91 Ducum Feriæ, 92 Comitum de Cifuentes, 93  
 Comitum Palmæ, 94 Villarmojorii, 95 Ducum de Arcos, 96 de  
 Abrantes, 97 de Cadaval, 98 de Veraguas, 99 Marchionum de Ar-  
 ronches, 100 Comitum de Benavente, 101 de S. Stephano S. Iſte-  
 van del Puerto) 102 Ducum Popoli, 103 Principum de Cellamare,  
 104 Ducum S. Severini & Seſti, 105 Ducum Biſacciæ, 106 Ducum  
 Atriæ, 107 Principum Avellinenſium, 108 Principum Biſignani,  
 109 Ducum Montis leonis, 110 Ducum Bracciani, 111 Ducum Pale-  
 ſtrinatorum, 112 Principum Plumbini (Piombino) 113 Comitum Ar-  
 chinti, 114 Comitum Borrromeorum, 115 Principum Sulmonenſi-  
 um ex Borgeſiis, 116 Principum Ricciæ, 117 Ducum Caſtelli de  
 Sangro, 118 Ducum Onnanorum & Cæſarinorum, 119 Ducum  
 Matalonæ, 120 Gentis Albanæ, 121 Ducum S. Agnani, 122 S. Simo-  
 nis, 123 Grammontiorum, 124 Richeliorum, 125 Gevrenſium,  
 126 Briſſacorum, 127 Meillerayii, 128 Ludenſium, 129 Roquelo-  
 riorum, 130 gentis Coiſlinianæ, quibus obſervationes de complu-  
 ribus familiis Genealogicæ, quæ juſtam tabulæ ſpeciem præbere  
 nequeunt, & equitum ordinis Aurei Velleris nomenclatura, uti il-  
 li anno ſuperiore D. Andreæ Feſto, ordinis ſimul ſacro, extitere,  
 ſubjunguntur. In his autem Autor eruditiffimus ita verſatus eſt,  
 ut Tabulis illis præmiſſis, explicationem quandam Hiſtoricam  
 ſubjecerit, cum aliis minoribus Tabulis paſſim interti illuſtra-  
 tam, tum variis etiam ſepulchralibus Inſcriptionibus, Diplomati-  
 bus.

busque maximam partem ineditis exornatum. In calce uniuscujusque dissertationis historicæ Scriptorum mentio facta, quibus usus est Amplissimus Autor, rariorum fere, sæpius etiam Manuscriptorum. In hunc modum Columnensium res p. 59 & sequentibus monumentorum sepulchralium Epigrammatibus ubique velut totidem gemmulis sunt distinctæ. Sapiehanæ domus notitia p. 78 diplomatibus aliquot suffulta, & ex probatissimis monumentis conscripta, non potest non esse gratissima. Spinetenium Principum Genealogia p. 103 ex MSto commodum editur, maxime quod illa in Ludovico Melodunensi, Spineti Principe, Duce Jojo-  
fæ, Pari Franciæ, A. 1724 defuncto, desierit. Stemma Ducum Thouarsiorum & Principum Tarentinorum ex Tremoliis p. 140 perlustrasse, harum rerum studiosum haud pœnitebit; Manuscriptorum fidei enim & hæc maxime innituntur, uti Indiculus Autorum, & Excerpta Genealogica ex Instrumentis Arcis Mercurianæ in calce adjecta satis testantur. Albretanæ domus res exornat p. 212 Contractus factus inter Dn. Amanyon Sire de Albret & ejusliberos ex MSto editus, ex quo apparet consuetudo usitata domus de Albret, successionem & favorem primogeniti attingens. Montmoranciorum stirps p. 285 ex Genealogia MStæ excerpta ex titulis Canonicorum de Montmorancy & archivis Dni Connestabilis, ut & ex Excerptis ex Inventario MSto Castri de Chantilly traditur. Gentis Levifæ, Rupifucaldæ, aliarum res genealogicas non minus idoneis monumentis niti, inspicienti patebit. Nos ad commendationem operis, hedera licet nihil indigentis, satis dixisse opinamur.

**SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM,**  
*præcipue Saxonicarum, &c. Ex Bibliotheca sua aliisque*  
*edidit JOH. BURCHARDUS MÛCKENIUS,*  
*Potentissimo Regi Poloniæ atque Electori Saxonie a Consi-*  
*liis Aul. & Historia, Hist. in Acad. Lips. Prof. Publ.*  
*& Societat. Reg. Britann. & Boruff.*

*Socius.*

**Tomus II.**

Ss

Lipsiæ.

Lipſiæ, impenſis Job. Chriſtiani Martini, 1728, fol.

Alph. 12 c. fig. æn. 4.

**I**lluſtris Cperis Tomum II, memores promiſſi, nunc pro meritis Scriptorum egregiorum, quæ in eo continentur, ſiſtemus eo alacriori ſtudio, quod ea ſolam Hiſtoriam patriæ noſtræ concernunt, & ex MSOtis fere tantum, quæ conſervari merebantur, heic ſunt collecta. Primum locum occupat *Pauli Langii Chronica Numburgenſis omnium Episcoporum, qui ab Ottone M. usque ad Carolum V continua ſucceſſione rexerunt*. Langius, Zwicciaviæ natus, e familia S. Benedicli monaſterii Boſavienſis prope Eliſtram, Trithemii diſcipulus, & Hiſtoricus, ſcripſit Numburgenſe hoc Chronicon A. 1532 & ſequentibus. Hoc quamvis conveniat in multis cum Chronico ejusdem Citicenſi, *Tomo I Piſtorii* dudum inſerto, quod & copioſius eſt, & integra exhibet diplomata, ad quæ heic tantum provocat, multa tamen etiam habet, quæ illic fruſtra quæras. Pervenit in manus Cl. Editoris Codex avtographus, quippe eadem manu quædam emendata deprehenduntur, & dedicatio, vernacula licet, heic quoque inſerta, haud fruſtra videtur præmiſſa. Continet is utrumque Chronicon, tam Latinum, quod integrum heic exhibetur, quam vernaculum, ex quo illa loca, quæ in Latino non extabant, in notis ſubjectis, Latine reddita, conſpiciuntur, conſulto nonnunquam Chronico illo Citicenſi. Cum vero Citicenſe tantum procedat ad annum usque 907, in Numburgenſi tamen Autor ad A. 1536 excurrit; & prius quidem hoc Numburgenſe exaratum eſſe ab Autore, ex eo patet, quod in hoc paſſim in Lutherum inſurgat, & Georg. Spalatinum, Cizæ concionantem, refutet, cum contra in Citicenſi non modo mitius cum Luthero agat paſſim, verum & in *edit. Piſtor. nov. f. 1281* Lutherum, ceu *Theologorum ſuæ tempeſtatis omnium facile ſapientiſſimum & Principem*, multis elogiis cumulet, eumque *invictum ſe hæctenus præſtiſſe*, teſtetur. II comparet *Anonymus de fundatione & benefactoribus Eccleſiæ Pegavienſis*, cum Editoris noſtri *Catalogo Abbatum Pegavienſium, & diplomatibus ad idem monaſterium pertinentibus*. In Codice nimirum Bibliothecæ noſtræ Academicæ Paullinæ exhibentur celebris apud nos Abbatæ Pegavienſis acta quædam cum diplomatibus, e quibus de privilegiis & bonis ipſi

p. 65.

18, 20, 26, 55,

85, 88.

97.

102.

ipfi comparatis constare potest: atque his Noster inseruit Catalogum Abbatum, quamvis vigesimi tertii nomen nullibi potuerit detegere, nec post XXIV quisquam compareat, forte quod post Simonem, in vestis Protestantium sacris, Abbatum dignitas exolevit. Sequitur III *Calendarium Pegaviense*, quod Ill. *Hoffmannus* in *Introduct. ad Scriptores Lusat. f. 8* dudum commendavit. Usus ejusdem haud erit exiguus, cum dies summorum Principum emortuales heic accurate designentur, ut Friderici Imperat. ad XI Kal. Junii 1190, Adolphi Imp. occisi ad V Non. Jul. 1298, item depositio Innocentii Papæ XVI ad Kal. Aug. 1216; præterea multorum heic conservatur memoria, de quibus frustra alibi quæseris. Ita memorantur hic consanguinei & affines Wicperti fundatoris, Wicpertus pater ejus & mater Sygena, Wicpertus item Comes filius, Henricus Marchio filius, ejusque uxor Berchta Comitissa filia fundatoris, ut consanguineos Abbatum quorundam, aliquot Archi-Episcopos Magdeb. item Præsules Mersburg. & Numburgenses ac Comites de Lyzenic, qui cœnobii hujus fratres fuerunt, nunc taceamus. IV occurrit *Chronicon Montis Sereni seu Lauterbergense*. Usus ejusdem, ante A. 400 scripti & sub *Conradi Lauterbergii* nomine sæpe citati, nemo, nisi in historia plane hospes ignorat, cum ex vetustis habeamus neminem, qui majori apparatu de rebus nostris sit commentatus, quive magis res Genealogicas illustraverit. Equidem primus jam pridem *Maderus* Helmstadii 1665, & denuo Cel. *Hofmannus Script. Lusat. T. I.* idem produserant in lucem. Verum illa editione rarius se offerente, hac vero, absente Editore, sphalmatibus corrupta, a quibus nec Maderiana erat vacua, *Menckenius* noster non una ex parte operam afferre utilissimo operi tentavit. Etenim *Chronicon Vetero-Cellense*, in quo integra fragmenta ex Lauterbergensi emendatius quam in hoc ipso afferebantur, in illis locis contulit; habuit præterea in manibus duos Codices versionis vernaculæ ejusdem *Chronici Cellensis*, indulgente alterum *Cl. Jo. Matthia Gesnero*, Bibliothecario Saxo-Vinariensi, sub tit. *Chroniken der Marggrafen von Meissen*, quod propter nonnulla de rebus Florentinis in fine a Joanne Pucheler cive Florentino addita circa A. 1488, eidem totum falso tribuerat Schurzfleischius: alterum sub

p. 107.

155.

156.

- rubrica: *Chronica der Marggrafen von Meichsen, und wie sie an die Marggraffschaften und Fürstenthümer kommen sind, nach laut der Chronica auf S. Peterberg, Norimberga communicatum ab Ill. Jacobo Imhoff von und zu der Weidemühl*; quibus non sine fructu usus est in notis Cl. Editor: plura tamen se debere profiteretur Illustrissimo Ludovico Ottoni Nobili Domino de Plotbo, Potentissimo Regi Borussiae a Consiliis sanctioribus, qui ex instructissima Bibliotheca sua non modo varias lectiones Codicis Chronici Montis Sereni satis vetusti, qui olim Petri Albini ac deinde Seidelii fuisse memoratur, ad Maderianam editionem exacti, verum etiam Supplementum ejusdem nondum editum antea, cujus in re genealogica usus insignis esse potest, liberaliter ad Nostrum transmisit, ut adeo hic omnino e re duxerit, opus totum ad Maderum recusum, & notulis quæ potissimum varias lectiones repræsentant, subinde illustratum hic sistere. V *Chronicon Terræ Misnensis*, quod A. 1720 cum Annalibus Vetero-Cellensibus ediderat Cel. Struvius, ex singulari Codice, de quo conferri meretur ejus Præfatio, heic repetita. Quæ Chronica, ne parvitate sua perirent, huic corpori videbantur inferenda, maxime cum & hic suppeterent auxilia e Bibliotheca Lips. Academica. Illic enim Chronici istius, quod Struvius inde ab initio mundi repetitum dederat, lacinia non contemnenda, res scilicet ab A. 1431 ad A. 1486 complexa, & quidem longe emendatior atque auctior inveniebatur, unde in prioribus quidem solus *Struvianus* textus est adhibitus, inde vero ab A. 1431 ad finem Codex Lips. MSCtus est expressus, ita tamen, ut si quæ exhiberet textus Struvianus, quæ heic non extabant, ea suo loco, sed diversis literis, infererentur, rejectis simul in notulas lectionibus variis, unde nunc demum integrum opus prodit, quamvis non usquequaque sibi simile, cum in prioribus Struvianis moderna scribendi ratio locum invenerit, hæc vero lacinia Codicis lectionem retineat. Ceterum scripsisse Autorem sub Friderico III A. 1483, patet ex loco, qui in Struviana editione non extat: nec videtur tenuis fortis homo & plebejus, ut sibi persuasit Cl. *Struvius*, cum familiariter satis versatus fuerit cum Nuntio Bartholomæo de Marafchis, qui ad conciliandos Fridericum Imperatorem & Matthiam Ungariæ Regem a Pontifice, quanquam frustra,

stra, missus fuit, cujus quidem nec tacet n̄vos scriptor verax, ut ex alio loco, qui pariter exulat apud Struvium, colligitur. VI *Annales Vetero-Cellenses Historiam Misniae Marchionum continentes*. Non ideo quidem hoc nomine dicuntur, quod de Veteri Cella agant, de qua pauca admodum hic occurrunt, sed quod Autor monachus fuerit Vetero-Cellensis, qui Annales hos ex Chronico Montis Sereni aliisque confarcinavit. Fabricius eos sua manu descripserat, Albinus vero, Spalatinus, Peckenstein sapius ad illos provocant. Struvium imprimis, qui hos Annales cum Chronico antecedenti vulgaverat, hic sequi visum fuit Cl. Editori, ita tamen ut versiones illas duas vernaculas, supra memoratas, Schurzfleischianam ac Imhofianam, imo & ipsū Chronicon Montis Sereni continuo adhiberet, unde loca corrupta & nomina imprimis propria locorum emendare ipsi licuit. Annales hosce intra paucos annos Jo. Petrus de Ludewig & Jo. Fridericus Schannat, ille in *Reliquiarum MS. T. VIII p. 172 seq.* hic in *Vindemiis liter. P. 2 p. 74*, ceu haecenus ineditos, sub rubro diverso produxerunt, nullam Annalium Vetero-Cellensium mentionem facientes. Ex quibus in Appendice ad hunc *Tomum II sub num. 32*, adjectæ sunt varix lectiones, & loca quædam ac supplementa in Struvii Codice desiderata. Et Ludewigianum quidem Codicem, qui post Struvii & Schannati editos prodit, tam quoad textum, quam Chronologiam esse corruptissimum, & Struviano multo inferiorem, ex observatis in *Actis nostris A. 1727 p. 182*, & speciminibus hisce abunde intelligitur, nec in illo plura tribus, quæ in nostro defunt, loca invenies. Ast Schannatano nomen imposuit editor *Job. Tylichii*, Præpositi S. Mauritii prope Numburgum, qui se ipsum etiam Doctorem Decretorum & in studio Lipsiensi Lectorem vocat. Cumque illud res antiquas, quæ ante Autoris ætatem acciderunt, eodem fere ordine & iisdem fere verbis, quibus nostrum Chronicon, recenset; dubium subnascitur, utrum *Vetero-Cellensi* huic inscriptio ista sit relinquenda, an verò nomen *Job. Tylichii*, Vetero-Cellensis, nemini antea cognitum, ei præfigendum. Priorem sententiam firmat, quod Fabricius & Albinus hoc Chronicon dixerint Vetero-Cellense, & non credibile sit, Tylichium eo processisse audaciæ, ut res antiquas ex alio

p. 373.  
377.

3175.

314.



Autore verbotenus exscriptas pro suis venditaret. Alteram sententiam juvat, quod Schannati editio plura in epitomen contrahat, & in Struviano ac Ludewigiano Codice ex Chronico Montis Sereni adjecta vel omittat, vel paucioribus exprimat; præterea in Ludewigiano legantur ea, quæ satis clare Autorem Joh. Tylichium produnt, v. eund. p. 207 & p. 255, & Schannat. p. 80. Hinc lectori dijudicandum erit, utrum hoc Chronicon Anonymo, an *Job. Tylichio* sit vindicandum, qui forte diversis exemplaribus id conscripserit, quorum alterum fuerit plenius, alterum contractius, uti solebant interdum Autores. Ceterum Chronicon, ex Struvio heic insertum, definit A. 1375, Ludewigianum A. 1346; pergit *Tylichius* apud Schannatum usque ad A. 1420, cumque in ejus continuatione res contineantur, quæ Autoris ætate accidere, optimo consilio istas in hoc opere Appendicis loco cum collationibus cernes adjectas l. c. Accesserunt postea quædam vernacula ex Codice versionis Schurzfleischiano non contemnenda, sub lemmate: **p. 417.** VII res Misnicæ ab A. 1426 ad A. 1488 versioni Germanicæ Chronici Vetero-Cellensis additæ, & *Job. Puchelero* adscriptæ a C. S. Schurzfleischio. Extabat præterea in Bibliothecæ Lips. Academicæ membrana VIII Chronicon Vetero-Cellense Minus, ex quo excerpta dederat *Tentzelius* in *Bibl. Cur. ad A. 1704 p. 1063*, quod hic **435.** integrum a tempore Caroli Magni conspicias, maxime quod Chronologia Principum nostrorum hinc mire juvari videatur. Huic ex alio ejusdem Bibliothecæ Codice, in grandissimo folio varato, Monumenta quædam Veterem Cellam concernentia & dedicationes altarium & capellarum in eadem hoc loco videbis adjuncta: aliqua ex istis publicaverat *Cel. Job. Conr. Knauth*, in Chronico suo Cellensi, plura tamen spicilegia reliquit, & ab ejus lectione subinde, inspecto studiosius codice, fuit discendum. Ipse Codex Chronici Cellensis Minoris inscribitur *de tribus precipuis circumstantiis gestorum, i. e. personis, locis, temporibus*, qua ratione Autor memoriz discipuli, quem Filium vocat in præfatione, consulere instituit. Itaque non plenam suppeditat rerum narrationem, sed primas quasi lineas ducit historiz, in gratiam discipuli; unde Chronicon ab origine mundi mera fere nomina usque ad nativitatem Christi exhibet, dehinc vero duabus paginis omnia

omnia distinguit, Pontifices & res Ecclesie in una, Imperatores vero & res seculares in altera describens, quem ordinem tamen, post A. 1100 ob rerum ubertatem deserit. Hinc illa, quae Caroli M. aetatem praecesserunt cum proluxa operis praefatione haec praetermissa, & a Carolo M. demum consilio Tentzelii res descriptae sunt. IX *Erburdianus antiquitatum variloquus*, ab A. 438, quo conditum tradit Erfurtum, ad A. 1517 porrigitur. Debetur is Ill. J. G. ab Eckardt, qui & totum *variloquum* cum Lamberto Schaffnab. ejusque continuatore, Monacho Erfurtenfi, studiose contulit, unde multa illustrata, hiulca vero suppleta. Dolendum enim est, Scriptorem, dudum omnibus desideratum, integrum adhuc dari non potuisse. Equidem B. Casparus Sagittarius *Variloquum* v. Tom. I hunc in eodem Codice, qui Legendam S. Bonifacii continebat, ut Script. Sax ipse testatur in Epist. de Ant. Statu Thur. p. 60, afferaverat, unde cum reliquis Sagittarianis idem venit in manus B. Polyc. Leyseri: sed ut idem Codex lacunis multis laborabat, ita nullae hinc suppletionis fuerunt sperandae, cum ex eo ipso Codice praesens exemplum videatur descriptum. X *Chronica Erfurdensis civitatis*, quorum Autor creditur Theod. Engelhusus, ab eodem Cel. Eckbarcto communicata, qui & ex eo, quod in binis Codicibus Bibliothecae S. Crucis Hannoverae subjuncta deprehenderet majori Chronico Engelhusi, jam pridem edito, eidem adscribenda judicavit, in quibus breviter admodum res ab A. 478 ad A. 1422 Autor tangit. XI *Chronicon & Annales Torgavienses ab A. 1406 ad A. 1601* recentiorum quidem Autorem habent, hucusque ignotum, qui vernacula Annales hos composuit, quos, cum pauca haecenus de hac urbe in lucem prodierint, in Latinam linguam decenter transferri, & haec inseri Cl. Menckenius curavit. XII *Georgii Spalatini Chronicon & Annales ab A. 1513 ad finem A. 1526*. Clarissimum reformationis tempore nomen fuerat *Spalatini*, qui Johanni Friderico a studiorum institutione, & Friderico Sapienti Electori Saxoniae a Secretis pariter ac Concionibus Aulicis fuit, summis, quoad vixit, rebus adhibitus, & ad Comitia non una vice missus, ut adeo in negotiis arduis pars magna fuerit. Plura de hujus vita quin repetamus, otium nobis fecere Caspar Sagittarius & Christoph. Schlegelius; illud tamen ex Diario nostro notandum, quod Nicolaum Mare-

p. 461.

v. Tom. I  
Script. Sax

61.

565.

589.

- p. 630. Mareschalculi Thuriium , quem legationi a Megapolitano in Saxoniam missæ interfuisse testatur , Præceptorem suum vocet , qui in historiis ipsemet egregie versatus , Spalatino forte tantum Historiarum amorem inspiraverat , ut primus postea Saxoniz Historiographus constitutus , multa reliquerit scripta historiam nostram illustrantia , e quibus paucissima adhuc lucem adspexere , quædam vero post fata Viri longe nunc extra Saxoniam sunt translata. Hoc in numero fuit Chronicum nostrum seu potius Diarium , ipsa autoris manu scriptum , & ab Ill. *Raymundo Krafft de Dellmenzingen* , Reipublicæ Ulmenfis Consule , liberaliter communicatum , quod in rebus ad Caroli V electionem , cui noster cum Friderico Sapiente interfuit , spectantibus , aliisque ab A. 1513 ad A. 1526 , non in Saxonia modo , sed & alibi per Germaniam gestis , eximium præstabit usum. Ceterum aliud quoque ejus Diarium ab A. 1519 ad A. 1542 in Archivo Vinar. adhuc superesse , testantur *Seckendorff in Hist. Luther. & Tenzel. in Colloqu. mensr. ad A. 1671* ; de reliquis scriptis vernacula ab isto exaratis , cum de latino quoquam præter hoc nostrum nobis non constet , suo loco inferius dicemus. XIII *Abrab. Thammii Chronicon arcis & urbis Coldicensis*. Magnæ fuerat apud suos Thammii autoritatis , Consul & Scriba Coldicensis , cujus Chronicon vernacula hæcenus in paucorum manibus extans , Latinitate donatum , in publicum protraxit Cl. *Editor* , resicans tamen superflua & fabulas redolentia , ubi Berosi autoritatem Autor secutus , Colduos suos ex arca Noz produxit. XIV *Pauli Martini Sagittarii Diff. de Rochlitio*. Producentur scilicet hic aliquot Viri in rebus patriis perindustrii , Concionatoris Aulici & Superintendentis Generalis Altenburgici , qui magna felicitate Scriptores Saxonicos passim emendavit , Dissertationes , quas scholæ præfectus , & nondum Ministerii sacra ingressus , Altenburgi per modum Programmatum publicaverat , raritate cum MSCtis certantes , ex quibus hæc ipsa de Rochlitio Altenburgi A. 1677 in 4to prodiit. XV *Ejusdem de nummis Saxonie Ducum Dissertationes VI* , ibidem 1679 totidem Programmatibus exscriptæ , tantæ raritatis , ut diligentissimum Tenzeliam fugerint , & Altenburgenfes Biographi eas inter scripta ejus anecdotâ numerent. Continuare easdem , deque  
Tha.

Thalero imprimis agere constituerat, nisi eodem anno, ut ex ultima Diff. patet, e schola in cathedram Eccles. vocatus, abrumpere filum coactus fuisset. Cum vero Editor Cel. servaret in Bibliotheca sua ejusdem *Syllabum monetae cupreae Saxonicae, linea Electoralis*, ex Autographo descriptum, nec antea editum, cum in *prima Appendice* statim adjunxit, & Diff. ejusdem *de Comitibus Palatini Casarei dignitate ab Imperatore Maximiliano I Friderico Sapientis Electori Saxoniae collata*, cujus mentionem fecerat Diff. VI de nummis, *Appendicis secunda* loco subjecit. XVI Succedit *Ej. Diff. de locis sepulchralibus Serenissimae familiae Wittekindeae, ab excessu Ottonis Divitis*, qua Illustris Domus Saxonicae Viri Faeminaeve, Altenburgi, in Cella Veteri, Cizza, Coburgi, Cruceburgi, Dresdae, Erfurti, Freiburgi, Gothae, Halae, Jenae, Isenaci, Lipsiae, Magdeburgi, Martisburgi, Misnae, Portae, Reinhardisbornae, Salfeldiae, Suselizii, Torgaviz, Vimarum, Weisenfelsae & Wittenbergae sepulti, allegatis plerumque diebus emortualibus, breviter & succincte recensentur. Verum par erat, ipsas monumentorum inscriptiones in lucem proferri; hinc accessere XVII *Samuelis Reyheri Monumenta Landgraviorum Thuringiae & Marchionum Misniae*, Gothae 1692 in fol. typis exscripta, figurisque elegantissimis longe plurimis exornata, eaque tantae hactenus raritatis, ut vix unum alterumve exemplar & quidem integrum extra Gotham fuerit visum, ita vero nunc recusa, ut figuris, quae collectionis hujus pretium aucturae erant nimium, omnibus omisissis, notae tamen Clarissimorum Virorum, *Hortlederi & Tentzelii*, quae exemplo in Bibliotheca Regia extanti hujus manu adscriptae erant, a Cl. Bibliothecario Regio, *Sigismundo Gottlieb Seebisch* hunc in usum communicatae, ut & varia monumenta, Reyhero haud visa, suo loco ex *Andr. Sennerti* Athenis Witteb. & *Dav. Schirmeri* Conditorio Saxon. Fribergensi adderentur; unde multo nunc utilior & novus quodammodo hic liber figurarum jacturam accessionibus hisce jucunde pensabit. Ceterum etsi nomen praeposuerit *Samuel Reyherus* J. U. D. & Mathem. in Acad. Kilon. P. P. plerique tamen eum patris ejus potius, *Andreae*, Scholae Gothanae Rectoris, qui Principis sui munificentia adjutus, pleraque monumenta suis

p. 787.

786.

789.

782.

797.

809.

- p. 886. oculis inspecta delineari curaverit, industriae debere existimant. Singulare Collectionis hujus ornamentum est XVIII *Wilb. Ern. Tentzelii Fridericus Fortis redivivus, hoc est, vita & fata Friderici Fortis sive Admorfi Landgr. Thur. & March. Misn.* Nihil unquam ornatus & majori eruditionis apparatu elucubraverat Cel. *Tentzelius* hoc ipso opusculo, quod paulo ante mortem Lipsiam secum attulit, & nitide sua manu descriptum, obtulit Typographis, non dissimulans, quanti sibi labor constiterit. Sed ab his rejectus, quod pretium operæ nimium statuere visus esset, se scilicet Joachimicos, Dresdam rediit, librumque Viro dexterissimo, *Jo. Christ. Müldencro*, Potent. Regi Polon. & Elect. Sax. a Consiliis Aulæ & Justitiæ, transcripsit, a quo illum tandem justo pretio redemit & ab interitu vindicavit Noster. In eo diligentissimus Autor tum bella inter Fridericum & Patrem Albertum, Erfurtenfes aliosque, qui hujus partes sequebantur, gesta, tum quæ ad hæreditatem Friderico illi a Conradino & Italis ipsis destinata, sed pessimis Patris consiliis impeditam faciunt, luculenter admodum, Archivi subinde subsidiis confirmatus, descripsit.
- 1015 & 1057. Huic *Jo. Garzonis Bononiensis Rerum Saxonicarum libri duo*, ut & *Philippi Melancthonis Oratio de Friderico Admorfo*, cum notis & emendationibus *Tentzelii*, qui hæc addi ob materię affinitatem cupiebat, subjunguntur, licet Garzonem inter Scriptores Lusatiz recudi Cel. *Hofmannus* curaverit. Merentur enim variaz sectiones & perpetuus ille errorum index, quem subjecerat *Tentzelius*, tum & testimonia de Garzone studiose collecta, ut publici juris fierent. Patet ex his, Autorem extraneum & rerum nostrarum haud gnarum pleraque ex Erasmi Stellæ communicatis hausisse, quæ intermixtis, ut historicus videretur, Orationibus & Epistolis spuris deformavit magis, quam ornavit, in sermone plerumque comtus, sæpe tamen, vitio, ut creditur, descriptorum, barbarus; *Indices locupletissimi*, a Typothetis erronee in titulo indicati, indici universali Collectionis hujus alio tempore inferrentur. XIX *Georg. Spalatini vita aliquot Electorum & Ducum Saxonie inde a Friderico I sive Bellicoso, usque ad Johannem Fridericum*. Codex libri satis vetustus, ex instructissima Menckiana Bibliotheca depromptus, conscriptus erat ab Autore lingua  
ver-

vernacula, in gratiam eorum, qui nostra non intelligunt, in Latinum nunc idioma traductus. Propositum fuit Autori, pro sapientiam Ducum Saxoniz, inde a Friderico, Bellicoso (quod elogium tamen, a nostro quippe haud memoratum, recentius videtur) ad Johannem ejusque liberos deducere, simulque notatu digniora de quovis breviter percerere, licet in rebus, quibus ipse interfuit, uti circa nuptias Johannis, justo fuerit prolixior, quæ tamen prisca moris cupidis haud ingrata erunt. Sed hæc hætenus; ne nimis prolixa ejusdem operis recensione molesti simus: quæ de XII scriptis aliis, in hoc Volumine exstantibus, dicenda superfuit, proximo Mensi reservamus.

CAMERA ET INSCRIZIONI SEPULCRALI  
de Liberti, Servi ed Ufficiali della Casa di Augusto &c.

h. e.

CONDITORIUM ET INSCRIPTIONES  
*sepulchrales Libertorum, Servorum aliorumque, qui Imp.  
Augusto erant ab officiis, detectæ in Via Appia, & anno-  
tationibus illustratæ a FRANCISCO BIAN-  
CHINI, Veronensi.*

Romæ, apud Joan. Mariam Salvioni, 1727, fol.

Alph. 1 pl. 2 Tabb. æn. maj. 6.

**I**nfigne hoc antiquitatis monumentum, quod Novembri mense A. 1725 in vinea quadam ad viam Appiam, uno, & quod excedit, ab Urbe lapide, effossum fuit atque detectum, dignum utique fuisse, cui describendo explicandoque operam commodaret suam Cl. *Bianchini*, editis ad Anastasium Bibliothecarium Commentariis insignis, omnes fatebuntur, quibus perlecto hoc opere, illius præstantiam cognoscere datum fuerit penitus. Conditorium est, pro asservandis cineribus Libertorum, Servorum aliorumque, qui tum ipsi Imperatori Augusto, tum conjugii præsertim Liviz a domesticis officiis fuerant, magnifice admodum, & pro seculi Augustæi more opere tessellato exstructum. In singulis,

lis, quæ vocant, columbariis, sive loculis, duæ cinerariæ defunctorum olle repositæ conspiciuntur, additis inscriptionibus, quibus demortui nomen atque officium designatur, & quæ millenarium numerum longe excedunt, unde facile aulæ Cæsareæ, integris ministrorum cohortibus superbientis, magnificentiam cognoscas. Postquam Cl. Editor internam monumenti structuram curate sub operis auspiciis delineavit, ad ipsas inscriptiones sepulchrales exhibendas, & magno cum antiquariæ eruditionis apparatu explicandas accēdit, atque hac occasione neququam proletaria, de variis apud antiquos fervorum, quibusque præferti iidem fuerant, officiorum, generibus affert, *Pignorii* aliorumque de his Commentariis illustrandis maxime comparata. Dolendum interim est, quod illorum, qui effodiendo huic antiquitatis thesauro adhibiti fuerunt operarii, negligentia, & *Francisci Benci*, vineæ, quam diximus, Possessoris, intempestiva ac nimia festinatione factum sit, ut minor, atque par fuerat, cura habita sit lapidum integre conservandorum; quorum non minima pars læsa est, reliqua vero jam in eminentissimi Cardinalis *Alexandri Albani* Museo asservatur. Ceterum ne minus decore laciniam vestri eleganti detrahere videamur, librum non magnum harum deliciarum cupidis totum perlegendum relinquimus.

*APPARATUS S. ENTHYMEMATICO-  
Exegetici Pars altera, observationes in novum Fœdus ex-  
quisitiores comprehendens; Autore M. HARTWICO  
BAMBAMIO, Ecclesiae in patria Petro-  
Paulino.*

Hamburgi, apud J. W. Fickweiler & C. W. Brandt, 1727, 8.  
Alph. 1 pl. 18.

**P**Arti priori hujus operis, explicationi Scriptorum sacrorum Antiqui Fœderis inservienti, & in his Actis Supplem. T. IX Sect. IX recensitæ, succedit posterior, quæ ad intelligendos Novi T. libros facit, in cujus præfamine Pl. Rev. Autor multa Cellergii scriptis, & quædam B. Dorschei in Acta Apostolorum  
com-

commentario, nondum in lucem editis, se debere fatetur, atque priorem partem ab animadversionibus cujusdam Cenforis vindicat. In *prima* sectione generales exhibet observationes, versaturque in exponendis variarum lectionum causis Obs. I—VI, in instrumentis discernendi genuinas a spuris VII, in examinanda, quæ de iisdem est, Erasmi regula, VIII, in pretio illis statuendo, IX. Tum ad versus distinctiones accedit, & a Rob. Stephano factas, etsi non careant notis, X, temere mutandas negat XI, additque, distinctiones minores multos defectus compositionis & divisionis secum ferre, Apostolos sua scripta distinxisse, sed librariorum idem facere obreptorum in scribendo neglexisse, XII, receptas non repudiandas, XIII, de accentibus idem habendum, XIV, & lectionem originalem non temere sollicitandam, XV. Hinc pergit ad stylum & contendit, libros N. T. dialecto communi esse exaratos, XVI, vocum, quæ in his habentur, usum esse eundem, qui in profanis scriptoribus & communi loquendi consuetudine observetur, XVII, illos carere barbarismis, XVIII, solæcismis, XIX, & hebraïsmis, XX, nec stylum eorundem Hellenismi nomine traducendum, XXI, XXII, etsi quædam vocabula novam vim & significationem acceperint, —XXVI, operamque dandam, ut vocabulorum significatio recte ernatur, —XXX, & attendatur, num articulus præpositivus, *ὁ, ἡ, τὸ*, subjecto, cui proprius, an prædicato sit additus, XXXI, & quæ particularum vis sit, XXXII, nec sine gravi causa enallagen, ellipsin & similes figuras Grammaticas statuendas, XXXV. Deinde suppeditat regulas, quarum usus est in interpretatione oraculorum Veteris Testamenti in Novo allegatorum, docetque, de Christo adducta secundum sensum literalem de eo loqui, quædam non nisi per accommodationem esse adhibita, & modos ea adducendi esse varios, —XLIX. Postremo his nonnulla subjungit de peculiari quarundam vocum significatu, de rebus ad N. T. pertinentibus, atque illis oraculis, quæ ex antiquitate Judaica optime illustrantur, —LXVIII. In sectione *secunda*, quæ generales ad quatuor Evangelistas observationes continet, agit de Evangelistis Obs. I—VI, de Johanne peculiariter & discipulis communiter—



IX, de quibusdam formulis loquendi ab Evangelistis adhibitis—XIII, de Jesu n. in minimis—XVIII, de argumentis, quibus se esse Messiam probavit,—XXI, de ejus genealogia—XXX, orationum circumstantiis, argumentis & auditoribus, imprimis parabolis,—LXXXIV, actionibus & passionibus—CXVI, dictionibus Evangelistarum singularibus, & Domini rebus gestis,—CXXXII. Differens in sectione *tertia* de specialibus, ex Evangelistis suggerit pauca de *Matthæo* Obf. I—VI, de *Marcò*—IX & de *Luca*—XV, plura vero de *Johanne*, quem canonem N. T. disposuisse, I ordinis rerum ac sermonum præ reliquis Evangelistis studiosum fuisse; II mysteria oratione simplici & plana exposuisse, III præcipuos fidei Christianæ articulos de Trinitate, de Christo, de libero arbitrio, de regeneratione, de justificatione, & de fide salvifica luculenter proposuisse, & confirmasse,—XXVIII, & peculiari dictione usum esse,—LVIII ostendit. Cum in locis Evangelistarum, quæ sibi repugnare videntur, conciliandis multa sit posita, in sectione *quarta* sistit canonum harmonicorum duodecada, traditque, omnes Evangelistas justum temporis ordinem in historia Evangelica observare I; hystorologias, si quædam occurrant, ordini historiarum nequaquam præjudicare, II; temporis & loci diversitatem certissima esse criteria, historias, quæ prima fronte videntur eadem, pro diversis habendas, III; easdem conciones a Christo sæpius repetitas, & varia miracula, quæ fuerunt similia, sæpius ab ipso facta; IV; actiones aliquo modo parallelas, non pro iisdem habendas, V; paucularum circumstantiarum varietatem non ostendere, in varias historias dispescendas esse narrationes, non per omnia similes, si cetera consentiant, VI; nec contradictionis nec corruptionis suspicionem esse, ubi exigua varietas circumstantiarum aut ordinis in narratione unius ejusdemque historię occurrat, VII; Spiritum S. historicam Evangelistarum seriem ita disposuisse, ut mutuas invicem conferrent operas ad historię ordinem atque complimentum, VIII; quod historię apud Evangelistas sæpe conjungantur, ideo factum esse, quod non unus Evangelistarum omnia Christi facta conscribere debuerit, IX; sic ubi

ubi narratæ historiæ unus Evangelista hanc, alius aliam subjicit; tenendum esse ordinem historiæ ejus Evangelistæ, qui manifestiorem temporis notam & seriei historicæ suppeditat, X; unum Evangelistam explicare alterum, XI; quo harmonia Evangelica eo concinnior sit, observandum esse, quod apud Johannem tria priora ministerii Christi paschata numerentur, secundum quæ historia commode digeri possit, XII. His lectione *quinta* addit specimen Theologiæ veræ Apostolicæ triginta aphorismis inclusum, in quo totidem religionis Christianæ dogmata ex Actis Apostolorum egregie corroborantur. Extremo lectione *sexta* ad libros Apostolicos transt, agitque non tantum de Apostolorum personis, dictione, ratione connectendi & proponendi dogmata in epistolis, *Obl. I—XXXI*, sed etiam peculiariter de epistolis primum Pauli, quarum stylus non sit *κρησεγαμμεν*, sed *εἰς ἑμέ*, & vocibus, quæ singularis sint significatus, atque argumentis, mysteriis, & præcipuis fidei articulis, —*CXLIII*, tum *Petri—CLIII* deinde *Jacobi, CLV*, & postremo *Johannis, CLXX*. Variorum locorum N. T. illustrationes & explicationes, cum communes, tum singulares, in hoc scripto extare, patet, quarum tamen selectus Benevolo Lectori, cum ita non possit institui, ut unicuique satisfiat, relinquitur.

**GOTTLIEB STOLLII INTRODUCTIO IN  
Historiam litterariam. Latine vertit CAROLUS  
HENRICUS LANGIUS.**

Jenæ, apud viduam Joannis Meyeri, 1728, 4.

Alph. 5 plag. 11.

**M**iro cum applausu ab eruditis, qui rei essent litterariæ studiosi, hic liber fuit exceptus, cum primum in lucem prodisset, atque nobis etiam in *Actis* ad A. 1718 p. 558 ex merito commendatus. Dum vero inter hæc semel atque iterum, anno primum 1722, post A. 1726, illius repetenda fuerat editio, insignibus abs Cel. Autore supplementis quælibet instructa, dolebant

bant interim exteri, ab usu se atque lectione libri hujus elegantis vernaculæ nostræ ignoratione arceri, atque, ut vel primum Latine fuisset conscriptus, vel, in commune eruditis idioma traductus aliquando exhiberetur, impense optabant. Noluit his desiderii deesse bibliopola, sed, quemadmodum promovendis eruditæ civitatis, qua potest, commodis nullam non operam laudabiliter hæcenus impendit, ita V. Cl. *Carolo Henrico Langio*, Artium Magistro, transferendi hanc *Introductionem* in sermonem Latinum provinciam detulit. Egregie is partibus interpretis, quod instituta nos edocuit versionis cum textu comparatio, est defunctus; nihilque plane intermisit, quod decus operi quocunque modo conciliaturum perspexerat; ut adeo non vulgarem ab exteris laboris gratiam illum jure suo expectare posse, plane confidamus, qui simul, ut brevi *Vitam Scipianam, Frischlinianam* illi, quam jam dedit doctissimus Interpres, elegantæ laude nihil quidquam concessuram, feliciter ad finem perducatur, exoptamus.

## SURVEYING IMPROVED,

hoc est,

## PLANIMETRIA ET LONGIMETRIA

*promota, Autore HENRICO WILSON.*

Londini, apud J. Batley, 1726, 8.

Plag. 24 Tabb. xxii.

CUM Autor omnem theoriã & praxin artis agrimensoriæ, quæ *Planimetria* ac *Longimetria* nominibus appellari solet, tradere intendat; parte prima Arithmeticam communem & decimalem; definitiones, theoremata & problemata geometrica agrimensori necessaria, cum Trigonometria plana, secunda; descriptionem & usum instrumentorum geodæticorum tertia; problemata denique planimetrica & longimetrica quarta explicat. Appendicis loco adjicitur brevis descriptio artis libellandi.

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Augusti Anno MDCCXXVIII.*

JOANNIS SCHILTERI, FCTI OLIM ARGENTORATENSIS, *Thesaurus Antiquitatum Teutonicarum, Ecclesiasticar. Civil. Literar. exhibens monumenta Civilia, Historica, miscella, edita, inedita. Pleraque illustravit JO. GEORG. SCHERZIUS, D. Pand. & Jur. Publ. in Univ. Argentor. P. P. Prefationem præmisit JO. FRICKIUS.*

## Tomus II.

Ulmæ, sumptibus Dan. Bartholomæi, 1727, fol.

Alph. 8 pl. 18.

**S**Trenue in edendo ornandoque Thesauro *Schilteriano* pergunt Duumviri doctissimi *Scherzius Frickiusque*, edito nuper Tomo II, quem proxime sequetur Tomus III, Glossarium daturus, cujus maximam partem jam vidimus typis absolutam. Exstat hic primo loco antiquissimæ *Legis Salicæ* textus vetustior, ex Bibliotheca Parisiensi Regia, ubi eum latere, *Schiltero* per litteras indicaverat *Carolus Butellus*, supplicum libellorum in curia Parisiensi Magister, a *Jo. Georgio Schotto* descriptus, Latinus quidem, sed vocibus Germanicis plurimis refertus, quas *Schilterus* in Glossario suo imprimis explicavit. Ne vero nudus hic textus compareret, cum omittendas putarint *Schilteri* notas Editores, quippe nondum satis limatas, singulis paginis iidem subjungi curarunt variationes insignes, tum ex editione Jo. Bas. Heroldi, quæ in non paucis differt a nostra, tum ex alia vetusta, quam e Codice *Guelferbytano* haud ita pridem eruit Vir Ill. Jo. Georg. *Eccardus*, cujus tamen notas, ne quid alieni sibi vindicarent, intactas

U u

reli-

reliquerunt. Præter hunc textum vetustum e tribus, ut diximus; Codicibus, ut in ipso Caputum numero, ita in verbis quoque passim admodum diversis, repræsentatum, accessit seorsim recentior, jussu Caroli M. emendatus & promulgatus, quem Steph. Baluzius inter Capitularia sub *Pactus legis Salicæ* titulo publicavit, subjecit Fr. Pithœi & Hier. Bignonii notis doctissimis. Præmissa etiam est docta *Schilteri* ad Legem Salicam præfatio, cum *Jo. Frickii* ad eandem Supplemento; quorum ille de nomine legis Salicæ, ejus loco natali, quem non Germaniæ superiori, sed inferiori potius vindicans ad Salam seu Isalam constituit, de Malbergiis, sive judiciis subordinatis, in quibus jura reddita, & servata protocolle rerum judicatarum, unde quatuorviri illi, Wisogastis & reliqui res similiter judicatas collegerunt, & de ambiguis decidunt, deque vocabulis Malbergicis agit; hic vero Saliorum nomen non officii vel dignitatis, sed omnino gentis Francicæ fuisse contendit, variorum de terra natali legis Francicæ sententias examinat, evincitque contra Hadr. Valesium & Gabr. Danielelem, non a Gallis aut Rege demum Clodovæo latam esse hanc legem, sed a Francorum gente adhuc libera, priusquam Rhenum transisset, in Germania Seculo V nondum adyto, disquiri porro, an lex ista modum posuerit Regiæ potestati, & in originem legis de successione masculina Regum Francorum inquiri, Editiones denique varias describit & nostræ merita allegat. Succedit II *Jus provinciale Alemannicum* seu *Speculum Suevicum*. Destinaverat priorem hanc Speculi Suevici partem Thesauri suo ipse *Schilterus*, postquam ejus partem posteriorem seu Jus Feudale Alemannicum jam A. 1697 Latina versione & luculento commentario instructum seorsim edidisset. Nam cum is insignem Codicem Seculi XIV e bibliotheca Hortlederiana a Pryschenkio de Lindenhoven, Hortlederi genero, dono accepisset, de aliis Codicibus, quos conferret, circumpiciens, duos a Lambecio, unum ex Jungiana bibliotheca Francof. tres ex archivo civitatis Argentinensis, ac quartum e Bibliotheca Univerf. Argentin. obtinuit, hisque probe collatis, notas quamvis paucas, subjecit. Sed accessit his Conf. *Scherzii* diligentia, qui membranam, quæ ad initium Seculi XIV spectat, ex *Ampliff. Reip. Ulmenfis Consulis, Raymundi Krafft de Delmenfingen*

fingen Bibliotheca nactus, ejus textum Suevica imprimis dialecto  
 conspicuum, unde facile arguas in ipsa Suevia fuisse conscrip-  
 tum, quaravis passim iis, quæ tractu temporis accessere, desti-  
 tutum, pro fundamento posuit, tum consuluit Codicem Wurm-  
 brandianum a Jo. Augusto Nob. Dom. a Berger Lipsiæ 1725, 4, &  
 Ingolstadiensem a Cl. Schannat eodem anno inter *Antiquos Scri-  
 ptores & Documenta* vulgatum, nec non Codices MSS. Waldne-  
 rianum, Felschianum Basileensem, Uffenbachianum, propriumque,  
 & varias lectiones e Codice Bibliothecæ S. Marix ad Scotos Vien-  
 næ communicatas, ut & impressos quosdam Codices vetustos.  
 Præterea versionem Latinam luculentam concinnavit, cui etiam  
 addidit, quæ in textu Krafftiano desiderabantur, prolixioribus  
 glossematis ad finem rejectis, notasque subjecit non tam juridi-  
 cas, quam philologicas, quæ ad textum intelligendum & versio-  
 nem vindicandam spectant. Enimvero Conf. *Scherzius*, cum ad  
 Caput 127 pervenisset, ipsis Calendis Septembris 1727 in gravissi-  
 mum morbum incidit, ita ut tot Codicum collationem relinque-  
 re cogere Viri Cl. M. Georgio Lizelio, Ulmenfi, qui eo labo-  
 re egregie defunctus; versionem tamen & notas, inter maximas  
 licet animi corporisque imbecillitates, ipse absolvit. Non mino-  
 rem operam præstitit III *Stryckeri Carolo*, seu rhythmo antiquo  
 Germanico de Caroli M. expeditione Hispanica, quem Pseudo-  
 Turpini fabulis refertum & ex Gallico, ut videtur, poemate, *le  
 Roman de Roncevaux*, desumptum ex MS. to pergameno Argenti-  
 nensis Reip. cum chartaceo, quem modo laudatus Lizelius com-  
 municavit, collato, primus nunc edidit, ac versione quidem insu-  
 per habita, notis suis illustravit *Scherzius* noster. Huic adjunxit  
 IV *Anonymi*, quem Stryckerus quodammodo renovavit, fra-  
 gmentum *de bello Caroli M. contra Saracenos*, versu pariter Ger-  
 manico, sed vetustiori compositum, quod *Wolfframo ab Eschel-  
 bach* adscribendum putat, cujus sub nomine Longus in *Bibl. Hist.  
 Gallix* simile opus carmine Theotisco extare in Vaticana testa-  
 tur. Accessere vero passim non modo *Schiltneri*, verum & *Scher-  
 zii* notæ, in quibus inter alia deprehendimus p. 4, occasione mo-  
 netæ, Germanice *Bisantinge* vel *Byfande*, latine *Byzantii*, *Byzan-  
 zini* dictæ, doctum exhiberi specimen ex *Elizæ Brackenhofferi*,

Tredecemviri olim & Scholarchæ Argentinæ. Lexico vernaculo rei nummarie MS. quod hodie est in manibus filii cognominis; cui nos cum *Scherzio* merito Lucinam faventem apprecamur. Quod sequitur V' *Ἐπιχίον* rhythmo Teutonico *Ludovico Regi acclamatum, cum Normannos A. 883 vicisset*, ex Codice MS. Monasterii Elhonenfis five S. Amandi in Belgio a Jo. Mabillonio descriptum & B. *Schiltero* communicatum, idem jam A. 1692 Argenterati cum versione Latina & commentatione historica ediderat; quod tamen nunc paullo auctius & emendatius ex ejus autographo prodit. Prodiere etiam jam antea VI *Parænesis antiqua Germanica*, Tyrolis Regis Scotorum ad Filium Fridebrantum, ut & Winsbeckii ad Filium & Winsbeckiæ ad filiam, singulari carminis genere expositæ, quippe a Goldasto post quinque Paræneticos Latinos ex Bibliotheca Schobingeriana Insulæ ad Lacum Acroniæ 1604, 4 editæ; qui tamen liber hactenus admodum fuit inventu difficilis, adeo ut bene huic Thesauro consuluerit Conf. *Scherzius*, qui eum tandem cum obtinisset, transmisit Lutetiam ad uxoris fratrem Johannem Christoph. de Bartenstein, S. Cæsareæ Maj. nunc in secretiori Austriæ inferioris Cancellaria a Consiliis, qui pro insigni in litteras amore, impressa cum Codice Bibliothecæ Regis Christianissimi diligenter contulit, quas lectiones Noster hic exhibet, notis Goldastianis suas quoque superaddens. Accessit primi velut Tomi Supplementum VII *Tatiani Syri Harmonia Evangelica*, e Latina Victoris Capuani versione in linguam Theotiscam antiquissimam translata. Nempe cum incertum esset, utrum *Schilterus* opus hoc Thesauro suo inferre constituerit, nec ne, cum nihil initio inter schedas ejus præter Præfationis initium, quod hic comparet, inveniretur, non potuit quidem illud Tomo I, ad quem revera pertinebat, inferri. Ast diligentius inspectis Campoduni MSSis *Schilterianis* geminum apographum Harmoniæ hujus repertum, alterum incerta manu descriptum, cujus varias lectiones hic deprehendimus, alterum vero e Codice Oxoniensi, quem Franc. Junius e Bibliotheca Bonav. Vulcanii nactus erat, a Jo. Philippo Palthenio Prof. Gryphiswaldensi, qui A. 1710 ultima Maji non sine magna eruditi Orbis jactura rebus mortalibus ereptus est, summo studio depictum, additis

ditis etiam, quas Codici a M. Frehero, ut putat, allitas deprehenderat, variis lectionibus; ejus Viri etiam variæ exstant ad *Schilterum* Epistolæ, quibus ei editionem libri in Thesauro faciendam commendat. Ast Palthenius diuturnæ moræ, ut videtur, pertæsus, ipse postea A. 1706 cum notis eruditis Gryphiswaldiæ opus hoc in vulgus edebat; quam adeo editionem ita nunc repetere Editoribus nostris, imprimis Cl. *Frickio*, visum est, ut eam non modo conferrent cum altero illo Codice *Schilteriano*, sed etiam cum ipso apographo Paltheniano, sæpe, quod mireris, ab impressis abeunte, notas vero textum Theotiscum illustrantes, hic omitterent & Glossario *Schilteriano* interfererent. Ceterum et si titulus Codicis Juniani loquatur Tatianum Alexandrinum, attamen nec Alexandrinum fuisse Tatianum, sed Syrum, immo non Tatianum sed quemvis alium operis fuisse autorem, erudite probatur tum a *Schiltero* tum a *Frickio*. Subjectum quoque huic Harmoniæ est VIII *Fragmentum* aliud *Theotiscum*, quo Christi cum Samaritana muliere Colloquium rhythmo vetustissimo exhibetur. Depromptum id est e Lambecio Comment. de Bibl. Cæs. L. II C. V p. 383, addita versione & notis ipsius, ut videtur, *Schilteri*, sed omissis, quod nollemus, Lambecianis. Denique Paralipomenon loco ad hunc Tomum II additæ sunt Constitutiones aliquot vetustæ Germanicæ Friderici I & II, Rudolphi I, Alberti V & Ludovici IV Bavari, vel scriptæ & promulgatæ hac lingua, vel certe jam pridem translata, quæ ex duplici Codice, Goldastino & *Schilteriano*, in utroque latere hic junctis sed inter se admodum diversis, exhibentur. Extremo loco adjecta sunt Programmata duo funebria & Oratio parentalis in *Schilterum* nostrum a Jo. Henr. Feltzio, Jcto, habita, una cum Monumento sepulchrali, omnem ejus vitam complexo, & a Jo. Christiano Simone posito, ut & operum *Schilterianorum* Catalogo, quæ ut describere nobis ad alia festinantibus non licet, ita vitæ inde compendium extrahere supervacaneum videtur, cum idem jam exstet in Lexico Eruditorum *Menckeniano* vernaculo.

POETÆ LATINI REI VENATICÆ SCRIPTORES & Bucolici Antiqui: videlicet GRATII FALISCI,



*SCI*, atque *M. AURELII OLYMPII NEMESIANI* Cyngeticon, Halieuticon & de Aucupio. Cum notis integris *CASP. BARTHII*, *JANI VLITII*, *TH. JOHNSON*, *ED. BRUCEI*. Accedunt *M. LANGII* Disputatio notarum *J. VLITII*, & *CAJI* Libellus de canibus Britannicis: itidem Bucolica *M. AURELII OLYMPII NEMESIANI* & *CALPURNII*, cum notis integris *ROBERTI TITII*, *HUG. MARTELLI*, *CASP. BARTHII*, *JANI VLITII* & Commentario *DIOMEDIS GUIDALOTTI* & *BAD. ASCENSII*. Quibus nunc primum accedunt *GERARDI KEMPFERI* Observationes in tres priores Calpurnii Eclogas. Cum Indicibus copiosis.

Lugduni Bat. & Hagæ Comitum, apud Jo. Arn. Langerak, P. Goffe, J. Neaulme, R. C. Alberts & J. van der Kloot, 1728, 4.

Alph. 5 pl. 12.

**I**ndex libri satis ambitiosus lectorem nostrum doceat, quid in nova ista editione querere debeat: cur vero tot bibliopolarum nomina adscripta sint, causam aperiet finis Præfationis, ubi ita bibliopola: „Socios vero huic operi imprimendo adscivi bibliopolas Hagienfes, ut tanto magis ab omni injuria, si quis (quod neque spero, neque credo) afferre cogitet, universos tutos conjuncta præstet opera. „ Hæc ille. Quam injuriam homo loquitur, nos quidem ignoramus: nisi innuit aliam editionem horum Poetarum, a Celeberrimo Burmanno adornandam, quod alibi jam nunciavimus. Sed hoc durum esset injuriam dicere; durum etiam, si quis ob lucrum bibliopolæ eruditos Heinsii & Burmanni annotationibus privare vellet; fortasse & Jos. Scaligeri. Sane nos haud ita pridem in Schedis Lindenbrogianis ἀπορρητοῦ Scaligeri in hos Poetas emendationum, (quæ quamquam non omnes æque probæ sint, ostendunt tamen, quibus locis hæsitaverit vir magnus) reperimus: & exemplar earum haud dubie Celeb. Burmannus in manibus habebit. His, inquam, eruditi carere debent, si injuria est, bene mereri de litteris. Apage hæc tyrannidem!

in

In manus etiam nostras pervenit unica plagula, sic inscripta: *Prodromus animadversionum in novam editionem Poetarum rei Veneticæ sub auspiciis Viri Clarissimi proditam*, quo in scripto ostenditur, quinque in uno vocabulo peccata admisisse eos, qui curam hujus editionis habuerunt, unum sensui communi & ului venatorum contrarium, duo in leges carminis & metri incurrentia, reliqua vero duo Grammaticæ canonas temerantia, dum ipse Gratii Cyneget. v. 55, ita emendarunt:

*Illæ vel ad status Phœnices oppande serena,*

Vulgo legebatur, & vere:

*Illæ vel ad status Helices oppande serena.*

Sed ab his abstinere licebit. Notæ integræ virorum doctorum alias jam vulgatæ sunt, quare de iis verbosi esse non debemus. Solæ *Brucei & Kempferi* nunc primum prodeunt. Illæ breves sunt & a tirone, ut bibliopola memorat, confectæ; at Kempferianæ tanto longiores, ita ut minoribus litteris impressæ, in solas III Eclogas Calpurnii conscriptæ, viginti tamen amplius plagulas impleant. Qui potnit auctor, inquis? Quidlibet de quolibet dicendo & notissima quæque corradendo: quod in tanta litterarum luce nemini non molestum erit; saltem in tali Calpurnio ne superiore quidem seculo ferendum fuisset. Quare satis de hoc libro dictum existimantes, Specimen Emendationum Scaligeri hac occasione addimus. Is itaque in Gratii Cyneget. v. 14 legit:

*Tu trepidam bello vitam, Diana, sereno  
Quæ primam querebat opem, dignata reperit  
Protegere auxiliis.*

Edd. vulgatæ omnes: *Qua primam querebat opem.* V. 16 Scaliger:  
*Adscivere tuo comites sub nomine, Diva,  
Centum omnes nemorum, centum de fontibus, omnes  
Najadas*

Vulgo: *Divæ & Najades.* V. 22 Scaliger:

*Contra mille feras, & non sine crimine—*

Vulgo: *carmine.* V. 25 Scaliger:

*Prima jubent tenui nascentia jungere filo  
Lina, & quadruplici tormento adstringere linabos.*

Vul-

Vulgo: *nascentem i. f. Limbum*, & interpretes vehementer laborant. V. 43 Scaliger:

— — — — — *lino*  
*Velatur sonipes lascivi turba canopi.*

Vulgo: *astivi Canopi*; Barthius ex vet. editione citavit; *Ægypti Canopi*; Salmalius corrigebat: *festivi Canopi*. V. 53 Scaliger:

— — — *ergo seu pressa flumina valle*  
*Intrat opus, crassæque malum fecere paludes.*

Vulgo: *Inter opus, caussæque*. Sed fati de Gratio. In Nemesiani Cyneget. V. 13 legit Scaliger:

*Obvia Calliope, facias infilere prato*  
*Complacito.*

Vulgo: *facies*. Sed *facias* etiam Vlitio in mentem venit. V. 43 *incendia Glaucæ* Scaliger agnoscit, plane ut Pithœus & interpretes. V. 44: *Non crinem Nisi*; Pithœus & aliz edd. *crimen Nisi*. V. 114 Scaliger:

*Huic parilem submitte marem, sint omnia magna.*

Vulgo: *Sic omnia magnum*, quod fortasse Barthius optime exposuit. V. 151 Scaliger:

— — *dabit mater partus examen honesti,*  
 quomodo & Barthius ex veterrima sua editione. Vulgo: *partus examine honestos*: Et sequenti v. 102 malebat Scaliger:

*Exitio natos servans, trepidoque periclo*  
 cum in Parisiensi editione reperisset: *Indicio servans*. Vulgo: *Judicio* eleganter.

V. 170 refingit Scaliger:

*Infirmique pedes nutantia crura reponunt,*  
 cum Pithœus contra metri leges edidisset:

*Infirmosque pedes & crura nutantia ponunt.*

Bene Barthius: *crura & nutantia*; alii: *& crura natantia*. Sed gustum dare volumus. Exstat etiam in Cygnea bibliotheca Editio horum Venaticorum & Bucolicorum, manu ipsius Barthii passim ornata, quam tamen chartæ vitio non semper juste assequi licet. Inde Barthii notæ multum auctiores edi possent.

M. TUL-

MENSIS AUGUSTI A. MDCCXXVIII. 345

*M. TULLII CICERONIS DE LEGIBUS Libri tres. Recensuit, ac P. VICTORII, P. MANUCII, J. CAMERARII, D. LAMBINI & F. URSINI notis suas adjecit J. DAVISIUS Coll. Regin. Cantabr. Præses. Accedit HAD. TURNEBI Commentarius.*

Cantabrigiæ, typis Academicis, sumt. Corn. Crownfield, 1727, 8.  
Alph. 1 pl. 4.

**M**agna cum voluptate in manus sumimus egregiam hanc Ciceronis de Legibus editionem, cum propter argumentum, quod disertissimus Romuli nepotum tractat, tum propter Celeb. *Davisi* cognitam spectatamque eruditionem. Gratulamur etiam orbi erudito, ad hos libros curam doctissimi Editoris sese extendisse, eoque magis, quod nunc sperare incipiamus, fore, ut Libros *Tullii* Oratorios idem ingenium perpoliat atque emaculet. De nitore chartæ ceterisque commodis hujus editionis differere supervacaneum est, & de ipso instituto & modo annotationum paucis defungere possumus, si dicamus, sibi & hic similem esse Celeb. *Davisi* sum. Adhibuit septem codices manu exaratos, ad quorum fidem hanc *Tullianorum* Operum partem recenseret: in his veterimus est Parisiensis ex Jesuitarum bibliotheca, cujus varias lectiones accepit a doctissimo Jo. Walckero. Proximus illi est Codex Regis Britanniarum bibliothecæ Jacobæ, ætatem quadringentorum annorum præ se ferens: ejus usum concessit vir summus Rich. Bentlejus. Duos communicavit Nob. Eduardus Harlejus, unum Cl. Rich. Medus, sed hi recentiores sunt: id quod etiam de Collegii *Balliolensis* apud Oxonienses MSpto, nec non de excerptis *Eliens.* dicendum est. Præterea haud neglexit, quæ olim Gruterus ex Palatinis, alii ex aliis codicibus annotarunt, eaque vel ad confirmandam suorum librorum lectionem produxit, vel aliis de causis examinavit. Ubi ab libris parum auxilii sperandum erat, ut sunt multa in his libris corruptissima, sagaci, quantum potuit, conjectura, aptaque divinatione usus est. Ita factum, ut multis nunc locis hos Ciceronis libros emendatiores habeamus. Sic Lib. I cap. VII antehac vulgabatur nullo sensu: *Quibus autem hæc sunt*

sunt inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis & potestatibus parent: multo etiam magis parent huic caelesti descriptioni. At Celeb. Davisus librorum vet. ductu reposuit: Si vero iisdem imperiis & potestatibus parent ii, multo magis. Parent autem huic cet. optime profecto. Lib. III cap. XIII ex duobus MSS. & pluribus impressis nunc legitur: Vir magnus & nobis omnibus amicus L. Lucullus ferebatur quam commodissime respondisse, cum esset objecta magnificentia villa Tusculana, cet. Alii minus eleganter dederunt: L. Lucullus efferebatur quasi commodissime respondisset, cum esset objecta cet. Ex sola conjectura emendavit Lib. I cap. II: Fannii autem ætati conjunctus Antipater, vulgata erat: Fannii autem ætate conjunctus; in Turnebi editione: Fannio autem ætate conjunctus. Item Lib. II, cap. IV: ne, cum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore, ignoremusque vim sermonis ejus, reliqua, ubi & dictionem labi errore illustrat. Vulgo dabant: labamur interdum errore sermonis, ignoremusque vim sermonis ejus, ταυτολόγως. Ad quod genus corruptionis nos obiter ea etiam referimus Lib. I cap. VII: Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris est. Quibus autem hæc sunt, inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Nempe posteriore loco τα' inter eos vacant, & ex superiore versu repetita sunt per incuriam librariorum, scribendumque: Quibus autem hæc sunt communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Celeb. Davisus putabat, scriptum forte fuisse: Quibus autem hæc sunt inter se communia. Sic Lib. II cap. XXIV, conjectura ex verborum nexu partim, partim ex MSptis capta, reposuit: Honoratorum virorum laudes in concione memorent, easque etiam cantu ad tibicinem prosequantur, cum vulgo legeretur: laudes in concione memorentur. Sed hac libertate, qua conjecturas in contextum recipimus, nunquam usus est præstantissimus Davisus, nisi ubi certæ claræ emendationes esse videbantur. Multas sane pereruditas passim in notis tantum propositas deprehendimus. Sic Lib. I cap. II pro his: cujus loquacitas habet aliquid argutiarum . . . in orationibus autem inultus & ineptus ad summam impudentiam, haud invita Minerva substituit: in oratione-

tionibus autem multas ineptias ac summam impudentiam : ea certe, multas ineptias, in MSS. etiam reperiuntur. Eiusdem Libri cap. III malebat : *neque enim occupato opera, neque impedito animo*, Editiones & MSS. habent : *occupata opera*. Lib. I cap. XVII loco hiulco & manifeste corrupto, qui in vulgatis hoc modo circumfertur : *Nos ingenia juvenum non item ad ingenia natura virtutes & vitia, qua existunt ab ingeniis judicabuntur? An ea non aliter? honesta & turpia non ad naturam referri necesse erit?* ita legendum censet : *Nos ingenia juvenum confitemur ingenita natura. Virtutes & vitia, qua existunt ab ingeniis, non ad naturam referri necesse erit?* reliqua ex annotatione marginali nata esse existimat. Illi etiam, qui ab Editore veterum autorum non tam emendationes, quam illustrationes historiae veterumque sententiarum expectant, a *Daviso* abunde sibi satisfactum invenient. Quid? quod ne illa quidem ex *Ravardo*, *Gravina*, *Brissonio*, *Cujacio* aliisque illustrare omisit, quæ proprie ad antiquissimam Romanorum Jurisprudentiam faciunt. Utilissime etiam integrum *Adr. Turnebi* in hos libros Commentarium ex optima *Guil. Morellii* (nam *Commeliniana* primam, eamque longe juveniorem, expressit) editione subjunxit, eumque, appositis Librorum & Capitulum numeris, cum antea nudi tantummodo autores citarentur, legentium commodo adaptavit. Ita sane in omnem partem de autore suo bene promeritus est *Celeb. Davisus*, cujus candori & modestiæ æqui lectores facile donabunt, si quas conjecturas liberiores & audaciores ab eo prolatas videbunt. Nos certe eam rationem, quam sine notarum attulit, veram agnoscimus, & hoc unicum lectorem nostrum præterea docemus, *Celeb. Davisum* existimare, a *Cicerone* non tres, sed octo libros de Legibus esse conscriptos. Sententiæ hujus rationes in Præfatione proposuit, ubi legi possunt.

**RECENSIO COLLECTIONIS SCRIPTORUM rerum Germ. & Saxon. MENCKENIANÆ**  
*continuata.*

Vid. Acta Erud. Mensis Julii p. 321 sequ.

**S**equitur *XX G. Arnoldi vita Mauriti Ducis Saxonie S. R. I. Septemviri*. Librum eundem ex versione Germanica *Dav. Schiz-*

- Schirmeri*, Bibliothecarii Elect. Saxon. Johannis Georgii II jussu adornata, sæpe olim transcriptum, ac ab *Imman. Webero* editum Gieslæ A. 1719, 8 novimus. Verum corrupto admodum exemplousus erat Weberus, quod docuit *Cl. Schmauffius*, in *Hallensium vermischten Bibliothec P. 15 p. 206*, adhibito Codice MSCto Thomafiano. Paucissimi quoque vitam Arnoldianam, authentico idiomate Latino exaratam, viderant. Eandem igitur Vir Ill. *Mich. Henr. Gribnerus*, Aulæ simul & Academiæ nostræ infigne decus, e scriniis suis protractam, liberalissime communicavit, & quo collectioni huic inferretur, Autor extitit. Consuluit tamen & Noster versionem vernaculam, tum eam, quam ipse servabat, MSC. & cum IV Codicibus collatam, tum Weberianam, unde notas addendi occasio est subnata. Scripta est hæc vita Latino sermone puro & luculento, cum delectu rerum exquisito, nec judicio minori. Quis fuerit Autor, abunde docet epitaphium in fine additum, patetque ibidem e distichis Joach. Camerarii ad filium Arnoldi, Joh. Georgium, eum posthumum hoc opus prelo parasse, quod tamen, asperam forte fortunam expertum, adhuc delituit. Hanc vitam excipiunt XXI *Orationes X funebres, quarum una, cum funus Electoris Mauriti per urbem Lipsam duceretur, cetera anniversaria memoria diebus habita sunt, composita a Joach. Camerario, quæ apud nos A. 1719, 8 impressæ, ab Ill. Gribnero communicatæ, dignæ videbantur, quæ tum ob res non omnibus notas, tum ob vim dicendi incomparabilem hæc legerentur. Vix enim credas fieri posse, ut idem argumentum idem Autor toties eo ingenii perspicacissimi acumine, ea sermonis ubertate in cathedram adducere possit, ut nulla oratio alteri similis videatur, & ne formula quidem ulla in omnibus bis adhibita deprehendatur.* XXII *Epistola arcana 33, ab Henrico II, R. Gall. ad ministros suos & amicos in Germania, & ab his ad Regem A. 1549 & 1553 scripta, de fœdere cum Mauritio Electore Saxonie, hujusque morte & iis, quæ postea in Germania tentavit Albertus Brand.* Descripsit eas maximam partem ex autographis Bibliothecæ Reg. Paris. *Joh. Guil. Janus, vñ év évγίος*; quibus tres per modum appendicis ex eadem Biblioth. accessere. Priores quatuor, ad A. 1549, reliquæ omnes ad 1553 spectantes, Germaniæ nostræ res
- p. 1255.
- 1257.
- 1391.
- con-

concernunt. Elucet inde, quantæ existimationis apud Gallos fuerit Mauritius noster, cujus ingenium & characterem epistolæ hæc egregie depingunt, multa insuper hæctenus parum nota continentes. **XXIII Excerpta Saxonica, Misnica & Thuringica ex Monachi Pirnensis, vero nomine Joh. Lindneri, seu Tiliiani, onomastico autographo.** Debentur illa amplissimo Senatui Lipsiensi, qui ex instructissima Bibliotheca sua Codicem hunc promi in publica com-  
moda, & quæ ad nostras res pertinent, inde excerpti amuit. *Godf. Christ. Gæzius*, Prætor quondam & Bibliothecarius, in programme, quo Bibliothecam hanc aperiendam A. 1711 indixit, p. 30 seqq. de hoc Codice memorat, esse illum difficillimæ lecturæ, secundum Alphabeti feriem A. 1529 (seu potius 1530, uti ex mentione virorum ibi memoratorum constat) contextum, ac Ser. Principi Georgio Sax. Duci inscriptum; Codicem esse chartaceum, qui autographus Autoris æstimeretur; Fabricium *Matthæo Sartorio*, Petrum Albinum Chron. Misn. p. 344 *Jo. Lindnero* eum tribuere; consentire tamen eos, Monachum fuisse Dominicanæ familiæ, Pirnæ commorantis, valde industrium, qui e plurimis Chronicis, Commentariis aliisque tam nostrarum, quam exterarum regionum, monumentis litterariis, Regum, Principum & personarum illustrium vitas & res gestas, regnorum item, provinciarum, urbium, cœnobiorum, origines ac vices miro labore, sed impari judicio consignaverit; utrumque etiam multa in hac farragine ab aliis non memorata vel prætermissa sibi in concinnandis operibus suis ingentem præbuisse usum, haud dissimulare; apographa hujus libri olim extitisse in bibliotheca Electorali Dresdensi, Paulina, & Senatoria Zwicciensi, incertum quo fata nunc desiderata; Codicem vero hunc in bello tricennali, cum Pirna ab hostibus diriperetur, interitum vix effugisse. Laudant Autorem *Laur. Wilhelmus in Descript. Zwickav. p. 55*, *Zeilerus P. II de Historicis p. 55*, *Tenzel. in Bibl. cur. ad A. 1704 p. 1105*. De nomine Autoris Albini placuit sententia, qui Lindnerum, vel Latino idiomate *Tilianum* (ita in titulo hæc præfixo loco *Tillani* legendum) vocavit, cum contra Fabricius opinetur, *Sanctorium* opus primum collegisse, Lindnerum in epitomen redegisse. Licet autem non ubique usus sit judicio limato, & in Lutherum ejusque socios subinde ita de-

p.1447.



bacchetur, ut vix possit ab ipsis cordatis Pontificiis sine stomacho  
 legi, fuit tamen magno emolumento in rebus patriæ Scriptori-  
 bus sequentibus, ita ut ipse Fabricius, teste Albino *l. c. vocabula-  
 rium suum ex quo vocare consueverit*. Igitur æ locorum, viro-  
 rumque aut fœminarum illustrium nomina miscerentur, binos  
 heic indices secundum Alphabeti ordinem cernes, horum alte-  
 rum, alterum illorum, appendice singulis addita, tum hominum  
 extra Saxoniam viventium, tum urbium extra illam sitarum,  
 quæ dum memorat, subinde Autor inserit quædam ad Histori-  
 am nostram spectantia, alieno sæpe loco res observatu dignas affe-  
 rens. **p. 1633.** XXIV *Monachi Isenacensis, vulgo Job. Robze, Chronicon  
 Thuringia vernaculum*. Codex hujus Chronici immanis fere  
 molis, e Ducali Saxo Weissenfelsensi Bibliotheca pridem Nostro  
 communicatus, & manu Viri cujusdam Cl. historiæque patriæ cu-  
 pidissimi in hos usus descriptus est, omiſſis vulgaribus atque exter-  
 nis, quæ ad Thuringiam non spectabant. Erat folio maximo,  
 æquans ulnam crassitie, in papyro membranam æmulante, literis  
 non uncialibus, sed ita longis scriptus, ut ad digiti articulum acce-  
 derent, quem diu Weissenfelsenses contempserant, quod in veteri  
 Catalogo titulus ejus legeretur *alte Päbstliche Legenden*, quamvis  
 verus titulus in hoc Codice sub finem ante Indicem legatur. Ex-  
 tant vero & alii Codices hujus Chronici satis vetusti, ut Vinarien-  
 sis, qui ex cœnobio Kaltenbrunnensi in manus Fabricii, & hinc in  
 bibliothecam Vinariensem perlatus, unde eum impetravit Cl. Col-  
 lector, raro tamen illo usus, cum variorum manibus minus accu-  
 rate, omiſſis plerumque punctis, descriptus, & vetustiores formu-  
 læ subinde ad recentiorem loquendi modum detortæ in eo obser-  
 ventur. Gothæ quoque in Biblioth. Ducali idem Chronicon asserva-  
 tur, notus sub titulo *Veteris Chronici MS. in Bibliotheca Gothana,*  
*seu Chronici Germanici Bibl. Ducalis Goth.*; ubi aliud quoque  
 extat MS. in 4to brevius de Landgraviis Chronicon, a *Tenzelio  
 in Supplem. Goth.* sæpe laudatum, sed ex majori illo magnam par-  
 tem excerptum, imo, quod Tenzelio nondum constabat, a *Matth.  
 Maler Erfurto 1522, & editum, sub tit. Chronica, wie die Landgra-  
 ven von Doringen sich erst erhuben und uskommen sind, auch  
 wie das Land an Herzogen Friedrichen und Herzogen Hilhelmen*

*von Sachsen geerbt.* Variis modis Chronicon nostrum, *Thuringicum* nempe, *Ifenacense, Erfurtense, Lauterbrunnense, it. Job. Robtii* Chronicon, vocatur ab Autoribus, ut Fabricio, Albino, Casp. Sagittario, G. Mich. Pfefferkorn, Franc. Paullini in præfatione ad *Annales Ifenacenses*, ex qua patet, Autorem fuisse *Job. Rothium, Lucemburgensem, Sacerdotem & scribam Ifenacensem, & Canonicum B. Mariæ Virg. qui Wilhelmi Ducis, Friderici Bellicosi filii, tempore vixerit, ejusque primæ uxori Annæ, cujus Capellanus fuerat, illud inscripserit.* Præter memoratos ad illud provocant Carion, Melanchthon, Peucerus, Centuriatores Magd. Brotuffius, Jac. Weberus, Spangenberg, Dresserus, Peckenstein, Jo. Mich. Koch in *Descript. arcis Wartburg.* Paulus Jovius, alias Göze, in *Chronico MSC.* uti patet ex *Tentzelii Bibl. Cur. ad A. 1704.* tum & Melissantes seu Jo. Godofr. Gregorii in *Tr. von Bergschlößfern*, nemo tamen frequentius Cel. *Tentzelio in Supplem. II Hist. Gotb.* licet in eo fallatur, quod apographum Junckerianum pro eodem vendit et cum nostro. Illud enim apographum alterius est Autoris, Rothium subinde describentis, nempe Adami Urfini, Mühlbergensis, qui Chronicon Thuringicum vernaculum, ad A. 1500 deductum, A. 1547 composuit, passim in *MSC.* obvium, cujus etiam *Appendix* in Bibliotheca Francofurtana ad Mœnum extat. Sperare autem nos jubet Cl. Editor, ut hoc etiam aliquando, saltem ab A. 1433 aut 1440, ad quem nostrum Chronicon pertingit, in lucem protrahat. Ceterum comparet heic dedicatio carminica ad Annam Thuringiæ Landgraviam, initio quidem vel unica linea mutila. Videntur autem quædam literæ initiales, ex mente Autoris, a ceteris singulari typo distinguendæ; quod si enim singulorum versuum (quatuor vero lineæ versum complent) literas initiales, incipiendo a linea octava, accurate componas; facile elicies: *Frowen Annen Lantgrafinnen zcu Doringen.* Hunc excipiunt XXV *de S. Bennone Ep. Misnensi scripta varia, imprimis Hieronymi Emseri vita S. Bennonis.* In paucorum erat manibus Vita S. Bennonis, ab Emsero Lipsiæ 1512 paucis plagulis edita, & a Collectoribus *Actor. Sanct. T. 3 M. Jun.* inserta, unde locus illi concedendus hic videbatur, tum quod Autor in Præf. erudite agit de origine, situ, ceremoniis, ecclesiæ ac civitatis Misnensis, tum quod

quod ea, quæ in ipsa vita continentur, ad historiam sacram Misniz apprimè spectant, ut taceamus, res Germanicas, quales fuere Gregorio VII Pont. cui fere unus e Germaniz Episcopis Benno adversus Henricum IV adhæsit, inde lumen accipere. Equidem Ill. *Seckendorffius in Hist. Luther. L. 1 p. 236* de eo scribit, *velle se, ut a pluribus legerentur insulsi & superstitiosissimi literatoris, quem Luthero velut Achillem opponit Maimburgius, ineptiæ*; quibus tamen verbis Theologica tantum respicit, in quibus suo tempore Luthero acriter contradixerat Emserus. Nam postquam idem hoc libro futuræ Bennonis canonisationi velut prælusisset, demumque A. 1523 Johannes XII Episc. Misnensis, e Schleuniziorum gente, ab Hadriano VI Pont. ut ea sequenti anno publice celebraretur, impetrasset, Lutherus id sibi datum putabat, ut rudem plebem ab hac superstitione avocaret, edito libello vernaculo paulo ante solennia illa A. 1524, hoc tit: *wider den neuen Abgott und alten Teufel, der zu Meissen soll erhaben werden*, cui eodem anno respondit Emserus, sub tit. *Antwort auf das lesterliche Buch wider Bischoff Benno zu Meissen und Erben der Heiligen jüngst ausgegangen*. Sed uti controversiis Theologicis minime immisceri cupit Noster, ita religioni haud duxit, Emseri vitam Bennonianam integram cum notis *Godofredi Henschenis & Dan. Papebrochii*, ut & reliqua scripta, quæ ad miracula & canonisationem Bennonis pertinent, ex Actis Sanctorum huc transcribere, paginis etiam editionis Antwerp. ad marginem citatis. Dedit quoque ex iisdem iconem ipsius Bennonis, tres vero figuras majores in *Actis SS. p. 204* additas, nempe 1) Sacellum Bennonis, Monachii, 2) arcam ossium, 3) mitram, casulam & pedum ejus, ne libri hujus pretium auferetur nimium, consulto omisit. Equidem mollienda fuissent durius in Lutherum dicta, nihil tamen mutatum, ne corruptum esse Emserum, queri posset quispiam, plane tamen omissa est notula illa *p. 193 Tomi III M. Jun.* ab istis Collectoribus subjecta, ubi ad verba textus: *Episcopus Numburgensis, se nullum in tota Germania, & ne alibi quidem agnoscere Episcopatum Numburg. fatentur*; ne mirentur Lectores, ista viris in re Ecclesiastica tam verfatís excidere potuisse. A Sancto ad Sanctam fit progressus, XXVI

p. 1987. *Varia lectiones & supplementa ad Theodorici de Thuringia seu de*

de Apoldia vitam S. Elisabethæ. Et si Theodorici Thuringi, de Apoldia cognominati, ordinis Prædicatorum, de vita S. Elisabethæ, Andree Regis Hungariæ filiæ & Ludovici IV seu Pii Landgravi Thuringiæ & Hassiæ uxoris, natæ 1207 & A. 1231 Marpurgi, quo marito mortuo se receperat, denatæ, ac A. 1236 in Beatarum numerum relatæ, libros VIII jam pridem Canisius, ac nuper Jacob. Basnagius cum notis in *Lectionum Antiqu. Canif. T. 4 p. 13* ediderint, mereri tamen videbantur variz lectiones & supplementa haud exigua, in duobus Codicibus membranaceis in Bibl. Paulinæ nostram ex Monasterio Vetero - Cellensi delatis, ut heic producerentur. Basnagius, Vossium forte secutus, vocat eum Theodicum Thuringum de Apoldia cognominatum, putatque, eum circiter A. 1229 natum, decimo octavo ætatis anno cœnobium ingressum, cum jam senectutem attingisset, sexagenarium, A. 1289 vitam S. Elisabethæ ex scriptis Magistri Conradi de Marpurg, qui ejus Concionator vocatur in *Theodorici L. III c. 9*, libello item *de dictis quatuor ancillarum S. Elisabethæ*, antehac nondum edito, aliisque monumentis concinnasse; nescit tamen, quo in Monasterio vixerit, cum nec ipse Autor, nec quisquam alius id indicaverit. Cum autem in nostris Codicibus Autor Monachos Reinhartiborn. fratres nominet, & de Monasterio Reinhartiborn. multa habeat passim singularia, apud Canisium & Basnagium non extantia, de calamitatibus etiam hujus cœnobia non semel conqueratur; non injuria forte eum dixeris sacerdotem Reinhartibornensem. XXVII publico usui nunc primum sistitur *Libellus de dictis quatuor ancillarum S. Elisabethæ, sive examen miraculorum ejus*; qui dignus omnino visus, qui ex membrana antiquissima Bibl. Paulinæ, olim Vetero - Cellensis, lucem aspiceret. An ab ipsis ancillis scriptus, quod vult Basnagius l. c. p. 15, dubium videtur, cum enim solennia canonisationis & testimonia ancillarum heic conjungantur, vernaculo primum sermone exposita, ut verisimile, Anonymus hæc collegisse, paulo post canonisationem, & stylo Latino, quamvis simplici, conscripisse videtur. XXVIII *Autor Rhythmicus de vita S. Elisabethæ Landgravia Thuringiæ*. Producentur hi rhythmi Germanici e Bibl. *Saxo-Gothana*, licet in titulo *Vinariensis* per errorem fiat mentio;

p. 2007.

2034.

- etsi vero Tenzelius eos ultra seculi XV ætatem non ascendere iudicat in *Suppl. Hist. Gesb. II p. 536*, imo vix ob sermonis puritatem sint efferendi ultra seculum XVI, ipsum tamen poema longe videtur antiquius, atque adeo ipsis S. Elisabethæ temporibus, Sec. XIII, propius, nova qui dem veste sub finem seculi XVI fuisse indutum, & ad castiorem Germani sermonis rationem reductum.
- a f. 3 ad 6. Prolixè heic describitur, quemadmodum sex Phonsci in aulam Hermannii Landgravii venerint Wartburgum, quorum unus, Klingför, in ipsa die nativitatæ Elisabethæ, natam hac die Hungariæ Regi filiam, olim sanctissimam, & Ludovici, Hermannii filii, sponfam futuram, gaudentibus, qui aderant, omnibus, vaticinatus esse dicitur, quæ cum aliis ejusdem commatis memoravit & *Joh. Robtius in Chronico Thuringico*; & licet hujus quoque operis partem non minimam occupent miracula, multa tamen insunt historiam Thuringiæ juvantia, quæ non fabulatorem, sed Historicum egisse Autorem, persuadent. XXIX *Peregrinatio seu Passagium Alberti Ducis Saxonie ad terram sanctam*. Sterile nonnullis videbitur hoc opusculum, cum tamen ipsa brevitate se commendaret, essetque a R. P. *Bernbardo Pez* ideo transmissum, ut locum in hac collectione consequeretur, omittendum id minime duxit Noster. Descripserat illud e Cartusie Gemnicensis in Austria Codice Vir in colligendis veterum monumentis studiosus, R. P. *Leopoldus Wydemann*, cujus elogium dedit *Cel. Pez* *Diff. Isag. T. I Thesauri Noviss. anecdot. XXX Joh. Rathhalter de meritis Alberti D. Sax. locum tenentis Generalis per Brabantiam, in domum Burgundicam*. Libellus hic vernacula compositus A. 1488 ab ipsius Ducis Alberti primum, post Maximiliani Imperatoris in Frisia Ministro, Consiliario & ærario præfecto, qui ad Nostrum, cum inscriptione: *ex Archivo - Saxonico*, dudum pervenit, exiguus quidem, plura tamen continet lectu digna. Imprimis testatur de Alberti fide egregia in Cæsarem, a qua dimoveri nullo pacto potuit, omnes facultates impendens, ut Frisia & Brabantia ad obsequium Cæsaris filiique Philippi reducerentur, publice testatus: *præstare, ut omnes Principes Saxonie, quam ut unus Rex Romanorum panem emendicaret*. Fidem autoris firmat, quod rebus omnibus ab Alberto in Belgio gestis usque ad ejus
- III3.
- III2.
- mox-

mortem interfuerit. XXXI *Georg. Spalatini Diff. Geneal. Historica de Alberti D. Sax. liberis.* Et hæc Spalatini Dissertatio, ut plures alix, partim hæctenus vulgatæ, partim adhuc edendæ, e Bibliotheca *Saxo-Gothana* fuit communicata, quæ Latino idioma- te, ut supra de hujus Aut. vitis aliquot Sax. Electorum factum, non donata, quod malint aliqui, omnia eo, quo scripta sunt ab Autoribus, sermone vulgata. Præterquam vero, quod Genealogiæ potissimum in hoc opere rationem habere voluit, simul etiam historiam percensuit Autor, multaque ad privatam Principum vitam spectantia subinde annotavit, neo pauca sub *Georgio* Principe & aliis ad religionem pertinentia protulit. Agmen claudunt XXII *Addenda ad Annales Vetro-Cellenses*, de quibus jam supra nobis dictum est. Ceterum tertium seu ultimum Tomum, priores illos aut superaturum, aut æquaturum certe Scriptorum selectu ac dignitate, propediem sperare jubet Cel. Editor, cui perficiendo integram sanitatis nuper affectæ restaurationem usumque vitæ diuturnum ad ulteriora rei publicæ pariter ac literariæ commoda promovenda, publico nomine vovemus. n. XIX.

*Geschichte der Teutschen, bis zu Anfang der  
Fränkischen Monarchie.*

h. e.

**GESTA GERMANORUM, AD INITIA MO-  
narchie Francicæ ; Autore D. JO. JACOBO  
MASCOVIO.**

Lipfiz. apud Jac. Schuster, 1726, 4.

Alphab. 3.

**L**iteris traditurus Conf. Autor *Gesta Germanorum*, a primordiis inde gentis ad extinctam usque Carolingicam stirpem, hoc tomo subsistit in iis temporibus, quibus vergente Seculo V a Clodovzo in Galliis conditum est regnum Francorum. Repetuntur ab eo initia Historiæ, tam Germaniæ universim, quam origo, mores, habitationes, bella & migrationes singulorum ejus populorum. Solent hi populi vel sanguine & origine æstimari; vel

Yy 2

nexu

nexu & finibus Reipublicæ, quibus juncti circumseptique fuerant. In prioris sensus latitudine Autori Germani veniunt, ductu Plinii & Taciti, & ideo quæcunque gentes lingua, forma, religione, & moribus originem Germanicam referunt, earum gesta recensuit. Insequitur eas quoque, quæ mutatis sedibus ex Germania exierunt, habetque rationem Regnorum ab iis foris constitutorum. Non ultra vero retro progressus est, quam ad ea tempora, quibus Germaniam jam inhabitabant Germani, prætergressus dubias conjecturas de eorum adventu. Præter perspicuitatem & tersam sermonis puritatem imprimis ordinem & certitudinem sectatur. Itaque chronologicæ rationem sollicitè habet, & subjicit, cum expedita crisi, locos autorum ætate æqualium, numos etiã, inscriptiones, & alia monumenta, quæ ad confirmationem illustrationemque aliquid conferre possunt. Digna profecto Periodus Historiæ, in qua diligentia poneretur, ea quippe complectens tempora, quibus multa Europæ regna originem suam debent.

Libri numero decem sunt. *Primus*, in quo incunabula gentis, descendit usque ad finem belli Cimbrici. Descriptis antiquissimis Germaniæ finibus, designat Autor colonias, quas Tarquinius Prisci ævo Ambigat, Celtharum Rex, propter hominum multitudinem, & agri inopiam, trans Rhenum misit, quæ duce Sigoveso, Regis ex sorore filio, in Sylva Hercynia confederunt. Ostenditur dein verisimiliter, inter Gallos, qui capta Roma Capitolium obsedere, Germanos fuisse, cum iter ad Appenninos montes, quos Galli transferunt, semi-Germanis gentibus obseptum fuerit. A M. Marcello circa A. V. DXXI cum Insubribus Germanos victos fuisse, fidem quibusdam faciunt Fasti Capitolini ad hunc annum; verum suspicatur Autor, nomini Germanorum, per hæc tempora adhuc ignoto, Cenomanos, Insubribus vicinos, substituendos esse.

4. 5. 6. Recensitis coloniis, quas Germani antiquissimis temporibus in Gallias misere, & exposita origine nominis Germanorum, ad bellum transit, quod CX circiter annis ante Christum natum, Cimbrici & Teutones, adscitis in itinere Ambronibus & Tigurinibus, contra Romanos moverunt. Describuntur fusc vicissitudines hujus belli, donec omnibus Romæ trepidantibus in ea periculi magnitudine delictus est C. Marius, qui rem Romanam restitueret.

Ab eo Ambrones primum & Teutones ad Aquas Sextias, capto eorum Rege Teutobocho, dein Cimbri quoque in campis Raudiis in Italia, ad internecionem deleti sunt. Quæ dum ad finem usque libri persequitur Autor, multa lectu digna inspergit de patria Cimbrorum, eorum armis, mulieribus vatibus, tauro æneo, per quem fœdera paugentes jurare solebant, de arcu triumphali apud Arausionem falso pro monumento victoriæ adversus Teutones habito, & Cimbrorum philosophia de morte. Memorabile inter cetera quod ad §. 12 nota 7 observat, inventum ante C plus minus annos Sceleton pedum 25 cum semisse; idque pro ossibus Teutobochi, Regis Teutonum, venditatum, excogitata mendaci epigraphæ: *Teutobochus Rex*; donec Peirescius a peritis tractari ossa iusserit, ubi elephantem pro rege habitum, deprehensum sit.

§. 11 seqq.

Liber II exponit *bella Germanorum cum Julio Cæsare.*

Ariovistus, Suevorum Rex, qui insignem Galliarum partem occupaverat, suspectus Cæsari ob potentiam, frustra habito colloquio, tandem cum multis gentibus Germanicis, quas auxilio adsciverat, prælio superatur. Atuatici, Cimbrorum in Gallia reliquæ, quod cum Belgis contra Cæsarem conjurassent, sub jugum missi. Ufipetes & Tenchteri, gentes Germanicæ, a Suevis sedibus suis pulsæ, cum in Galliam irrupissent, a Cæsare fusi; eorum equitatum, qui prælio non affuerat, quod Sicambri recepissent, Cæsar, indicto iis bello, Rhenum ponte trajicit. Sed miles Romanus, in terra ignota tum prima vestigia figens, delusus a Sicambri, in interiora Sylvarum fugientibus, unde venerat, revertit. Treviri, Eburones, Nervii, Germanicæ originis Galli, inensum dein Cæsarem habuere. Mixta iis signa Germanorum, quos ut edomaret Cæsar, Rhenum iterum ponte juncto transit; atque ideo Rhenus in triumpho, quem Cæsar de Galliis egit, visus. Consilium vero Cæsaris, quo, subjugatis Parthis, per Scythiam & Germaniam in Italiam regredi parabat, iis accensendum videtur, quibus sæpe, etiam ultra vires blandiri heroibus ambitio solet. Hoc loco, quoniam tum magis innotescere cœpere mores gentium Germanicarum, de habitu corporis, animi indole, variis administrandæ Reipublicæ formis, Deorum, heroum, vaticiniorum, lucum religione, sacrificiis, sacerdotibus, re militari, legibus, judiciis, artibus, opificiis

2-7.

8.

12-15.

15-31.



ficiis & scientiis differit Autor ; eaque imprimis notat, quorum vestigia & usus hodie adhuc super sunt.

- Liber III pergit *ad devictum a Germanis Quintilium Varum*. In eo Ubii ab Agrippa trans Rhenum ducuntur. Suevi in Galliam irrupentes a C. Carinate, Treviri a Nonio Gallo funduntur. Subjicitur divisio Galliarum Belgicarum, quam tum Augustus suscepit, in Belgicam & Germaniam, Germaniarum in primam & secundam, & designantur sigillatim populi, qui in utraque habitantur. Pergit dein Autor ad bellum, quod Sigambri sub Augusto cum Romanis gesserunt. Victus primum a Romanis Melo, Dux Sigambrorum, dein a Sigambribus M. Lollius, legatus Caesaris; amissa legionis V aquila. Exponitur dein, qua ratione Noricum, Rætia item & Vindelicia provinciis Romanis adjectæ sint, & quæ divisio, qui fines, & primaria eorum oppida fuerint. Inter hæc Sigambri, Ufipetes, Tenchteri, Rhenum rursus trajiciunt. Missus Drusus, ut eos compesceret, qui Cheruscos & Catos &c. quoque lacecessit. Qua occasione de fossa Drusi, de origine oppidi Emdæ differit, & de monumento Drusi apud Moguntiacum diversas scriptorum sententias subducit Autor. In deditionem tandem a Tiberio accepti Sigambri, locatique fere trans Rhenum, in quorum vacuas sedes Tenchteri & Ufipetes concesserunt. Nobile dein regnum a Marcomannis, Duce Maroboduus in Bojehemum deductis, conditum, in quorum priores sedes levissimus quisque vicinorum confluxere, quæ origo gentis forsitan & nominis Alemannorum. Denique digna lectu descriptio cladis Variarum, qua, Arminio duce, effectum est, ut Imperium Romanum ripa Rheni terminaretur.
- §. 1-3.  
5.  
6-10.  
10-11.  
13-18.  
18.  
19-24.  
25 seqq.

- Liber IV porrigitur *ad finem belli Batavici, a Claudio Civili moti*. Inter præcipua, inimicitia capitalis Arminii cum socero Segeste; Segestes, una cum filia Thusnelda, tum ex Arminio gravis, liberatus a Germanico; tota expeditionum Germanici & Arminii, præliorumque ratio exponitur. Tum domesticum bellum, quod Longobardi & Semnones, ab Arminio ad Maroboduus deficientes, inter utrumque concitavere. Maroboduus paulo post a Catualda, Gothorum Duce; Catualda a Vibilio pulsus; uterque ad Romanos confugere. Clarissimorum Regum facti,  
&
- 5-18.

& Vannii Regnum, hac occasione conditum, fufius defcripta apud autorem legi mereatur. Inter hæc Arminius, liberator Germaniæ, expletis feptem & triginta aanis vitæ, duodecim potentæ, cum in fufpicionem affectati regni incidiffet, fuorum perfidia extinguitur. Ejus honori tamen Irminfulam, quam Carolus M. delevit, pofitam, verifimile videtur Autori. Inclytum dein nomen Claudii Civilis, qui excitatis ad libertatem capeffendam Batavis fuis, auctus opibus Gallorum trans Rhenum, Germanorum cis Rhenum colentium, Vefpafiano Imperium aufpicante, multis præliis ftrenue rem adverfus Romanos gellit. Magna in eo bello autoritas Velledæ, mulieris vatis, & memorabilis imprimis pugna navalis in ore Mofæ a Civili cum Romanis commiffa. Gratam adeo pofteris etiam Claudii Civilis memoriam obfervat Autor, ut Wilhelmum, principem Araufion. illum fœderis Belgici aufpicem, ei comparare non dubitaverit Hugo Grotius in dedicatione Antiquitatum Belgicarum. Repræfentavit hoc bellum XII tabulis Otto Veenius, pictor; magna artis laude. Non minori illud cum voluptate ex vero hic defcriptum legas.

f. 19, 20.

21.

40 fqq.

Liber V inde *ad bella cum Probo gefa porrigitur*. Eminent inter reliqua bellum Marcomannicum. Conspiraverant gentes omnes ab Illyrici inde limite: præcipui Marcomanni, Herinunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ. Pulæ a vicinis gentes Germanicæ, dum receptum negantibus arma inferunt, tanti motus occasio. Notius in omni Hiftoria Marcomannicum hoc bellum, quam quod hic exponi mereatur. Gefa primaria columnæ incifa: quam, poft tot feculorum intercapedinem, Sixtus V, Pontifex Maximus, Romæ reftituit; æri incifam commentariis illustravit Jo. Petrus Bellorius. Sub Gordiano prima mentio Francorum, de quorum origine Autor Geographi Ravennatis fententiam, primordia gentis ab Albi flumine repetentis, Leibnitique conjecturas certis argumentis obfervationibusque ex Francorum profefu inftituit. Sub Gordiano & fuffefforibus inter arma Burgundorum, Herulorum, Alemannorum graves imprimis Imperio Romano effecperunt Gothi, Afiam, Græciam, Thraciam &c. miferissime devaftantes.

13-24.

31.

Liber VI fuffiftit in *defcriptione bellorum, qua Franci & Als-*

- §. 2. *Alamanni cum Juliano gesserunt.* In eo & prima Saxonum mentio, quorum ortus & antiquas sedes Autor explicat. Magna hie rerum varietas, cum miras Imperii Romani sub Diocletiano & Constantino formas & vicissitudines attingere oportuerit. Ita enim facilius jam intelliguntur turbatissimæ alias populorum Germanicorum res, modo his, modo illis Romanorum partibus implicitæ. Dum conversionem Constantini M. florentesque ab eo tempore in Belgica, utraque Germania, in Rhætia & Norico Christianorum cœtus, memoriamque Materni, Colonienfis, & Agræcii, Trevirensis Episcopi, utriusque apud Constantinum gratiosi, recolit; origines Ecclesiæ Germanicæ repetit, quarum notitia valde prodest, cum rationes hierarchiæ, quæ in Germaniæ postea regno fuit, reddendæ sunt.

Liber VII eos Germanicorum populorum *motus complectitur, qui paulo post magna, quam vulgo vocant, gentium migrationi ansam dederunt.* Agmen in eo ducunt bella, quæ Valentinianus adversus Francos, Saxones, & Alemannos gessit: Alemanico bello Burgundi immixti. Hos Autor in notis ad §. VIII Germanicæ origini, cognatoque Gothis & Vandalis sanguini asserit, idque ipsum disertis ætate æqualium scriptorum testimoniis comprobatur. Tum ingens clades, quam ab Istro Romano Imperio sub Valente intulerunt Gothi, ab Hunnis patria exturbati prolixè describitur. Inter hæc legi imprimis merentur, quæ de Gothorum ab Istro ultra Tanaim colentium finibus, deque Theruingis, sive Thoringis, Greuthingis, aliisque Gothici nominis populis, deque Alanorum, & Hunnorum denique origine, sedibus, institutis plenius differuntur. Utcunque deinde, sub Theodosio, Rhenus & Danubius Romanum limitem tuitus est. Ille Athanaricum, principem Theruingorum, qui inter occidentales Gothos clarissimi erant, Constantinopoli recepit, atque una cum illo multa Gothorum millia, quorum pars paulo post Alarici ductu Illyricum & Italiam concussit. Idem Theodosius Greuthingos trans Istrum repulit, quo loco illustrantur figuræ aliquot in columna cochleari conspicuæ, in qua patris victorias Gothicas repræsentavit Arcadius, æmulatus columnam, quam vetus Roma M. Antonio dicatam mirabatur. Interea Rhenus sub Maximo, Valentiniano II, Eugenio

Eugenio aliquoties Alamannorum, Francorumque signa, modo hostilia modo amica vidit. In fine libri Autor Gothorum conversionem ad fidem Christianam explicat. Hic Socratem, Sozomenum, Jornandem, atque alios, qui Arianæ eos Sectæ adscribunt, cum Ambrosio, Hieronymo, & Chrysostomo, puritatem religionis in Gothis laudantibus, conciliat. Hic & de Episcopis Gothorum agit, præcipue de Ulphila, excogitatisque ab eo literis Gothicis, & versione scripturæ sacræ Gothica, ex qua deinde reliquos Germanos profecisse, testimonio Valafri Strabonis probat. Agit quoque de Evangeliiis Gothicis, quæ nec tamen integra supersunt, & dialectum pro dunt Theotiscæ cognatam, multa vocabula a Græcis, nonnulla etiam a finitimis Sarmatis trahentem. Denique & litterarum Gothicarum diversitatem a runis Borealiū ibidem notat.

Libro VIII memorabilis periodus continetur, qua varia *regna in provinciis Romanis a migrantibus Gothis, Vandalis, Suevis, Alanis, &c.* condita sunt, quæ omnia nusquam adhuc tam concinno ordine scripta leguntur. Incidit illa periodus in tempora, quibus morte Theodosii labefactata fuit respublica. Statim enim Vise-Gothi, Duce Alarico, de cujus patria & genere Autor in §. IV disserit, in Græciam irrumpunt: mox pace facta, Alaricus Præses a Romanis Illyrici Orientalis constituitur. Franci Marcomere & Sunnone ducibus res novas moluntur, tumque excisa primum a Francis Augusta Trevirorum, præfectura Galliarum Arelatum translata. Saxonibus, littora Britannicæ & Gallicæ infestantibus, nequicquam oppositus limes Saxonicus, de cujus origine quæ olim Huetius in Originibus Cadomensibus scripsit hic curatius expenduntur. Tum enarratur ingens tumultus, quo Imperium Orientis, Gaina, Gothus, concussit. Alaricus, dein Rex a suis creatus, Italiam petit, & bis a Stilicone victus, Honorio fœdere adversus Arcadium jungitur. Interea Rhadagifus, Rex, ut quidam (nec enim constat) volunt, Gothorum, ut alii, Vandalorum, qui & memoriam ejus in Deo Rhadogast coluisse quibusdam dicuntur, cum ingenti adest exercitu, & jam in Tuscanis confiniis constitutus, Romanorum sanguinem Diis suis vovet. Romæ terror ingens: aversum periculum virtute Stiliconis, opem ferentibus Gothis & Hunnis

6. 6.

7.

8, 9.  
10-14.

14.

- quibusdam. Vandali postea, Alani, Burgundi, Suevi, forsitan reliquæ exercitus Rhadagaifi in Gallias irrumpunt, ex quo tempore initia magnæ gentium migrationis repeti solent. Alaricus Italiam iterum ingressus, Romam ter obsidet, eamque tandem expugnat. Quicquid deletæ Trojæ, Carthagini & Numantiz acerbum & luctuosum contigit, illud tum Romam expertam, quosdam existimare, animadvertit Autor, inter quos *Jac. Benignus Bosuetus*, extinctam Babelem in Apocalypsi de hac Romæ expugnatione intelligendam esse, contendisseprehenditur. Verum ostendit Autor, mitiorem Alarici indolem fuisse, quam cujus memoria infamia urbis everse notari debeat. Pepercisse recte sentientium templis pietatem Regis Ariani: viduz & virgini præsidio fuisse clementiam ejus: combusta ædificia quædam, sed pauca. Capta urbe Alaricus abiens immatura morte rebus excessit humanis, eique successor lectus est Athaulphus. Devastatis Galliis, in Hispaniam tum irruerunt Vandali, Suevi, Alani, Burgundi. Post cruenta prælia, sorte ducta distributæ regiones. Vandalis & Suevis, quo communi nomine & Marcomanni & Quadi comprehendebantur, Gallicia, quæ tum latius patebat, cessit. Alanis Lusitania & provincia Carthaginensis. Rus, ex veteri gentis more, victor amabat; oppida Hispanis relicta, qui, cum a Germanis, etsi devicti, mox ut locii & amici foverentur, tributariæ inter Romanos sollicitudini indulgentiam Germanorum prætulerunt. Athaulphus, Alarici successor, armis sibi A. 412 viam aperuit in Galliam. Sedes regia, Heraclea ad Rhodanum, quæ diu post *palatium Gothorum* audiit, quemadmodum Sylva vicina *la Selva Gotthesca* dicta est. Nec quid deesse videbatur felicitati Athaulphi, nisi ut sanguis Gothorum misceretur sanguini domus Augustæ. Ducta in matrimonium ab Athaulpho Placidia, Theodosii M. filia. Pulsus dein a Constantio, patricio, jugum Pyrenæum transit Athaulphus, & Barcinone tandem parricidio suorum extinguitur. Per hæc tempora quoque Burgundis pars Germaniæ primæ a Romanis concessa, ut ibi præsidio & a barbaris gentibus propugnaculo essent Romanis, quæ initia regni Burgundici Gundicario auspice conditi. Apud Vifi-Gothos, interempto Athaulpho, Wallia regnum cepisset, qui pace cum Romanis A. 416 sancita, devic-

devictis Suevis, Alanis, Vandalis sedem regiam Tolosam, capta Aquitania secunda, transfulit. His recensitis, ad Gallias divertit Autor, & postquam statum provinciarum Galliae exposuit, incerti arguit, quae de Pharamundo, Rege Francorum, tanquam regni Francici conditore, circumferuntur; tum historiam legis Salicae tradit; denique de intestinis Suevorum & Vandalorum bellis disserit, illud sigillatim observans, jam tum praevaluisse virtutem Germanorum, a pristinis institutis nimium degenerantibus moribus Romanorum. Librum claudit disquisitio de conversione Germanorum ad fidem Christianam.

§. 44.

45.

47.

Liber IX continet gesta Germanorum *ad finem bellorum cum Hunnis gestorum*. Nobiles Alani, Vandali, Hunni, Angli, Saxones. Alanis, qui, caeteris in Hispaniam transeuntibus, in Gallia remanserant, sedes ab Aetio A. 440 data rura urbis Valentinae. Vandalorum Rex, Gensericus, Carthaginem capit, cujus instauratae opes tum pristinum fere splendorem aequabant, quo olim cum Romanis de principatu contenderat. Puriori dein doctrinae addicti, vi coacti ad subscribendum haeresi Arianae, quam ipse Vandalorum Rex amplectebatur; Quod vult deus Carthaginis Episcopus, in exilium eiecit. Tum sibi Gensericus Africae meliorem partem una cum Sardinia, Sicilia, Corsica, Majorica, Minorica subjicit, terrae sorte distributa, unde nomen sortium Vandalicarum. Interea Hermanaricus, Suecorum Rex adversam propter valetudinem administrationi impar regni, filio id suo Rechila cedit, qui occupata Merida & Hispali, Baeticam & Carthaginensem provinciam ditionibus suis adjecit. Clodio, Francorum Rex, infelici proelio cum Aetio contendit. Genio in convivio Francis indulgebat, cum a Romanis invaderetur. Descriptio convivii apud Sidonium Apollinarem habitum corporis & mores Francorum eosdem penitus delineat, quos Germanis Tacitus tribuit. Attila, de cujus genere, ditionibus, sede, uxoribus, corporis & animi habitu lectu digna referuntur, cum primum ab Honoria, Valentiniiani III Imperatoris sorore, spe matrimonii allectus esset, arma contra Imperium Occidentis movere coepit. Dissimulatum consilium, obtentu Gothorum, contra quos solos expeditionem sese parare, Attila praese ferebat. Nec tamen his credulus Valen-

15.

16-20.

20.

21.

22.

tinia-

tinianus, qui suam rem agi probe intellexit. Ab Attila primum intrata Gallia. Factionibus divisi inter duos Principes Franci, quorum unus Attilam sequebatur, alter a partibus Romanorum stabat. In exercitu Attilæ Rugii, Scyri, Burgundi, Thuringi, Bructeri, etiam Franci. Aetius pro Romanis, junctis sub Theoderico Rege Visigothorum armis, depugnabat. In campis Catalaunicis diu conflictum ambiguo Marte. Theodericus in acie interemptus: tandem inferior Attila; excitatus ab Aetio Princeps Francus, qui inter Romanos agebat, ut clade Attilæ ad occupandum regnum uteretur. Hunc Principem, eundem Meroveum fuisse existimant recentiores, qui & stirpis Merovingicæ conditor est, asseverantes, eum Clodionis filium natu minorem fuisse; verum id incerti arguit Autor. Attilam, dum in Gallias tendit, Thuringos attigisse, plerique tradunt, qua ratione de gentis hujus origine differitur, eaque a Gothis derivatur. Deinde Attila iter in Italiam cepit, capta Aquileja, terrore ingruentis hostis vicini in maris Adriaci insulas fugiunt, unde initia nobilissimæ Venetorum civitatis unanimis scriptorum consensus repetit. Penetrat dein Hunnus in Liguriam, Mediolanum & Papiam capit. Ex improvise tamen conciliata pax: qua in re clara opera Leonis Pontificis Maximi. In Galliam reversus Attila, Alanos lacesivit. Periculosum id visum vicino regi Vifi-Gothorum Thorismundo: adest cum exercitu: funditur Hunnus a Vifi-Gothis, iisque solis, non admittis, ut antea, in partem gloriæ Romanis. Ab Attila quieti Saxones, Duce Hengist & Horst circa A. 449, incertum casu, an contra Scotos & Pictos auxilio evocati a Vortigerno Britonum Rege, in Britanniam appellant. Assignata iis primum insula Taneth, mox portio ipsius Britannicæ: amicitiam affinitate firmavit Vortigenus, ducta Hengisti filia. Pulsi dein a Saxonibus Angli, in Australes regni partes concesserunt; cum Saxonibus Angli & Jutz, auctores gentis, quæ post tot mutationes & libertatis studio, & legibus & lingua originem a Germanis refert.

In Libro X eodemque ultimo, qui *ad initia regni Clodovæi descendit*, extincto Valentiniano III, Genfericus Carthagine Romanam classe petit. Capta urbs sine negotio, nemine resistente. Ut ædificiis & hominibus igni & ferro parceretur, apud Genfericum

Leo

Leo Pontifex Maximus impetravit. Prædæ tamen acta ingens vis, abducta ornamenta imperialia, vasorum magna copia, & inter hæc vasa Judæorum, quæ Titus Vespasianus post Hierosolymorum excidium cum aliis asportaverat. Eudoxia, Valentiniani III vidua, & filia Placidia & Eudoxia, captivæ in Africam abductæ, & nupsit Eudoxia filia Hunerico, filio Genserici natu minori, eoque nexum sanguinis vinculum inter utriusque gentis principes. Attila A. 453 diem vixit supremum. In causis mortis variari, observat Autor. Sunt, qui inter amplexus Ildiconis, venustissimæ formæ puellæ, sanguine e naribus prorumpente, extinctum tradunt: alii Provinciæ mulieris manu confossum referunt. Deletus cum Attila regni splendor. Id discordia filiorum factum, quorum jugum mox excussum est a devictis gentibus. Gepidarum Rex, Ardaricus, cujus nummi in legibus Burgundorum memorantur, inter ceteros inclytus, qui superatis Attilæ filiis, Hunnos ad Pontum Euxinum repulit, ipse Thraciam obtinuit, nisi quod remansere Hunni quidam, a quibus Zeckelios derivari annotat Autor. Dum hæc aguntur, Ostro-Gothi, qui ipsi quoque antea Attilæ obnoxii fuerant, suo Marte Pannoniam occupant, diviso regno inter fratres tres, Valemirum, Theodemirum, & Widemirum, & libertatem armis ab Attilæ filiis tuentur. In Hispania Vifi-Gothi cum Suevis colliduntur. Extincto Rechila, qui regnum Suevorum a patre Hermanarico, ejus in Hispania conditore, per manus traditum acceperat, Rechiarius filius successit A. 448. Is Theoderici, Regis Vifi-Gothorum, filiam duxit. Elatus dein opibus affinis regis, quas sibi præsidio fore sperabat, negotium Romanis faceßere instituit semel & iterum. Patri interim apud Vifi-Gothos successerat Theodericus II (cujus egregiæ animi & corporis dotes ex Sidonio Appollinari lib. 19 Ep. 13 repetuntur) qui ex fœdere suo cum Romanis, eum primum per legatos Rechiarium nequicquam monuisset, ne amicis Romanis gravis esse vellet, expeditionem adversus eum movit, & duodecimo ab Asturicensi urbe lapide ingenti Suevorum clade superavit. Rechiarius captivus ad Theodericum ductus, quo interempto Suevorum magna pars se dedidit. Attritum eorum regnum tandem a Remismundo restitutum circa A. 465, qui ut gratiosus esset apud Theo-

6.

7. 8.

9

9-13

13.

24.



§. 22.  
25-30. Theodoricum II Gothorum Regem, filiam ejus uxorem sibi adjunxit. Faustum Suevis connubium; nisi quod gentem labes hæreseos Arianæ, cui tum Vifi-Gothi subscribentur, simul infecit. Gundobaldum, Regem Burgundionum Olybrius Imperator patricium Romanum creavit, qua occasione de successione Gundicarii, Burgundionum primi Regis, latius differitur. Euricus, Theoderici II frater, ejusdemque in regno Vifi-Gothico successor, dilatato in Galliis regno Hispaniam Tarraconensem & Bæticam adjecit. Tumque, ut plerique sentiunt, confectum per Hispanias Imperium Romanum, regione omni divisa inter Suevos & Gothos. A bello ad pacis artes revocatus Euricus, Gothis, qui adhuc moribus & consuetudine tenebantur, leges scriptas tulit. Sed minuit gloriam studium sectæ Arianæ, quo abreptus recte sentientes etiam persecutus est. Hæc facies rerum, cum Chlodovæus Francis præesse cœpit, cum Odoacer, Rex Scyrorum, Rugiorum & Herulorum, occiso Oreste, Magistro militum, capto filio ejus Romulo, Imperatore per ludibrium creato, perempto quoque Julio nepote, Imperio Romano finem fecit. Finem & ipse facit Auctor, Epilogi ergo pluribus exemplis comprobans, quicquid hodie per Europam in Romanis provinciis superest gentium, Germanorum magis, quam Romanorum instituta præ se ferre.

Optabunt haud dubie, his lectis, multi, exteri imprimis, librum tanto eruditionis apparatu, tam exquisito judicio, conscriptum, Latino potius quam Germanico idiomate compositum, imprimis cum ex aliis ejus scriptis cedro dignis, quamvis haud magnæ molis, pateat, quam probe perspectas habeat Veneres Romanas; nec dubitamus, eum, cum periodum sibi præstitutam absolverit, si graviora negotia haud obtinent, horum quoque votis satisfacturum.

Johann Hubners, Rectoris der Schule zu S. Johannis  
in Hamburg, Genealogische Tabellen.

i. e.

JOHANNIS HUBNERI, RECTORIS SCHOLE

MENSIS AUGUSTI A. MDCCXXVIII. 367

*le Johanneæ Hamburg. Tabulæ Genealogicæ ab initio  
ad nostra tempora continuatæ.*

**Tomi III.**

Lipfiz, apud Jo. Frid. Gleditschii B. Fil. T. I, 1725, T. II, 1727, T. III.  
1728, 4 oblongo seu fol.  
Alph. II plag. 8.

**Kurze Fragen aus der Genealogie.**

i. e.

**ÆJUSDEM QUÆSTIONES SUCCINCTÆ  
Genealogicæ ad Tabularum Genealogicarum  
Tomos III.**

Ibid. apud eund. 1725, 1727 & 1728, 12.


Alph. I pl. 19.

**J**Am pridem de Historia, Geographia & Genealogia, simulque de cupida harum litterarum juventute immortaliter meritus est Celeberrimus Autor. Nam ut alia ejus scripta taceamus, utpote poetica, in quibus præter *Manuale poeticum* vernaculum, quod tyronibus eximio usui esse potest, eminet *Versio* vernacula metrica operis incomparabilis *Thomæ a Kempis de Imit. J.C. Lipsiz*, ubi pleraque Autoris scripta prodire, A. 1727, 8 edita, ad modum versionis Gallicæ Petri Cornelii, Poetæ celeberrimi, composita, & ad excitandam promovendamque in omnis ætatis, sexus & conditionis, pæne dixerim, & religionis hominibus pietatem egregie accommodata, quam beatæ Conjugi, natæ Oleariæ, pie dedicavit; primum Orbi litterato innotuit A. 1692 *Compendio Geographico*, vernacula, ut cetera fere omnia, & methodo quidem erotemata, in 12 vulgato, eodemque triginta tribus vicibus, emendatius identidem & auctius, sub prelo n. hactenus misso, & quod mireris de libro Germanico, multis millibus exemplaribus impresso. Hinc *Historiam* omnium Imperiorum, Regnorum ac Principatuum civilem simili methodo ac forma tradere instituit, absolvitque X Voluminibus, sæpissime recufis, quorum quidem I A. 1697 primum, X A. 1707 prodiit; additis subinde supplementis,


tis, quorum prostant hoc tempore Partes XII, statum singulorum Regnorum & provinciarum, de quibus in Historia ipsa agitur, tam publicum quam privatum, bella, aulae vicissitudines, legationes & reliqua ab A. 1708, quo edi cœperunt, ad A. 1719 complectentes; atque hæc Supplementa spes est mox ad nostra tempora continuanda. Nec minus bene de juventute meruit, editis A. 1715 in 8 *Questionibus Biblicis* vernaculis, quibus historia S. Vet. & Novi Testamenti tam dilucide proponitur, ut nihil supra; optandumque foret, ut pari ratione omnem Historiam Ecclesiasticam, ut spem olim fecisse meminimus, exponat. Quæ omnia non alia de causa nondum commemoravimus, quam quod compendiorum histor. in Actis nostris mentionem facere, pro instituti nostri ratione, haud consuevimus. Uti vero, quod præcipuum a natura habet, in his omnibus methodo admodum luculenta & eleganti usus est Cel. Autor, miscens ubique utile dulci & memoriam lectorum egregie juvans, ita se ipsum quodammodo superasse dicendus est in his ipsis, quas modo exhibemus, *Tabulis Genealogicis* ad commodiorem Historiæ suæ usum rite digerendis & memoriæ accommodandis. Nam cum neminem lateat, quam intricata res sit genealogica, merito Lectores, inspectis mille tabulis, quæ tribus his Tomis continentur, mirabuntur, omnia tam apte tam concinne disposita, ut in originibus familiarum, conjunctionibus item per nuptias factis, in liberis porro genuinis & nothis, & juribus etiam successionis cognoscendis, nemo quicquam desiderare valeat. Ita ex. gr. Tomo I, qui primum A. 1712 & quartum A. 1725 prodiit, exhibetur Tab. 36 origo Hispaniæ Regnorum, Legionis, Superarbiæ, Navarræ, Arragoniæ & Castellæ; Tab. 43 Genealogia proponitur Principum ex domo Borbonica, Hispanica & Austriaca, qui sub auspiciis nostri seculi de successione in Monarchiam Hispanicam inter se contendebant; Tab. 69 unio Provinciarum Belgicarum per matrimonia facta; Tab. 79 constitutio præsentis in Anglia successionis, & Tab. 80 jura Angliæ in Galliam illustrantur; Tab. 87 Regum Daniæ, Tab. 92 Regum Sueciæ & speciatim Tab. 78 Regum Angliæ Caroli II & Jacobi II liberi ex concubinis nati producuntur; & cum familias quoque, quæ Pontifices nobis dedere, cognoscere expedit, Tab.

319-322 Genealogiæ breves sistuntur Pontificum, qui integro seculo regnarunt, a Clemente VIII ad Benedictum XIII. Uti vero primo hoc Tomo familias Regum Principumque omnis Europæ, tum recentiores, tum vetustas, non omissis Patriarcharum ante & post diluuium, Judicum item & Regum populi Judaici, Maccabæorum & Herodianorum tabulis, (quod de his quoque in Historia sua, in qua perpetuo Lectorem ad Tabulas has Geneal. ablegat, egisset) excussit, ita Tomis II & III, nuper editis, id hæcenus egit, ut familias illustriores Comitum, speciatim in Germania florentium, in gratiam gentis suæ, cujus magis interest domestica quam externa cognita habere, expenderet. Ceterum nec siccas & elumbes Tabulas edidisse satis habuit; verum ad singulos Tomos addidit Quæstiones Genealogicas, in minori forma vulgatas, quibus & usum Tabularum ostendit, & subinde eas emendat ac supplet. Præterea quo magis iis consulat, qui modernum familiarum illustrium Europæ statum continuo ante oculos habere cupiunt, *Lexicon Genealogicum portatile* vernaculum Hamburgi 1727 in 8 in lucem emisit, quod ut quotannis cum novis supplementis prodeat, se curaturum, in Præfat. Tomi III Tabb. Geneal. pollicetur. Sed quid attinet plura dicere de operibus elucubratissimis, quæ maximam partem jamdudum in omnium manibus versantur, Germanorum certe; quanquam & Belgæ, laborum tanti Viri utilitatem perpendentes, ne cives sui ea priventur, operam hæcenus dedere, ut, quemadmodum Geographiæ ejus & Historia, ita & Genealogica hæc opera in Belgicam linguam luculenter traducerentur. Nobis nihil reliquum videtur, quam ut Deum Opt. Max. exoremus, ut Viro in publica commoda nato, sed ad senium jam vergenti, vires integras ac vegetam senectutem concedat, quo, quæ plura pro incredibili ad præstovendas bonas litteras ardore molitur, feliciter absolvat.

FRIDERICI HOFFMANNI MEDICINÆ  
*Rationalis Systematicæ Tomus tertius, quo vera Therapiæ  
 fundamenta, medendi methodus, & leges tam Naturæ,  
 quam Artis, nec non selectissima Remedia cum eorundem*



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART  
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

ACTA ERUDITORUM  
LEIPZIG 1728

(DIE FEHLERHAFTE PAGINIERUNG DER  
ORIGINALVORLAGE WURDE BEIBEHALTEN)

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT  
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK  
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 612 Y 4<sup>0</sup>

*Physico-Mechanico operandi & dextre applicandi modo  
fideliter traduntur &c.*

Halæ Magdeburg. in officina Rengeriana, 1727, 4.

Alph. 3 pl. 7.

Sect. I.  
Cap. I.

II.

III.

IV.

**T**ertius hic est Medicinæ Systematicæ Tomus, quem in gratiam rationalium Medicorum publicavit Vir annis pariter atque meritis gravis, illustris *Hoffmannus*. Cum enim in priore Tomo, A. 1718 Mens. Jul. p. 317 sqq. in his ipsis Actis recensito, Physiologiam, in altero vero, A. 1722 Mens. Jun. p. 315 sqq. a nobis pariter laudato, Pathologiam plenius pertractasset; in hoc demum tertio solida præcepta & fundamenta artis Therapeutiæ tradere consilium cepit. Ipsum hoc præstantissimum opus in duas Sectiones distributum est, quarum prior XVI, posterior vero X capita complectitur. Desinit vero Ill. Autor Therapiam per prudentiam corruptos & inversos vitales motus, functiones ipsius corporis diversimode lædentes, per congrua remedia, debito tempore & accommodata methodo, in integrum restituendi & amissam sanitatem revocandi. Præmissis igitur generalioribus ad therapeutiæ veritatis cognitionem requisitis, ad specialiora transit, primumque iudicii therapeutici principium constituit in morborum historiis ad ductum Hippocratis recte & sufficienter concinnandis, ita ut circumstantiæ necessariæ sedulo adjiciantur, fictitiæ vero omittantur, imprimis autem ad sexum, ætatem, vitæ genus, aerem, loca & aquas, victum & potum, excretorum modum & rationem aliaque id genus sollicitè respiciatur. Verum quum morbi prima fronte sæpius fallant, unusque alterum facile mentiatur; unicuique speciales suas notas characterísticas sapienter assignat, ne scil. Medicus e. g. uterum a prole distentum pro hydrope aut ascite, asthma flatulentum pro catarrho suffocativo, syncopen pro apoplexia &c. incaute habeat. Alterum deinde Therapiæ fundamentum in ipsa cognitione ortus & causarum morbi ponit, quam cum Hippocrate potissimum ex proportione, mensurâ & temperamento motuum & humorum corporis petendam censet. Ostendit ergo ex solo solidorum & fluidorum mechanismo varie turbato plerorumque morborum, qui ibi fusc

recen-

recensentur, genealogiam esse deducendam. Iſtam vero turba-  
tionem vel ſpaſmo adſcribit, vel atoniæ: utrumque certe ex miro  
partium corporis conſenſu, mediantibus nervis, quinto imprimis **Cap. V.**  
& octavo eorum pari, egregie docet, idque vel ex unius ventricu-  
li cum capite, œſophago, ductibus biliariis, diaphragmate, pul-  
monibus, renibus &c. ſympathia valide probat, hincque demon-  
ſtrat, quomodo ex hoc ſpaſtico accelerato & irregulari ſolidorum **VI.**  
motu contenta ibi fluida bona & laudabilia, ita vero conquaſſata,  
in falſa, ſulphurea, biliola & heterogenea demum degenerare  
poſſiat. A maniſeſtis morborum cauſis ad abditas eorundem de-  
ſcendit, refertque inter illas ſphacelationem & putredinem par-  
tium nobiliorum internarum, v. g. ventriculi, duodeni, pulmo-  
num &c. porro abſceſſus integumentorum abdominis, thoracis,  
meſenterii, item exulcerationes ventriculi, veſicæ, proſtatarum  
&c. effuſiones ſanguinis in capite, & vaſorum brevium ventri-  
culi, rupturas hæmorrhoidalium venarum, lienis, uteri &c. ulte-  
rius ſcirrhos viſcerum & glandularum &c. polypos cordis &  
arteriarum, calculum etiam renum & veſicæ, flatuſ denique, ver-  
mes & eroſionem ventriculi & inteſtinorum. Poſthæc damna re-  
cenſet ex cohibita cuticulari excretionem derivanda: defectus ve-  
ro perſpirationis cauſam adſcribit potiſſimum diverſæ aeris cor-  
pus ambientis & prementis qualitati, unde morbos anni temporibus  
familiares, epidemios, endemios, ſcorbutum, febres & deflu-  
xiones catarrhales &c. ſcite deducit. His ſubjungit graviffima **VII.**  
pathemata ex retrocedente in ſanguinem rurfus materia excre-  
mentitia ſeparata jam & extra cutis peripheriam delata, in achoribus,  
tinea, favis, plica Polonica abſciſſa, ſcabie, antiquis ulceribus  
intempeſtively conſolidatis, arthritide, podagra, ſudoribus axillarum  
& pedum, coryza, bubonibus, gonorrhœa, fluore albo &c. **VIII.**  
temere repulſis metuenda. Ipſum quoque ſanguinem non per-  
verſa tantum ſui qualitate; ſed ſola etiam quantitate nocere aſſe-  
rit, quem in ſinem a natura repertum eſſe ait in feminis tributum  
lunare, in masculis vero fluxum hæmorrhoidalem, de quo imprimis  
obſervat, quod ante hos 40 annos, ex quo Medicinæ exercen-  
dæ manus primum admovit, non adeo frequens & familiaris fue-  
rit, ac noſtra quidem ætate, cujus cauſam mutationi laborioſi vi-



- tz generis in desidiosum & molle ingeniose assignat : utrumque vero hoc profluvium criticum & salutare haud esse turbandum aut reprimendum graviter monet, atrocissimaque recenset symptomatica exinde provenire solita. Porro morborum ex morbis generationem dilucide evolvit, docetque fufius, quomodo, v. g. ex apoplexia paralyfis, ex epilepsia cæcitas & strabismus, ex mania melancholia & ex aliis morbis alii incunabula sua trahant; submovendas ergo esse priorum morborum reliquias, ne novis somitem subministrant, prudenter subnectit. Jam pulsus examen instituens, rejectis fictitiis plerumque ejusdem classibus Galenicis, quatuor tantum ipsius species ad motus essentiam pertinere affirmat, pulsus scil. magnum & parvum, celere & tardum, atque ex his compositum vehementem ac debilem; monet tamen, nullam dari differentiam inter pulsus celere & frequentem, quod jam olim fufius atque solidius demonstravit contra celebrem Medicum, olim Collegam suum, jam Archiatrum Regium. In genere vero mutari pulsus ratione sexus, temperamenti, ætatis, laboris, affectuum, sermonis intensi, rariorum medicamentorum, potus quoque, nec non venæsectionis, balneorum, aliarumque circumstantiarum, subnotat: ab hoc ad mutationem pulsus in febribus, hæmorrhagiis, dysenteria, aliisque morbis pectoris, capitis &c. transit, monetque, non in uno saltim aut altero manus carpo, verum & in collo atque temporibus explorari debere pulsus rhythmum, quod, experientia teste, pulsus in manu multum sæpius discrepet a pulsu partium commemoratarum. Quid vero de ipso sanguine ejusque imprimis sero diversi coloris supernatante sit sentiendum, item quale examen per ponderationem, exsiccationem & affusionem variorum salium & liquorum cum ipso sanguine sit instituendum, quodque judicium exinde formari debeat, in sequentibus erudite ostendit. A sanguine ad urinæ & sudoris examen se confert, probatque ex curioso experimento de se ipso sumto & lectu digao, priorem quantitate & pondere omnes alias corporis excretiones, in nostro climate frigidiore, superare, contra quam in suo calidiore observavit Sanctorius: porro in ipsa urina triplex sal, culinare, acidum & volatile hospitari, nec non oleum subtile calidum, item & principium terrestre ipsi inesse.
- Cap. X.
- XI.
- XII.
- XIII.

inesse. Quem autem usum in pathologicis & therapeuticis præ-  
 llet uroscopia & uromantia, & quid de diverso urinæ colore &  
 sedimento sit judicandum, latius ibidem explicat. Quomodo ve-  
 ro sudor differat ab ipsa perspiratione, item quod sulphuræ sit in-  
 dolis, & non unius semper coloris & odoris, & quando denique  
 salutaris & criticus, quando vero suspectus & mali ominis sit, soli-  
 de ibidem disquirat: his demum quædam adjicit de alvinæ ex-  
 cretionis necessitate & diversa in morbis qualitate, diversoque hinc  
 omine nunc in salutem, nunc in funestum eventum. De celebri **Cap. XIV.**  
 illa in morbis crisi, ipsisque diebus criticis testatur, eos in experi-  
 entia rationali omnino esse fundatos, hincque ingenue communi-  
 cat, quid per praxin quadraginta amplius annorum in omnis  
 generis febribus, præcipue vero variolis, morbillis & petechiis  
 circa crisin observaverit, additque in fine porifinata quædam pra-  
 ctica Medicis cognitu utilissima. Ceterum prognosin de certis **XV.**  
 imminens in morbis periculi, ipsiusque mortis, indicia utilem  
 quidem censet & necessariam; arduam tamen simul ac difficilem;  
 certa ergo signa indicat, ex quibus vel de ipso serali, vel de in-  
 flammatione & sphacelatione letifera & instante morte sententiam **XVI.**  
 ferre liceat. Ipsam vero causam mortem in morbis generantem  
 esse pronunciat penitus sublatam progressivam & circularem san-  
 guinis & humorum, beneficio cordis & vasorum, motionem, si-  
 quidem in defunctorum cadaveribus deprehensum fuerit, nunc  
 sanguinis serique extravasationem, nunc polyposum concremen-  
 tum, nunc denique sphacelationem mortem immediate produxif-  
 se. Quibus singulis perquam solide & erudite pertractatis, ad **Sec. II.**  
 ipsam nunc medendi methodum propius accedit, optimamque **Cap. I.**  
 censet ipsius naturæ, qua causæ morbificæ vi motus mechanici so-  
 lidorum & fluidorum per varia emunctoria sua sponte extermin-  
 antur. Quia vero isti naturæ motus sæpius justo sunt debiliores;  
 succurrere ipsi tum debet solertia Medici rationalis, removendo  
 primum obstacula, ut ipsa liberius operari possit, & sequendo  
 dein ipsius ductum in omnibus; quem in finem **III.** Autor qua-  
 tuordecim leges generales præscribit artificio in medendo apprine  
 profuturas. Ad hæc ipsa quoque remedia in auxilium advocanda **III.**  
 esse monet, dolet vero in tanta eorum silva nonnisi paucissimo-  
 rum

- rum vires & proprietates Medicis esse cognitæ, utpote veræ pathologiæ & philosophiæ experimentalis Chymico - Mechanicæ
- Cap. IV. plerumque ignaris. Insigni ergo philiatorum allevamento, indigestam hætenus medicamentorum molem in quatuor classes generales primus digerit, primamque constituit alterantium, alteram evacuantium, tertiam roborantium, & quartam denique sedantium: Alterantia iterum subdividit in absorbentia, temperantia, incidentia sive attenuantia & demum emollientia & demulcentia: Evacuantia porro in emetica, laxantia, purgantia, sudorifera, diaphoretica, diuretica, emmenagoga, hæmorrhoides moventia, expectorantia, errhina & sternutatoria, apoplegmatizantia & salivantia: Roborantia iterum in analeptica, balsamica, stomachica, visceralia, adstringentia & traumatica: Sedantia denique in antispasmodica, anodyna & narcotica. Singula hæc cujuslibet classis medicamenta cum cura recenset, eorumque virtutes dilaudat, imprimis vero cuius capiti saluberrima adjicit theoremata & corollaria practica, in quibus & de eorum agendi modo, & quomodo cum fructu sint adhibenda, erudite tractat. Panaceas, arcana & specifica universalia, qualia vulgus jactant & impostores, dari, recte quidem negat, non negat tamen specificam quibusdam remediis inesse in certis morbis efficaciam, exempli loco afferens rhabbarum in diarrhœa, corticem chinæ in febribus intermittentibus, nitrum in inflammatoriis, camphoram nitro nuptam in malignis, acetum & succum limonum in peste ipsa, ut de aliis taceamus. De venæsectione, usu scarificationis & cucurbitularum, nec non de applicatione hirudinum proponit theoremata XXI cum suis scholiis lectu sane dignissima, in quibus præclare docet, quid ante & post venæsectionem, & in ipsa sanguinis missione sit observandum; item quando & quibus applicandæ sint cucurbitulæ & hirudines. Postremum de generibus, usu & præparatione balneorum & pediluviorum agit, plenaque testatur fide, in gravissimis morbis debellandis, qui recensentur, balnea aquarum Teplicensium, item & simplicium temperate calidarum levamen attulisse præsentissimum; cautelas tamen adjicit circa eorum usum ratione subjectorum observandas. Ingeniose quoque ad balnea refert clysmata & enemata, quia intestina cras-
- sa

fa eluunt & abstergunt : distribuit vero clysteres in alterantes, evacuantes, roborantes & sedantes, quorum singulorum ingredientia curate percenset, additis de usu clysterum in praxi medica amplissimo, nec non de cauta eorundem applicatione monitis utilissimis. Atque hæc sere sunt, quæ ex opere hoc præstantissimo, in quo nihil non bonum & lectu dignum, carptim excerpere licuit. Sub finem optamus, velit summum Numen illustri Autori honoris sui & ætatis spatium jam fere decursum adhuc proferre, quo quartum etiam, quem meditatur, Medicinæ Systematicæ Tomum, de quo jam aliquot paginas feliciter profligatas & typis descriptas esse scimus, ad umbilicum perducere possit ; tumque vix erit dubium, habituros esse olim philiatros Systema plane incomparabile & omnibus ferme numeris absolutum.

*JO. FRIDERICI WEIDLERI OBSERVATIO  
conjunctionis Lunæ & Saturni, & auroræ borealis, quæ una  
eademque vespera post diem XXV Junii A. c. 1728  
Vitembergæ contigerunt.*

**C**onjunctionem Lunæ & Saturni contemplaturus primum de di operam, ut tempus horologii oscillatorii, quod ad manus erat, quam correctissimum redderetur. Eum igitur in finem quadrante quinquepedali, cujus in his Actis Mense Januario h. a. p. 42 meminimus, altitudinem lucidæ aquilæ paulo ante observationem accurate mensus sum. Deinde per telescopium astronomicum sex pedes longum & micrometro instructum, adspexi Saturnum Lunæ jam propinquum, & capta aliquoties utriusque distantia, deprehendi minimam 1 m. 20 l. die 25 Junii hora 12 m. 39 l. 33. Transibat autem Saturnus supra Lunam, ita ut linea recta, per ipsum & Hevelii lacum nigrum minorem, qui juxta mare hyperboreum situs est, ducta, fere ad centrum Lunæ tendere videretur. Idem Saturnus per telescopium XXII pedes longum visus, annulum suum versus terram utrinque apertum gestabat.

Eadem vespera diei XXV Junii, hora XI, aurora quædam borealis maxime illustris effulsit. Scilicet sub septentrione conspicit.

ciebatur tractus quidam caliginosus, horizonti sub altitudine 6 circiter graduum incumbens. Atque hic jam monstrum aliquid alere videbatur. Nam cœlum reliqua parte ferenum nubibusque vacuum erat, & imprimis septentrionali horizonti vicina regio, tum perpetuam lucem, a Sole non alte infra finitorem condito acceptam, spargere debebat. Suspicioni nostræ eventus respondit, siquidem ex illis tenebris prædibant sub initium tres quatuorve in verticem porrectæ columnæ luminosæ, hisque lente progressis in ortum, mox novæ ab occasu succedebant. Hæ columnæ non erant ejusdem longitudinis & crassitie. Quædam a sexto gradu altitudinis ad Zenith usque extendebantur, aliæ vix tertiam illius arcus partem percurrabant. Spissiores unum circiter gradum latæ erant. Circa horam XII magis versus occasum insolitum lumen vergebat. Hinc oriebantur arcus quidam lucidi expansi inter favonium (W) & cæciam (N.O.) Idem quoque repentinas subibat mutationes, & modo longiores modo contractiores evadebant. Nonnullorum derepente discerptorum lumen undulatum, instar fluctuum aquæ ventis commotæ, in verticem provolvebatur. Tales undæ illam, quam dixi, cœli regionem aliquandiu tenebant, quandoque cum iisdem rectilinea fulgura permiscebantur, vel novi arcus inde contorquebantur. Maximus horum arcuum inter favonium & cæciam hora XII m. 15 expansus per ipsum Zenith ducebatur, verum etiam hic subito in undas luminosas diffundebatur. Neque minus memorabile erat phænomenon conspectum paulo ante horam XII. Nam plures columnæ lucidæ tenuiores in Zenith, tanquam ad centrum suum, undiquaque confluebant, etsi ipsum Zenith non penitus attingerent. Aer tota illa nocte perquam tranquillus erat, leni cæcia spirante. Motus materiæ lucentis fere continuus erat, & evanida lumina plerumque nova excipiebant. Copiosiora tamen circa horam XI & XII, quam post illud tempus observabantur. Ceterum hujus phænomeni descriptionem vel ideo publicandam putavi, quia nondum reperi, tam illustrem auroram borealem hactenus a quoquam æstate fuisse visam. Quæ enim ab aliis descriptæ sunt, quantum memini, omnes vere vel auctumno apparuerunt.

MENSIS AUGUSTI A. MDCCXXVIII. 377  
A TREATISE OF THE MECHANICAL  
Powers,

h. e.

**TRACTATUS DE POTENTIIS MECHANICIS**,  
*in quo leges motus & proprietates potentiarum, metho-  
do facili ac familiari explicantur & demonstrantur;*  
Autore **ANDREA MOTTE.**


Londini, apud Benjamin. Motte, 1727, 8.

Plag. 15, & Tabb. æn. 3.

**Q**Uæ hoc libello continentur, primum quidem viva voce in collegio Greshamensi prælegit doctissimus Autor; qui proinde non Mathematicorum methodo, sed discursa quodam continuo ea proponenda judicavit, omnique studio id efficere conatus est, ut, neglecta potius brevitate quam perspicuitate, expressiones inveniret quam maxime familiares, & ad vulgare sermonis genus quam proxime accedentes. Quo & multis aliis harum rerum studiosis, neque in Geometria nimium versatis, & imprimis etiam industriis ac peritis opificibus, rem non ingrati- tam neque inutilem factam a se esse judicat. Divisus est tractatus totus in sectiones tres, cum appendice. In prima sectione explicantur ac demonstrantur leges motus, tanquam principia seitu quam maxime necessaria, unde proprietates potentiarum mechanicarum deinceps deducendæ sunt. De duobus prioribus axiomatibus sive legibus motus Newtonianis hoc loco imprimis agitur, itenique de massis & velocitatibus corporum, ex quibus vires eorundem atque effectus æstimari debent. Cum maximi momenti atque amplissimi usus sit propositio illa notissima de compositione motuum, quod corpus duabus viribus & directionibus simul impulsam diagonalem describere debeat parallelogrammi, cujus aliquod latus eodem tempore descripsisset, si alterutra vi sola fuisset impulsam, hinc nova quadam demonstratione confirmare atque illustrare propositionem illam, operæ pretium duxit clarissimus Autor. Est autem demonstratio hu-

Bbb

jus-



jusmodi: Ducta intelligatur recta  $ACD$ , juxta cujus directionem impulsus sit vi quacunq; corpus  $A$ . Impellatur deinde idem corpus in puncto  $C$ , nova quadam vi, cujus linea directionis sit  $EH$ . Ducantur per punctum  $D$ , (in recta  $AD$  pro lubitu assumptum) tres rectæ, quarum una  $GH$  ad  $EH$  sit inclinata, cum eaque concurrat in puncto  $H$ ; altera  $IK$  sit ad  $EH$  parallela; tertia denique  $LM$  ab eadem recta  $EH$  versus  $M$  declinet. Evidens est, corpus  $A$ , si absit vis nova  $EH$ , sola vi  $AD$  ita propulsurum iri, ut uno atque eodem temporis puncto per tres illas rectas transeat, nempe per communem earum intersectionem  $D$ . At ubi corpus, propter applicatam vim novam, priorem suam directionem mutare, & secundum  $YZ$  progredi cogitur, perspicuum est, quod tres istas rectas successive & diversis temporibus interfecare debeat, puta in punctis  $a, b, c$ . Dico igitur, hoc pacto necesse esse, ut pertingat ad rectam  $GH$ , in puncto  $a$ , citius quam ad eandem pertingere potuisset in puncto  $D$ , si sola vi  $AD$  fuisset impulsus. Quod plane evidens est. Nam conspirant duæ vires ad impellendum corpus versus lineam expositam; altera versus punctum  $D$ ; altera versus  $H$ : unde fieri non potest, quin major

oria-

oriatur celeritatis gradus, quam si unica vis singularis applicata fuisset. Contra idem corpus, propter accedentem eandem vim novam, tardius pervenire debet ad punctum  $C$  rectæ  $LM$ , quam absque hac vi ad punctum  $D$  pervenisset. Nam vis  $EH$ , quod vel ex sola diagrammatis inspectione patet, continuo id agit, ut corpus a recta  $LM$  retrahat; unde motum versus eam retardari haud dubie necesse est. Quoniam igitur corpus ad lineam inclinantem  $GH$  citius, & ad declinantem  $LM$  tardius pervenire debet, sequitur ut ad lineam mediæ positionis  $IK$ , quæ ipsi  $EH$  parallela est, nec citius nec tardius, sed eodem temporis puncto pervenire debeat, quo quidem ad  $D$  pervenisset, si sola vi  $AD$  fuisset impulsus. Quo demonstrato, non difficile est Auctori, etiam id quod reliquum est demonstrare. Nobis vero longius cum eo progrediendum haud videtur. Quin potius ab una ad alteram nunc transivimus libelli sectionem; ubi de præcipuis & usitatissimis potentiis mechanicis sigillatim & succincte tractatur. Septem vulgo numerari solent ejusmodi potentiæ, libra, vectis, trochlea, axis in peritrochio, planum inclinatum, cuneus, & cochlea; quibus variæ aliæ addi possent, ut vela navigiorum molarumque alatarum, arcus & elateres tensi, mallei. Autor de illis septem in hac sectione ordine agendum, de velis autem in alia sectione aliquid addendum judicavit. Methodo utitur ejusmodi, ut primo constructionem & applicationem machinæ explicet ac demonstrat, deinde præcipuas quasdam conclusiones inde deducat. Libræ proprietates partim comparatione ponderum eorumque velocitatum, partim resolutione motuum, more Newtoniano, demonstrat. Quod si in locum ponderis alterutrius vis alia, ut animalis, substituatur, machinam, mutato nomine, non libram dici, sed vectem, docet. Vectis quatuor recenset genera. Nam præter homodromum & heterodromum etiam recurvum memorat, atque eum, ubi vis applicata est inter fulcrum & pondus. Quid trochleæ, imprimis multiplicatæ, itemque axes in peritrochio, commoditatis habeant præ vecte simplici, ad elevanda altius vel facilius pondera, & quæ sint istarum machinarum præcipuæ proprietates, porro explicat. Filum, quo pondus in plano inclinato sustinetur,



netur, ad alterutrum brachium libræ applicat, atque ita, ope theorematis de resolutione motuum, proportionem quærit inter pondus illud atque aliud æquale pondus, quod ex eodem libræ brachio ad perpendicularum dependet. Vim cunei & cochleæ ex iis determinat, quæ de plano inclinato dicta sunt: ceterum exactissimam & Geometricam harum potentiarum computationem, propter nimiam frictionem, in praxi aut vix aut ne vix quidem evitandam, plus curiositatis quam usus habere contendit. In Sectione tertia partim generales quædam observationes de machinis antea descriptis continentur, partim etiam brevis tractatio de velis navium molarumque alatarum. Observat Autor, frequentissimam sed minus propriam esse loquendi rationem, cum machinæ augere vires dicuntur; machinas enim, proprie loquendo, non augere vires, sed id tantummodo efficere, ut convenientissime vires applicari possint. Deinde de prima origine atque inventione machinarum, itemque de imperfectione illarum, a frictione potissimum proveniente, nonnulla strictim commemorat. De venti in expansum velum effectu ostendit, quod se habeat ut quadratum velocitatis venti, atque ut quadratum sinus anguli incidentiæ simul. Agit etiam de directione, juxta quam velum a vento impellitur. De curvatura veli, de axe æquilibrii, de via ipsius navis, nihil demonstrat. Restat appendix: ubi termini quidam pure geometrici, quos evitare quibusdam in locis Autor non potuit, imprimis vero proportionibus sinuum, luculentius explicantur. Quod reliquum est, quin Vir doctissimus, si id instituto suo convenire judicasset, passim etiam majora quædam expromere potuisset, non videtur dubitandum.

*INDEX THEOLOGORUM EVANGELICO-Lutheranorum chronologicus, sistens a tempore reformationis ad nostra usque tempora illorum nomina, patriam, officia, & annos emortuales; Prodromi loco Bibliothecæ universalis Theologorum Ecclesiæ Lutheranae, præmissa allocutione*

MENSIS AUGUSTI A. MDCCXXVIII. 381

locutione epistolica, editus a JOH. ANTON. STRUB-  
BERG, Osnabrugensi.

Leingoviæ, ex officina Meyeriana, 1727, 8.

Plag. 16.

**Q**UOD evulgato ante triennium, de condendis Theologorum  
Lutheranæ Ecclesiæ vitis, schediastate vernaculo signi-  
ficavit consilium Cl. Autor, id præmissis huic libello *discursu præ-*  
*liminari*, denuo exponit, auxiliaque eruditorum in gravi hoc &  
difficili negotio iterum sibi iterumque exorat. De quatuor præci-  
pue rebus dissertatione hac præciali agit. *Primo* de historia  
biographiæ Theologorum Lutheranorum disserit, ductis a Lu-  
thero initiis, qui & ipse sodalium nonnullorum vitas consignavit,  
& alios, ut idem molirentur, gravius admonuit. Hujus deinde alii  
numerose legerunt vestigia, in duas Classes, eorum scilicet qui  
sine discrimine Lutheranæ & Reformatæ Religionis Doctorum  
historias dedere, & quibus separatim de Lutheranis agere con-  
stitutum fuit, Autori nostro distincti. Eos huc simul qui Aca-  
demiæ, Gymnasiæ, Ecclesiæ certarum, urbiumque  
singularum Theologos enarrarunt, arcessit, illis qui singularia  
ex vitis eorum excerpere, & quorum adhuc expectantur lucu-  
brationes, copiose adjectis. *Hinc* suum, quod cepit, consilium,  
ordinemque ac methodum sollicitè observandam, disertius ex-  
plicat. Opere nimirum vernaculo Theologorum A. C. addi-  
torum, meritis scriptisque ac fatum vicissitudine, inde ab ini-  
tiis Ecclesiæ a Lutherò repurgatæ ad præsentem usque ætatem  
celebriam, vitas complectetur, fata eorum, animi dotes, quali-  
tates, mores, virtutes, nexos, casus & calamitates, peculiare hy-  
potheses & controversias, scriptorum vel editorum, vel in sche-  
dis adhuc latentium catalogum, itinera, amicos & familiares, ini-  
micos, commercium literarium, genealogias, epitaphia, sym-  
bola, aliaque singularia scitu digna. Ordine, quo excesserunt sin-  
guli e vita, chronologico librum digeret, stylo usus liberali,  
miti, urbano, candido, cunctaque ex fontibus fide dignis hau-  
sturas. In tres partes opus dirimet, ad triam, quibus Ecclesia Lu-  
therana floruit, seculorum decursum, a præsentem, quo vivimus,

§. 6.

16.

32.

83.

facturus initium, indicemque subjuncturus locupletem. Ut vero, qua fide, quoque studio versaturus in his sit Doct. Autor, Lectori constaret, *tertio loco* subsidia ac fontes, quibus præter jam adductos, & eos qui generatim eruditorum vitas conscribere, uturus est, indicat. Elogiorum nempe, judiciorum, & bibliothecarum scriptores in consilium adhibebit, qui singulorum memorias scribere, tum & qui vitas eruditorum per nationes, provincias, & urbes disposuere, qui Reformationis, & singularum Evangelii Ecclesiarum historias condidere, qui res civiles perorando mentionem Lutheranorum Theologorum injecere, qui doctorum virorum sibi homonymorum vitas collegere, qui singularia ex eruditorum gestis annotarunt, & qui tandem Ephemerides, aut Epistolas eruditorum ediderunt, vel etiam manu exarata, & inedita nonnulla reliquerunt. *Quarto* utilitate laboris commendata, obstetricantes sibi eruditorum manus enixissime expetit, utque suppeticæ ferendæ ad Nicol. Försterum, Bibliopolam Hanoveranum, & J. Henr. Meyerum, Lemgoviensem & Osnabrugensem, nundinarum tempore Lipsiæ etiam commorantes, mittantur, humanissime rogitat. Proxima se allocutione progressum operis memoraturum, aliorumque benevolentiam celebraturum esse spondet. Quo autem, ubi fata forte Autorem prævenerint, securitati conquisitæ supellectilis consulatur, apparatus omnem bibliothecæ cuidam publicæ, suo tempore nominandæ, inferendum curabit, ne sua aliorumque opera præmatura morte evanescat. Specimen expectandi operis, quod hac vice communicat, Theologos nostri & superiorum seculorum, ordine annorum ferialium chronologico, & appendix superflites adhuc, eo sine exhibet, ut, qui desunt, ab erudito lectore indicari, quæque parum accurate allata sunt, corrigi & emendari queant. Neque vero, quin laudatissimum hoc egregiumque Cl. Autoris conamen, & probaturum se eruditis Evangelicæ professionis æstimatoribus, & omni facultate ab illis, in rei litterariæ incrementa, justumque Ecclesiæ nostræ splendorem, promovendum sit & juvandum, ulli dubitamus.

**OECONOMIA SALUTIS EVANGELICÆ, IN  
justo Articulorum nexu, methodo demonstrativa digesta, &  
uti**

*uti acuendo spiritali judicio, juvandaque memoria, sic etiam Christiana praxi accommodata; Autore D. JOACH. LANGIO, S. Tb. Prof. Ord. in Reg. Frid.*

Halæ Magdeb. in officina Fritschiana, 1728, 8.

Alph. 1 plag. 8.

**Q**UAMVIS eorum voluminum, quibus Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ *ὑπερέπαισι* continetur, hoc imprimis seculo adeo nulla sit penuria, ut iis potius tantum non abundare videamur; diversa tamen tractandi ratio, stilique varietas, ac novitatis gratia efficiunt, ut, quæ novis ornamentis in lucem emittuntur, institutiones dogmaticæ non possint non eruditis valde arridere. Nonnullos præterea copiosa tractatio juvat, neque hi arctioribus semet circumscribunt limitibus; sunt vero etiam alii, qui summam modo Theologiæ Christianæ in compendio, ac velut in nucæ exhibere conantur. Atque in horum numero Autor, quem jam honoris causa appellavimus, œconomix salutis Evangelicæ celeberrimus, locum sibi quoque vindicat haud sane ultimum. Nostri jam instituti ratio fert, ea breviter summamque recensere, quæ ad indolem libri paullo curatius introspectendam utcunque pertinere videbuntur.

Præmissa est universæ salutis œconomix *epitome Isagogica*; eaque satis ampla copiosaque, ubi haud secus, ac in tabulis synopticis, integer Articulorum fidei Christianæ omnium conspectus oculis objicitur. Præter stili facilitatem, methodus etiam uti maxime nativa, sic facillima est, & non solum juvandæ memoriæ, verum judicio quoque acuendo non parum inservitura. Etenim demonstrativa quadam ratione, & logica, quam vocant, connexionē cuncta inter se cohærent, & ut a primis utriusque, & naturalis & revelatæ, religionis principiis initium capitur, sic ab istis pergitur ad ea consecutaria, quæ catenata serie inde consequuntur. Id quod ex hac idea, quam delineaturi sumus, nemini non lucide apparebit.

Omnes, quotquot dantur, Articuli fidei non nisi *decem* includuntur *membris*, ita quidem, ut unumquodvis *membrum tres* complectatur Articulos. Sic statim in *Membr. I*, quod *salutis principium* tradit, *Art. I* de religione naturali, *II* de religione V. ac N.

T.

T. revelata, *III* de religionis revelatæ principio, Scriptura sacra, agit. Sub *Memb. II*, ubi *salutis Autor, Deus*, describitur, *Art. I* de Dei essentia, *II* de mysterio Trinitatis, & denique *III* de divinitate Christi & Spiritus S. præcipit. *Memb. III*, in quo *divina opera*, præcipue ad *salutis* institutionem pertinentia, utramque paginam faciunt, *Art. I* de creatione, *II* de imagine Dei, *III* de divina providentia, tractat. *Memb. IV* de *salutis* institutæ *jaçtura* sic nos erudit, ut *Art. I* lapsum protoplastorum, *II* statum peccati, *III* vires liberi arbitrii, exhibeat. *Memb. V* *salutis* restituendæ *fundamentum* in *Christo* docet, ita, ut *Art. I* de persona Christi, *II* de statu Christi duplici, & *III* de officio ejusdem triplici creditu necessaria proponat. *Memb. VI*, postquam de officio Spiritus S. ifagogice actum est, *salutis media*, ad ejus *ordinem* tendentia, offendit, quæ sunt vi *Art. I* verbum Dei, *II* Sacramenta utriusque fœderis, *III* ministerium ecclesiasticum. *Memb. VII* de *salutis ordine*, & quidem respectu *beneficiorum* conferendorum, exponit: in quo *Art. I* de vocatione, conversione &c. *II* de justificatione & electione, *III* de reliquis gratiæ muneribus, locum quisque suum occupat. *Memb. VIII* *salutis ordinem*, respectu *officiorum*, a salvatis salvandisque præstandorum, delineat: ubi exhibetur *doctrinæ practicæ* sive *moralis* compendium, dum *Art. I* de conscientia, *II* de officiis erga Deum, *III* de officiis erga homines, nos ipsos & alios, differit. *Memb. IX* *salutis* restitutæ *confortes* ob oculos ponit: quorum refertur *Art. I* de ecclesia, *II* de magistratu, *III* de conjugio & statu æconomico. Tandem *Memb. X* de *salutis* consummatione agit, & in eo *Art. I* de resurrectione mortuorum, *II* de extremo judicio, *III* de vita & morte æterna, pertractatur. Cuilibet dogmati *sedes biblica*, vel, si mavis, dicta, in quibus quodque fundatum est, præmittuntur; his proxime junctæ est *definitio*, cujus potiora momenta in addito *Scholio* indicantur, & sic indicata sigillatim uberiores lucem accipiunt, usu multiplici ubique subjuncto. Ceterum controversiæ hic nullæ tractantur, si ab iis discesseris, quæ in elenchico usu paucis modo attinguntur, eo consilio, ne in his theticæ theologiæ cultor plane sit hospes: qui & ad *causam Dei*, librum ejusdem doctissimi Autoris, cujus nos recensionem in Actis ipsis aliis locis jam adornavimus, expissime ablegatur.

Sub finem præfaminis idem Clarissimus Theologus haud dubiam spem orbi facit eruditi Commentarii in singulas Novi Testamenti epistolas & Apocalypsin, futura hieme, volente Deo, prelo subjiciendi: ad quem utilissimum laborem feliciter auspiciatque perficiendum vitam ei viresque precamur.

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Septembris Anno MDCCXXVIII.*

**THESAURUS JURIS ROMANI, CONTI-**  
*nens rariora meliorum Interpretum Opuscula, in quibus*  
*Jus Romanum emendatur, explicatur, illustratur, itemque*  
*classicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur.*

*Cum Præfatione EVERARDI OTTONIS,*  
*Juri & Antecessoris.*

## **Tomus III.**

Lugduni Batavorum, apud Joannem vander Linden, jun.  
1727, fol.

Alph. 5 plag. 17.

**P**Rimum isthoc in fasce locum obtinent *Quatuor fontes Ju-*  
*ris Civilis*, Dædaleum illud opus Viri incomparabilis, Jac.  
Gothofredi, quo nemo adhuc „ omnium, quotquot fue- „  
runt, interpretum, ortus & progressus juris, e tenebricoso anti- „  
quitatis carcere, magis produxit in lucem, vel ex Historicis, tam „  
Græcis, quam Latinis, ex Patribus, Conciliis & Synodalibus „  
Actis explicavit eruditius; nullus utilitatem, ex legum inscri- „  
ptionibus hauriendam, compactis & coassatis, quæ ex eodem „  
libro superiunt, fragmentis, magis est affecutus; neque alium „  
novi, qui tot speciminibus Juris studiosos docuerit, quibus an- „  
tis Jurisprudentiam contrectare, aut qua arte & apparatu vete- „  
rum prudentum fragmenta, Pandectis inserta, aggredi, aut qui „  
bus rationibus Principum constitutiones a falsi suspicione vin- „  
dicare oporteret: „ inquit Vir Præclarissimus, *Everardus Otto*,  
cujus elegantissima præfatio fere tota circa immortale istud mo-  
numentum ingenii Gothofrediani, ac præsertim ejus partem pri-  
mam,

nam, fontem omnis publici privatiq; juris, leges XII tabularum, occupatur. Harum legum fragmenta, ordini restituta, necdum annos triginta natus edidit Gothofredus, primum Heidelbergæ, A. 1616, senex vero eadem, repetita cura, notis quamplurimis auxit & A. 1652 moriturus Elaiæ Colladoni, Jcto & Senatori Genevensi, mandavit, uti eorum editionem, una cum tribus reliquis juris civilis fontibus, Legis Julix & Papix, ut & Edicti perpetui fragmentis, itemque Sabinianorum librorum ordine serieq; procuraret. Non vero vulgaria, & omnibus nota dictaque, de illis, quæ ad historiam XII tabularum pertinent, verbosis commentariis præfari voluit doctissimus Otto, memor veteris dicti:

*Occidit miseros crambe repetita magistros;*

potius, quod ad perfectionem commentarii Gothofrediani deesse videbatur, de legum Decemviralium præstantia, quibusdam in dubium vocata, disputat, atque in decem capita sequentia, de quibus iniquissimi illi Censores præcipue errores, lapsus & *παρορμητύ* ingeminant, diligentius inquirat: I an Romani prudenter Leges peregrinas adoptaverint? II quænam illæ sint Græciæ urbes, a quibus Leges petita? III an Leges Regiæ cum Regibus prorsus evanuerint? IV num origo ultima Legum Decemviralium sit ex Jure Mosaico repetenda? V quo pacto Leges genuina a spuris, & VI verba illarum antiqua a recentioribus separanda sint? VII an Decemviri æquitatem & prudentiam legislativam adhibuerint ubivis? VIII quanta utilitas ex limbo hoc Juris fonte hauriri possit? IX quinam ejus interpretes fuerint veteres & recentiores? ac denique X quid præ ceteris præstiterit Jac. Gothofredus, & quid in eo potissimum desiderandum videatur? De his singulis ut multa cum eruditione disserit & judicat, ita, quod capite sexto ad tabulam I, III & V de verbis antiquis & legitimis inveniendis illustrandisque spicilegium facit, imprimis desiderium inpicit, similem curam universo legum Decemviralium corpori navatam videndi, quo uno velut conspectu, qui præverint Gothofredo, quive meliora attulerint, cognoscere & quæ summo Viro prætermittenda sunt, edoceri detur. Postremo capite justum constituit pretium ac dignitatem operi Gothofrediano, cui longe nimium cedunt omnes quoruncunq; ad Leges XII tabu-

tabularum Interpretum conatus, & quod recentiores omnes non fecus, ac legitima & originaria verba, velutique e tripode dicta, pressim sequuntur, neque præceptis ejus meliora investigare audent, vel certe supervacuum laborem credunt. Veruntamen Cl. Otto egregio diligentæ suæ exemplo, cum in superioribus capitibus, quæ autoritatem præcipue legum Decemviralium attingunt, tum in hoc posteriore capite, quo varia in commentario Gothofrediano animadvertit & emendat, luculenter ostendit, Gothofredum hominem fuisse, & patere adhuc ingeniis campum, in quo sese exerceant. Fontes juris civilis in hoc tomo excipit *animadversionum Juris Civilis Liber* ejusdem Jac. Gothofredi, totus Joannis Steckii *Anticriticis Observationibus*, quæ Tomo I hujus Thesauri extant, oppositus, & totidem capitibus ejus respondens, quo retundit nefariam insulsi hominis audaciam, uno velut elogio atque horrendo prope carmine, quicquid emendationum ab Alciato, Cujacio, Hotmanno, Donello, Fabro legibus civilibus adnotum erat, proscibentis. Succedit III Jac. Gothofredi *de Cænotaphio, deque diversis, super ejus religione, Ulpiani & Marciani sententiis, diatriba*, cui & eruditio varia & raritas locum hic dedit. Jam sequuntur: IV Paganini Gaudentii, interpretis in Lyceo Pisano clarissimi, qui Romanas antiquitates & Theologiam cum Jurisprudencia conjunxerat, *Expositionum Juridicarum libri duo, quibus etiam Tacito, Suetonio aliisque lux conciliatur, cum additamento Critico*: V Gregorii Lopez Maderæ, Mantuæ Carpentani, postea in Academia Complutensi doctoris vespertini & per varios munerum gradus ad supremum usque magni Castellæ Senatus ordinem A. 1619 promoti, *Animadversionum Juris Civilis Liber singularis*, in quo, ipse licet antiquitatis peritus, eos notat, qui jura intelligere sine Cicerone, Tacito aliisque antiquis nescirent, atque in *cap. ult.* reprehendit Pandulphi Prateji, qui nunc VI sequuntur, *Jurisprudentiæ mediæ Libros IV.* in quorum prioribus tribus, & quidem in primo is sexaginta & centum geminationes, in secundo sedecim omissiones, in tertio quinque & triginta inversiones collegit, ab architectis in corpore juris relictas. VII Emundi Merillii *ad libros duos Questionum Cæstrati, item ad t. D. de servitutibus, ut & ad leges 31 priores*



tit. *D. de reb. cred. commentarii* nunc primum exhibentur e codice manuscripto. VIII *Dispunctio ad Merillium, seu de variantibus Cujacii interpretationibus Dispunctiones LIII*, Autore Ofio Aurelio, ut titulus præfert; sed verum ei nomen Francisci Ory. Ipse Doctor regens Academix Aurelianensis ditissimus, multique ingenii & laboris fuit, qui etiam *apparatum Jurisprudentiæ, & de pacto, dotalibus instrumentis adjecto*, scripsit. De raritate hujus dispunctoris, qui ad priorem Merilliani operis Variantium ex Cujacio comparatus est, satis constat, postquam de ea jam conquestus Bern. Gessari, in historia de Merillio, operibus ejus præmissa. IX Guil. Barclaji, primum in cathedra Mulsipontana Professoris & Decani, simul Ducis Lotharingix Consiliarii supplicumque libellorum Magistri, post in Univeritate Andegavenfi Antecessoris primarii, in titulos *Pandectarum de rebus creditis, & de Jurjurando, commentarii*. X Marci Vertranii Mauri *de Jure Libellorum liber singularis*, quem in præfatione ad Philibertum Bugnonium, Matiscensem Jctum, se scripsisse, ait, imitatione Pauli Jurisconsulti, cum tamen hujus de jure libellorum, nullus de jure liberorum liber memoretur, *l. ii D. de Legation*. Fuit Maurus discipulus Joannis Geraldi, Jani Papii & Æmilii Ferretti, cujus imitatione notas ad Tacitum edidit, bonas, ut tum tempora erant. Scripsit quoque philosophus *de fiducia*. Sed quæ de lege Papia in hoc commentario dixit, pleraque rectius elegantiusque scripsere recentiores. XI Car. Annibalis Fabroti, Antecessoris Aquis-Sextiensis, varia opuscula: *ad tit. Cod. Theod. de Paganis, sacrificiis & templis, nota: Exercitationes XII, quibus accedunt leges XIV, quæ in libris Digestorum decrant, Græce & Latine nunc primum ex Basilicis editæ: Replicatio adversus Cl Salmasium, in qua, mutuum alienationem esse, ostenditur, de dominio dotis, & de conditione tractatur*. Notas ad tit. Cod. Theod. de Paganis, miscellæ & varix scriptiois plenas, ipsi invito extorsere necessarii, postquam Jac. Gothofredus specimen suæ commentationis in Codice Theodosiano ad eundem titulum ediderat. Exercitationes varia præstant eruditione, ac diligenter amœniores juris quæstiones pertractant, earumque prima *de iustopartu*, & ultima *ad l. 18 C. de transact.* ceteris palmam præripiunt. Apologiam

giam præmisit Fabrotus pro Græcis Βασιλικῶν interpretibus, sed maxime pro Theophilo, Institutionum paraphraste, de quo Em. Merillius non satis honorifice senserat *lib. VIII Observ. cap. 24 sequ.* & in *Append. Variant. ex Cujac. cap. 2.* Replicationem adversus Salmasium præcessit epistola Fabroti ad amicum, statim cum lecta esset, Vulcano committenda. Hæc tamen, Æg. Menagius effecit, ut in Salmasii manus perveniret, qui in epistola ad eundem novem argumenta sibi obmota diluere conatur, cui replicando Fabrotus respondit. XII Constantii Landi, Caselarum Padi Comitum Patricique Placentini, *ad tit. Pandectarum, de Justitia & Jure, enarrationum liber*, ejusdem in *l. 1 & 7 D. de legib. interpretatio*, item in *l. 18, D. de acqu. & am. poss. brevissima declaratio*. Ejusdem in *Jus Civile sparsim contentarum exercitationum*; item *prætermissorum libellus*. XIII Joannis Leunclavii *notatorum libri duo*, ad complura Codicis, Novellarum, Digestorum, Institutionum Juris civilis loca, quæ integritati suæ restituntur & vindicantur. XIV Henrici Brenemanni *Lex Remmia, sive de Legis Remmiæ exitu, liber singularis*, una cum dissertatione *de satis calumniatorum sub Imperatoribus*, nunc primum luce donatur. Invenit vero Vir doctissimus rationes, quibus existimaret, defendi posse, Legem Remmiam ne sub ullo quidem Imperatorum obtinuisse, multo minus sub Constantino demum desuisse eam dicendam, contra Cujacii & reliquorum omnium interpretum opinionem. Colophonem huic Tomo imponunt XV *Glossæ veteres verborum Juris, quæ passim in Basilicis reperiuntur*, quas e manuscriptis Codicibus Bibliothecæ Regiæ erutas & notis illustratas edidit Carolus Labbæus, anno superioris seculi sexto. Accesserunt nunc in hac editione ipsis glossis additiones ex libro manuscripto, præterea Josephi Scaligeri & aliorum doctorum virorum emendationes, denique notæ Viri Amplissimi, Antonii Schultingii. Occasionem huic editioni præbuit fatum exemplaris, quod Scaligero quondam donaverat Car. Labbæus. Namque legit id Scaliger & multis in locis correxit manu propria, deinde ad Labbæum remisit, qui ipse constituerat incudi reddere has glossas cum additionibus e MS.ºo meliori, & cum Scaligeri notis, interea vero exemplari, quæ noviter præstiturus erat, manu propria

adscripterat: desumpsit inde Henricus Copes, Jctus & apud Syl-  
væ - Ducenses quondam Scabinus, alique codici adjecit, cui &  
unani alteramque correctionem adlevit: plusculæ tamen notæ  
sunt Gisberti Cuperi. Pervenit posterior Codex liberali Copesii  
manu ad Virum Illustrem Corn. van Bynckershœck, qui typo-  
grapho, hujus Thesauri editor, utendum indulgit. Plurimum ve-  
ro lucis & ornamenti accessit a notis excellentissimi Schultingii,  
qui, Virorum insignium, Joannis Meursii, Caroli du Fresne,  
Barn. Briſsonii, imprimis vero Basilicorum & Scholiastæ, Theo-  
phili, aliisque præfidiis adjutus, quin etiam ultra ejusmodi admi-  
nicula, pro multiplici doctrina sua, elegantissima multa annota-  
vit, additiones a Labbæo prolatas suis inseruit locis, uncis inclusas,  
notas Labbæanas, Scaligerianas, & reliquas, quibus addita erant  
nomina, iisdem discrevit, alias, ubi omiſsa nomina, stellula signa-  
vit. Ac de suo longe numerosiores notas daturus erat, si vel fon-  
tes, unde quidquid haustum esset, ubique voluisset indicare, vel  
etiam ipsorum autorum errores perstringere, aut si plusculum  
temporis suppetiisset. Etenim Bibliopola serio id jam agit, ut hic  
Thesaurus ad finem perducatur, ideoque properato fuit opus.  
Destinavit is unum adhuc Tomum eidem adjiciendum, cui acce-  
det quoque Index generalis legum, in quatuor his Tomis illu-  
stratarum aut emendatarum, ac per pauca operarum errata emacu-  
labuntur. Convertet deinde sollicitudinem suam ad edenda Baldui-  
ni, nec non Scipionis & Alberici Gentilis Opuscula, magnam eru-  
ditorum, elegantia sua & accuratone, gratiam initurus.

THE TRUE SCRIPTURE-DOCTRINE OF  
the Holy and ever Blessed Trinity, stated and defended in  
opposition to the Arian Scheme.

h. e.

VERA SCRIPTURÆ DOCTRINA DE SAN-  
ctæ & beatissimæ Trinitate stabilita ac defensa contra  
Arianum Schema; Autore ABRAHAMO

TAYLOR.

*Volumina II.*

Lon-

Londini, apud Jo. Clark &amp; Richard Hett, 1727, 8.

Alph. 1 pl. 13.

**I**N Præfatione Cl. Autor diversa exhibet schemata, contra doctrinam de sanctissima Trinitate in unitate Dei, ab hæreticis in medium allata, quorum notatu maxime digna censet Sabellianum, cum quo Socinianum fere sit unum idemque, & Arianum. Utamque vero hypothesein ortum inde traxisse, quod homines isti confuderint essentiam & personam, distitantes, diversas personas non esse, quæ non habeant diversam naturam vel essentiam. Sabelliani ex Scriptura sacra convicti, quod Filius & Spiritus S. represententur certe ut divini; unum supremum Deum, cui tria competant diversa nomina, esse statuebant, ac ut tuerentur veram divinitatem Filii & Spiritus S. negabant eos reales esse personas. Hoc schema non tantis premitur difficultatibus ex ratione depromtis, quibus omnes reliquæ hæreticæ hypotheseis impugnari possunt, sed adeo manifeste repugnat Scripturæ sacræ, ut, quocumque tempore Anti-Trinitarii eo confugerint, ipsorum causa statim fuerit desperata. E contrario Ariani semper agnoverunt, Filium & Spiritum S. esse personas, aut vero ad ordinem creaturarum eos redigere nefario ausu conati sunt, quanvis ab hac appellatione sedulo abstinerint, ut communem orthodoxorum censuram effugerent. Quam Arianorum Historiam ex Patrum & Historiæ Ecclesiasticæ monumentis Autor recenset, simulque ostendit, quinam post tempora Reformationis præcipui Anti-Trinitarii fuerint, ad quorum partes eruditum Erasimum ac inter Remonstrantes nonnullos, ut Episcopium ac Curcellæum, quam proxime accessisse iudicat. Quin etiam Petavium Jesuitam, vel Arianismo faventem, vel aliud quid, quicquid demum sit, spectantem, omnes ingenii nervos intendisse, ut probaret, omnes scriptores ante Nicænum Concilium huic Arianorum sententiæ, ab isto Concilio damnatæ, fuisse addictos, qua de re non solum Zwickerus, Socinianus Medicus, ab Hoornbeckio solide confutatus, verum etiam notissimus Arianus Sandius in Historia Ecclesiastica mirum in modum gloriati sunt. Qui prætextus vanissimi Petavii & Sandii excitarunt eruditum Episcopum, Georgium Bullum, ut admirabili operi manum admoveret ac defensionem Fidei Nicænae

cænz ederet, in qua antiquos Scriptores, qui intra tria prima Ecclesiæ Christianæ secula floruerunt, erudite ac solide vindicavit a calumnia nulli prorsus fundamento innixa. Contra quod elaboratissimum opus ab adversariis nihil scriptum est, quod mereatur aliquam responsionem, nam quæ nuper a D. Whitby contra illud publicata fuerint, pro delirio merito habenda esse, Autor censet.

Ipsa vero Cl. Autoris nostri intentio in præsentî libro eo spectat, ut Summarium sistat controversiarum, quæ ad doctrinam de S. Trinitate pertinent, veramque divinitatem Filii & Spiritus S. validissimis clarissimaque luce coruscantibus argumentis evincat, itemque præcipuis satisfaciât objectionibus, quæ ab adversariis catholicæ doctrinæ opponuntur. Totum tractatum dispartit Autor in tres partes, quarum priori argumenta proponuntur, quæ divinitatem Patris, Filii & Spiritus S. conjunctim probant, id quod probatur cap. I ex notionæ, quam Scriptura sacra de Deo nobis suppeditat, ubi luculenter nobis ob oculos ponit unitatem naturæ Dei & trinitatem personarum, nimirum Patris, Filii & Spiritus S. in una divina natura. Hæc gloriosa doctrina omni tempore fuit fides Christianæ Ecclesiæ, quamvis captum rationis longe excedat, quomodo tres personæ sint unum quid ratione naturæ. Neque erubescit Autor, cum de re ipsa certissime sit convictus, fateri ignorantiam modî hujus magni mysterii, quod vel propterea aliquis minus mirari queat, cum in ipso naturæ regno sat multa occurrant, ubi de ipsa re nemo dubitare potest, cum modum rei nullus vel acutissimorum philosophorum explicare valeat, uti inter multa alia exempli loco esse potest unio animæ rationalis cum corpore nostro. Quam ob causam Cl. Autor non vult imitari eorum vanitatem ac superbiam, qui non contenti iis, quæ revelata sunt, claras hujus mysterii notiones afferre sategerunt, quæ res vires creaturæ finitæ multum superat. Quo factum est, ut ii, qui altum & supra id quod scriptum est, sapere voluerunt, insignem numerum difficilium vocabulorum & obscurarum notionum introduxerint, quæ tantum abest ut rem magis perspicuam faciant, ut eam potius confusam ac intricatam reddant.

Cap. II Autor probat unitatem naturæ vel essentiæ Patris, Filii & Spi-

Spiritus S. ac multis vindicat locum celebratissimum *1 Joh. V, 7*, tum contra eos, qui hæc verba nil aliud quam unitatem consensus probare contendunt, nam unitatem naturæ indicari, vel exinde constare, quod Apostolus in sequenti versu, ubi loquitur de spiritu, aqua & sanguine, consentientibus in unum testimonium, stylym mutet ac dicat: *καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσι*, cum e contrario de Patre, Filio & Spiritu S. dixerit: *καὶ ἕτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι*, hi tres unum sunt, non unitate personæ, sed naturæ vel essentiae; tum contra eos, qui hunc textum supposititium esse affirmant, ubi Autor probat, tum in multis vetustis MSCtis, tum in versione Armenica eundem translatum legi, adeo ut hoc Sandius frustra negaverit, & Millius quoque testetur, se a Viro longe doctissimo, Guiljelmo Guisso, certiore factum esse, pericopen hanc præferre versionem Armeniam. Legitur itidem textus iste in antiqua versione Italica, statim sub initium Christianismi confecta, prout ex citationibus Tertulliani, Cypriani, Fulgentii aliorumque, qui hac versione usi sunt, apparet: neque ab Hieronymo, qui antiquam versionem emendavit, locus iste rejectus est, quandoquidem in antiquissimis hujus emendatæ Hieronymianæ versionis exemplaribus legatur, uti pluribus probavit Martinus in peculiari dissertatione Critica, quam de hoc textu Johannis publicavit. Præterea Noster multos affert scriptores usque ad sextum seculum, qui hoc dictum citarunt. Cap. III & IV Autor æqualitatem Patris, Filii & Spiritu S. probat tum ab æquali cultu religioso, quo Scriptura S. eos prosequi jubet, tum a forma baptismi; cum enim baptismus in nomine trium instituitur, sequitur, ut, si unus horum trium sit persona, etiam reliqui duo sint personæ, item si Pater est verus Deus, Filius quoque ac Spiritus S. Deus sint necesse est. Hinc certissimum esse, quod a primis temporibus Christianismi forma baptismi nunquam de Deo ac duabus creaturis vel inferioribus Diis, primo subordinatis, intellecta fuerit, sed de tribus personis, quarum quælibet sit Deus, & quæ secundum essentiam sint unus ille verus ac summus Deus, id quod pluribus testimoniis scriptorum ac symbolorum primitivæ Ecclesiæ Autor confirmat.

Postquam in prima parte Autor argumenta in medium attulerat,

lerat, ex Scriptura S. depromta, quæ æqualem gloriam trium divinarum personarum in sanctissima Trinitate adstruunt: jam in secunda Christi, ac in tertia parte Spiritus S. divinitatem separatim probat, quam veritatem minime per remotam consequentiam ex Scriptura elici ait, quin potius clarissimam ejus lucem oculis sedulorum Scripturæ scrutatorum abunde sese ingerere, tanta cum evidentia, ut homo sana mente præditus nihil amplius desiderare possit. Quamvis enim Christus ut mediator inter Deum ac homines & jultus Dei Patris servus, ratione officii voluntarie in se suscepti, ut nimirum redemptionem generis humani efficeret, ceu inferior Patre eidemque subordinatus repræsentetur; minime tamen gentium hoc divinitatem Christi evertit: nam secundum naturam, quam ab æterno per generationem habet, nimirum divinam, æque magna de Christo ac de Deo Patre manifesto prædicantur. Hoc integris XII capitibus Autor probat, quæ præcipue eo redeunt, ut ostendatur, Christum esse Patri ὁμοῦσιον, i. e. unam eandemque numero cum Patre naturam & essentiam habere, quæ sit causa, ut nomen Jehovah soli Deo proprium ac alteri incommunicabile Christo tribuatur, itemque ut Christus Deus appellatur absque omni restrictione ac limitatione.

Hinc porro evincitur, Christum Deo Patri secundum divinam naturam esse æqualem, ipsique competere non solum nomina Dei atque titulos gloriosos ad solam majestatem divinam pertinentes, sed etiam attributa divina, æternitatem puta, immutabilitatem, omniscientiam, omnipræsentiam, item summi Dei opera, creationem, conservationem, miraculorum patratiorem, tandemque cultum religiosæ solique Deo debitæ adorationis. Et ex iisdem nominibus, attributis, operibus, ac cultu divino, Spiritui Sancto quoque competente, ejusdem divinitas in tertia Parte capitibus IV solide adstruitur, loca Scripturæ S. diligenter explicantur & ab objectionibus adversariorum strenue vindicantur.

A DEFENCE OF THE DOCTRINE OF THE  
Resurrection of the same Body, by WINCH  
HOLDSWORTH.

i. e.

VIN-

MENSIS SEPTEMBRIS A.MDCCXXVIII. 395  
*VINDICIÆ DOCTRINÆ DE EJUSDEM*  
*corporis resurrectione ; Autore VINC. HOLDS-*  
*WORTH, Theol. D. & Collegii S. Johannis Bapt.*  
*Oxon. Socio.*

Londini, apud Car. Rivington, 1727. 8.

Plag. 19.

**C**UM S. R. Autor in sermone quodam sacro Lockii de resurrectione corporis humani sententiam impugnasset, eumque non obscure Socinianismi arguisset, moxque quidam ex illius discipulis Apologiam pro Lockio edidisset, suarum partium putavit Noster, quæ de Lockio protulerat, porro tueri, eumque paulo accuratius refutare. Duæ inde hujus operis partes enatæ, quarum prima Autor probat, Lockium quædam afferuisse a Socini mente haud aliena, ut: ideam Dei menti humanæ insitam non esse; animam humanam tempore inter mortem & resurrectionem medio alto sopore occupari; peccatum originis ab Adamo in omnem humanam naturam derivatum non esse; Christum satisfecisse justitiæ divinæ pro peccatis hominum, proprie dici non posse; damnatos post hanc vitam non æternis cruciatibus afficiendos; idem corpus post resurrectionem non restauratum iri. Ino eum mysterium Trinitatis impugnasse putat, quamvis ab hoc crimine videatur olim a Stillingfleeto absolutus; nimirum quia sufficere dixit, ut quis Christianus sit, si credat, Christum esse verum Messiam, cum tamen præterea necesse sit, ut credat, Messiam illum verum Dei filium atque adeo naturæ divinæ esse. Sunt plura, quæ Lockio, quem cum Shaftsburio, Collino & Trenchardo, Deistis, æquiparat, ex ipsius Paraphrasi Epistolarum Paulinarum & Legibus in Carolina Insula observandis objiciuntur, quæ præmittimus. Parte libri altera Autor Lockii sententiam de resurrectione non ejusdem corporis impugnat, imprimisque passim de artibus Lockii conqueritur, nunquam ingenue sententiam suam proferentis, sed ita semper loquentis, ut in jus vocato verba in alium detorquere sensum liceret. Quare resurrectionem ejusdem corporis negare videri non vult, sed arbitratur saltem, in S. Codice nunquam ejusdem corporis resurrectionem vel a Christo vel ab



Apostolis ejus, hoc in argumento tamen sæpius versatis, disertis verbis proponi. Sermonem igitur dicto, quo hanc opinionem Autor noster aggressus erat, non modo resurrectionem corporis, sed imprimis ejusdem corporis vindicare intulerat, nugas philosophicæ atque mathematicæ identitatis, quibus mentem suam adversarius obvelaverat, explodens, eoque sensu identitatem hanc interpretatus, quo vulgo homines a pueritia ad senectutem idem habere corpus dicuntur, demonstratque una, hanc identitatem disertis S. Scripturæ verbis exprimi & innui. Quæ adversarius his opposuit, eo maxime redeunt, ut ostenderet, aut non discessisse Lockium a recepta in hoc doctrinæ Christianæ capite sententia, aut cum quæstio illa non sit de fidei fundamento, liberum cuique relictum esse, quomodo concipere hanc resurrectionem atque explicare velit. Hisce Noster responderet, Lockium, utcumque argute terminis luserit, ita se abscondere non posse, quin mens ipsius satis appareat, eumque, aliorum humanitatem, ut permittant, se circa articulum, qui non est de fidei Christianæ fundamento, suo abundare sensu, implorantem, illam vix mereri, cum immodeste admodum pro lubitu a se effictam interpretationem iudicio ecclesiæ universæ, jam a multis annis recepto, præfidentius opponat. Eandem vero in hoc articulo jam antiquissimis temporibus SS. Patrum, atque Christianæ fidei Symbolorum, sententiam fuisse, quam Ecclesia adhuc tuctur, impugnatam temere a Lockio, ut ille causetur, quod disertis verbis ejusdem corporis resurrectio in symbolis illis haud exprimitur, uberius exponit. Propius inde ad vindicandum ab adversarii argutiis sermonem suum accedit, atque porro, quam proposuerat ibi vulgarem, ut vocat, identitatem corporis resurgentis, contra Lockium, negantem mathematicam & numericam identitatem, quod corporis humani particulæ a pueritia ad canos usque continuo distant, adeoque in resurrectione non nisi prima stamina reliqua fore afferentem, defendit. Inconstantiam rursus Lockio exprobrat, ita passim locuto, ut non modo mathematicam & numericam identitatem negare, sed hominem resurgentem novo prorsus corpore donare videatur. Inquit inde in dignitatem quæstionis hujus ac vindictarum vulgo receptæ sententiæ necessitatem, cum non appareat, qua ratione,

si Lockii Sententiæ quis subscribat, veritatem minarum, in S. Scriptura de puniendis in eodem corpore patris sceleribus revelatarum, afferere ac tueri queat. Præterea doctrinam Scripturæ Sacræ hanc esse, quam Lockius negaverat, allegatis atque a subdola Lockii interpretatione vindicatis pluribus S. Codicis locis, imprimis *Rom. VIII, 11, Phil. III, 21, 1 Cor. XV, 53, Job. V, 28, 29*, aliisque confirmat. Quandoquidem vero cum sublimi admodum Philosopho ipsi res est, qui in S. Scriptura erat imprimis versatus, facile est colligere, quanti Autori nostro consliterit, inventa ab ipso atque micro ingenii acumine ac solertia stabilita argumenta explodere. Præclara vero sunt, atque Autoris ingenium erundis abstrusis aut studio absconditis rebus aptum satis produnt, quæ contra adversarium an τὸ Φθαρτὸν & τὸ θνητὸν idem sit quod *νεκρὸς*, it. an mortui & corpora mortuorum secundum S. Scripturæ stylum idem sint, disputat, aut quibus ea persequitur, quæ inter Lockium & Worcesteriensem Præfulem olim agitata fuerunt, quæ repetere non patitur instituti nostri ratio. Inde ejusdem corporis resurrectionem argumentis ex natura atque essentia tum Dei, tum hominis petitis adstruit, nec interesse, sive homo resurgat, sive non resurgat, nisi eodem præditus corpore restauretur, nec hanc resurrectionem, sed novam prorsus vitam, absque pristino corpore fore, pluribus confirmat. Neque argumentis duntaxat adversus Lockium utitur, sed passim acutissimo Philosopho, receptam de mortuorum resurrectione sententiam impugnantem, propositum maxime fuisse, ut incautis, nullam plane resurrectionem fore, persuaderet, suspicatur, quæ conjectura de mente Lockii, pridem e vivis sublata, num locum inveniat, aliis dijudicandum relinquitur.

THE ENGLISH BARONAGE, OR AN HISTORICAL Account of the Lives and most memorable Actions of our Nobility.

i. e.

BARONATUS ANGLIÆ, SIVE DESCRIPTIO Historica Vitarum & rerum imprimis memorabilium

Ddd 3

Nobi-

*Nobilitatis Anglicæ; Autore ARTHURO COLLINS, Equite.*

*Volumen I.*

Londini, apud Robertum Gosling, 1727, 4 maj.

Alph. 3 pl. 19 fig. xii. 5.

**G**enerari & nasci fortuitum licet sit, dicente Tacito, Nobilitatem tamen, si dignitatem hæreditariam virtutibus exornare conentur posteris, honos decusque semper manebunt. Non defuerunt proinde superioribus nostrisque temporibus Historici, qui Nobilium res memoratu dignas in singulis fere regionibus litteris consignarent. Hinc suæ quoque gentis curam insignem sibi desumpsit Collinus, Guil. Dugdahi Baronatum Angliæ erroribus haud destitutum, mancum præterea rebusque imprimis recentioribus carentem cernens, dum vitas, res gestas, fata, descendentes, & matrimonia Nobilium Anglorum ex Manuscriptis, documentis publicis, Kingii notis MSCtis ad Dugdaliu, ac scriptis Historicis aliis, subjectis ubique sub finem pagellarum Autoribus fide dignis, & adjunctis figuris Heraldicis, memoriarum mandare est aggressus, unde quædam hoc loco communicare, nostri erit officii. Imprimis vero notamus, præcipue Tomo hoc contineri Gentes illustres, Cavendish, seu Duc. Devonix, Churchill, Marlborough, Pelham Holles, Duc. Novi Castri, Sackvil nunc Duc. Dorcix, Comptum Comitum Northamptonix, Lumley Comitum Scarburgi, Comitum Cholmondeleix, Hervey Comitum Bristolii, Baronum Cartereti, Baronum Staweli, ac Baronum Walpolix, quorum cognomina, Normannis usitata, & ab officiis, civitatibus similibusque desumpta, Eduardi II ævo Anglis in usu imprimis esse cœperunt. Vesana Thomæ Wolsejii ambitio exinde elucescit, quod insignibus Regiis in moneta publicæ expressis, literas nominis sui initiales T. W. ex utroque latere apponi curaverit, exsculpto inferius galero Cardinalitio: quanto splendore vixerit, numerus 800, ipsius servitio addictorum, monstrat, quos inter primæ Nobilitatis viri extitere. Johannes Dux Marlboroughii, inter Heroes nostri temporis inclutus, Jacobo II ad solium Regi-

Regium vix admoto, Anglica libertate usus, prædixit, se aliquando, si religioni & conscientiæ viam inferret, obsequium ipsi denegaturum; prælio ad Walcurnium tam prospere rem gessit, ut Waldeccius nunciaret Wilhelmo III, Marlboroughium uno die artes summi Militiæ Præfecti perspexisse melius, quam aliis pluribus annis obtigerit. Defuncto Wilhelmo III, cum fama ferret, Annam ultima ejusdem voluntate a successione fuisse exclusam, cum aliis fuit delegatus, ut chartas Regias scrutaretur, sed rem secus se habere fidelissime mox detexit. Arcem Leodiensem vi expugnavit, Anglis prædam tam insignem reportantibus, ut 3 auri Tonnæ florenorum, & myrias chirographorum atque ultra numeraretur, & uni ex gregariis Anglorum mille aurei Gallici (*Louis d'or*) in sacculo reperti obtigerint. Res ad Mosellam ex voto haud succedentes, tarditati Germanorum & Ludovici Badensis invidiæ in Marlboroughium tribuuntur. Postea Marlboroughius ideo maxime officiis omnibus est privatus, ne Eugenium, Imperatoris nomine in Angliam transfretantem ad disturbanda Rigidorum consilia, calculo suo juvaret. Sigilla tanti quondam æstimata apud Anglos, ut Regi saltem, Nobilibusque, non inferioris ordinis hominibus, iisdem uti licuerit, & illi, qui sigillum adulterassent, deportatione punirentur. Primus inter Anglos ferme Henrici II tempore usus est cognomine Turchillus, Comptoniæ gentis sator, nomine *Turchillus de Eardene* a domicilio mutuato; quæ tamen, quomodo cum superioribus conveniant, nos vix perspicimus. Davidson, qui sententiam adversus Mariam Scoticam citius, quam per erat, executioni mandaverat, 10000 libr. Sterl. & carcere pro arbitrio Reginæ est punitus. Plura nunc de Illustri *Walpoliorum* gente, fide in Regem patriamque, ætate imprimis nostra, famam immortalem nacta, dicere est animus. Nomen a castro *Walpoliæ* in Comitatu Norfolcensi inditum est genti, quæ ante Wilhelmi Conquestoris tempora inter Anglos jam inclaruerat. Richardi Walpolii sub Wilhelmo illo mentio fit in charta, qua focer Guil. de Navelton terras suas in vicinia Houghtoni, sede postmodum familiæ usque ad Henricum III, transfert in generum Richardum. Hujus filius Henricus decoratus equestri dignitate, de quibusdam feudis nobilibus est investitus

ab

- p. 653. ab Henrico II. Hoc fatus Johannes miles feudis pluribus auxit terras, & Jurati officio Norfolciensis Comitatus nomine Westmonasterii 1253 functus, Henricum, Wilhelmum & Radulphum filios reliquit. Eodem ævo vixerunt agnati, Wilhelmus, Adamo de Walpol prognatus, arbiter in gravioribus negotiis sæpe constitutus, Robertus de Walpol, Henrico III & Eduardo I a rebus domesticis, Edmundus de Walpol, Abbas S. Edmundi in tractu Suffolciensi, 1256 denatus, & Alexander, cujus fidei plura ab Eduardo I fuerunt commissa. Radulphus ille, Johannis filius, in Norvicensem Episcopum 1288 electus, a præstatione primitiarum, Archi-Episcopo Cantuariensi pendi solitarum, sedem suam liberavit. Hinc ad tollenda dissidia in Eliensi Præfulatu subnata, summi Pontificis mandato 1299 ad istam sedem est translatus; obiit 1302. Alter Johannis filius, Henricus, a crimine perduellionis, sub Henrico III ipsi imputato, se purgavit; sub Eduardo I equestri honore mactatus, in bellis contra Gallos Scotosque virtute militari eminuit. Filius hujus Henricus, matre Isabella, Pctri Osberti filia, natus, Comitibus sub Eduardo II & III sæpius interfuit, ex uxore Alisa relinquens filium Henricum, cujus ætate Richardus & Adamus agnati, monetæ Regiæ curatores, quoque innotuerunt. Henricus vero Comitibus sæpius frequentavit, adhuc sub Henrico IV 1407 superstes, unde *Senior* dictus fuit. Secutus eum filius Henricus fidem contra Eboracenses Henrico VI juravit, mortuus circa A. 1442. Ex Margaretha, Oliverii le Crosse filia, genuit Henricum & Johannem, quos inter Henricus ex Margaretha, Johannis Harfici filia, procreavit Joannem, qui ex Elisabetha, Roberti Shawi filia, habuit liberos Thomam & Wilhelmum, sine prole extinctum. Thomas, 1512 defunctus, ex Joanna, Guilielmi Cobb filia, & Alisa, uxoribus, sobolem progenit Agnetem, Guil. Russelio unptam, & Eduardum ac Henricum, qui obiit 1514. Ex hoc Henrico & Margaretha Haltosia prodiernus, Thomas, Joannes, Franciscus & Christophorus; Joannes Juris scientia inclutus, sed in fore ætatis extinctus 1557, ex Catharina, Edmundi Kniveti filia, relinquens Mariam, Janam, Catharinam & Annam, filias hæredes, & Wilhelmum, qui absque sobole decessit. Eduardus autem I homæ filius uxorem duxit Luciam, Theodorici Rob.

Robfarti filiam, terrarum avitarum ex assè hæredem, cujus avus Joannes Robfartus, S. Georgii eques, bellica virtute contra Gallos, regnantibus Henrico IV, V & VI eminuit: mortuus est Eduardus 1558, relinquens Elisabetham, Martino Cobbio nuptam, Joannem, Richardum & Theodoricum. Ex his Theodoricus duas habuit uxores Wyboroughiam & Catharinam Threviliam, ex quarum priori sobolem tulit Richardum, natum 1568 & 1632 defunctum, & Luciam, natam 1569; ex altera vero Alisiam natam 1579, Eduardum natum 1587, & Annam natam 1582, Joanni Pepsio nuptam. Johannes autem, Eduardi primogenitus, Sideslernum in Norfolcia ex hæreditate Annæ Dudlejæ accepit, ac Guilielmi Collybuti filiam Catharinam sibi sociavit, mortuus 1585. Ex illo matrimonio nati, Eduardus 1559, in itinere postea defunctus, Collybutus & Thomas, gemelli, nati 1561, Dorothea nata 1558, Catharina nupta Philippo Russelio 1561, Bona nata 1560, & a Johanne Amyalo in matrimonium ducta, Elisabetha, Richardo Bunting 1591 nupta, Brigitta, nata 1569 & Henrico Paynell 1593 elocata, & Collybutus successor parentis. Hic ex Elisabetha, Edmundi Baconi filia, genuit Robertum, natum 1593, Joannem n. 1565, qui ex Froxmer Corbeti filia & terrarum hærede procreavit Elisabetham, Eduardo Pepsio, Brigittam, Francisco Thoresbyo, & Sufannam, Joanni Hario nuptas; porro Collybutum natum 1597, & Baconum natum 1599, absque prole defunctos, Elisabetham natam 1594, Thomæ Clifono, & Annam natam 1596, Thomæ Peto, eoque defuncto, Henrico Hungatio matrimonio junctas. Collybutus obiit 1646: Robertus filius duxit Sufannam, Eduardi Barkhami filiam, ex qua genuit Elisabetham natam & denatam 1615, Janam natam 1617, Elisabetham natam 1620, & Eduardum n. 1621, decessit ipse 1663. Eduardus in eo fuit totus, ut Carolus II folio avito restitueretur: hinc inter Ordinis Balnei (*Bath*) equites allectus, Regni comitiis sæpe interfuit, & Lynniis, a quibus fuerat nominatus, fidem suam adeo probavit, ut ab illis Tabula ænea, fidei dexteritatisque tessera donaretur. Mortuus est A. 1666. Ex Sufanna, Roberti Cranii filia, genuit Robertum natum 1650, Janam, Eduardum, Elisabetham, Joannem, Annam, Dorotheam, Sufannam, Mariam, Eduardum, plerosque in infantia, aut sine

p 673.

674.

675.

676.

- prole fati functos, Horatium n. 1663, qui Annam Osborniam, Thomæ Ducis de *Leeds* filiam, duxit in matrimonium, nulla tamen sobole relicta 1717 decessit; & Elisabetham n. 1665 & Jacobo Hostio elocatam. Robertus filius Comitum regni sæpius frequentavit, & Militiæ Norfolkensi est præfectus. Uxor Maria, Godofredi Burwelli filia, peperit Mariam, Carolo Turnero 1689, Dorotheam, Carolo Vice-Comiti Townshendix, ac Susannam, Antonio Hammondio, nuptas; præterea filios, Robertum, Horatium & Galfredum, de patria sua immortaliter meritos. Ex his Galfredus inter Heroes maritimos nomen meruit, globo tormenti, cum adversus Gallos in bello Hispanico pugnaret, dextro brachio truncatus; inde ad Comitum Regni selectus, Cursum publicum quoque curam gessit. Ex Cornelia Haya uxore nullam suscepit prolem, & diem obiit 1726. Alter ex illis *Horatius*, Stanhopium 1708 comitatus in Hispaniam, postea Townshendio in Belgium missus, Secretarius Legationi adfuit. Dehinc in Anglia eodem officio functus, 1715 Batavos Legatus adiit. Munus Secretarii Thesauri Regii brevi dimisit; mox Commerciorum & Plantationum cura ipsi demandata. Post ad Comitum sæpius delegatus, ad Gallos 1724 missus est Legatus primi Ordinis extra ordinem. Mariam, Petri Lombardi filiam, 1720 sibi sociavit, Horatii & Mariæ ex eadem parens factus. Primus e tribus Roberti filiis, *Robertus*, Houghtoni, sedis avitæ, hæres, ad omnia regni Comitum ab A. 1700 nominatus, illis, qui sigmento illi Regio Bononiensi blandiuntur, nimium adversus, indignationem aulæ adeo incurrit, ut 1711 Turri Londinensi aliquandiu includeretur. A. 1705 cura rei maritimæ ipsi cum aliis commissa, 1707 a Secretis Belli, & Thesaurarius Classis 1709 constitutus. Sacheverellianæ accusationis capita cum aliis compilavit, & gratias publicas hoc nomine meruit 1710 ab inferiori Ordinum Senatu: verum eodem anno omnibus mutatis, ipse quoque officiis publicis fuit privatus. Georgius I autem, solio admotus, tanti æstimavit Roberti Walpolii fidem, ut quinto post adventum die ipsi thesaurum bellicum crederet. A. 1715 Fisci cura ipsi commissa, & Ærarii publici Cancellarius est constitutus, quæ munera cum 1717 dimisisset, anno tamen 1720 iisdem denuo fuit decoratus. Ab A. 1715 ab intimis consiliis fuit Regi suo,

&amp;

& eodem in Germaniam profecto, Vicarius una cum aliis nominatus est. A. 1725 Equestri ordini *Balnei*, & sequenti anno *S. Georgii* est adscriptus. Uxor Catharina, Jo Shorteri filia, ipsum fecit parentem Roberti, Eduardi & Horatii, ac Mariæ, Georgio Vice-Comiti Malpasio elocatæ. Filius Robertus ab A. 1720 exteras terras adiit, 1723 Regia clementia Baronis de Walpolia honore ornatus. Lubet vero, Diploma quod meritissimi imprimis Parentis merita continet, hic integrum, prout a Nostro exhibetur, repetere: *Cum se meritis suis erga nos nostramque Domum & Patriam suam quamplurimis egregie nobis commendavit per dilectus & perquam fidelis Consiliarius noster, Robertus Walpole, ærarii nostri cum viris selectioribus Præfectus, nec non Scaccarii nostri Cancellarius, non indignum duximus, qui in Procerum nostrorum ordinem cooptaretur. Sed cum ipse malit amplissimos honores meruisse, quam assequi, quo familiae sultem ejus nobilitandæ consulatur, statuimus honores, Patri debitos, in Filium conferre, & Robertum Walpole, juniorem, Optimatum ordini adscribere. Quo de adolescente nihil non præclarum licet ominari; qui optimam jam dudum indolem disciplinis optimis excoluit, idque nunc agit, ut, quicquid scitu dignum aliunde conquiri possit, domum comportet; cum domi interim habeat, unde discat, si quid sit reliqui, quod est egregium. Nec fas est dubitare, quin Patrem ducem secutus, dignitatem ex patris meritis oriundam suis posthac auctiorem posteritati traditurus sit. Quin & id volumus, optime spei Juvenem titulos inde suos auspiciari, unde & nomen Walpolianum & gens illa pervetusta duxit originem; quæ a primis usque Eduardorum temporibus in agro Norfolkensi confedit, ibique nunquam non inter maxime ingenuas habita est ac celebrata. Sciatis igitur &c. Redux domum factus hic Robertus, sociam sibi elegit 1724 Margaretham, Samnelis Rollii filiam, hæredemque. Ceterum ut Cl. Autor ulterius laborem utilissimum continuet, publico nomine eundem rogamus.*

p.682.

MEMORABILIA CUFUSVIS SECVLI, HISTORICA & GEOGRAPHICA, GENEALOGICA & DOGMATICA, ITEM

Ecc 2

Pro-



*Prognostica Prophetarum; Autore DEODATO DE SEM &c.*

Romæ, ex Typographia Rochi Bernabo, apud Laur. & Thomam Pagliarini, 1727, fol.

Alph. 4 pl. 7.

**I**llustrissimo ac reverendissimo *Petit Didier*, Episcopo Marcensi, Abbati S. Petri Senonensis, O. S. Benedicti, congregationis S. S. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia, omnigenæ eruditionis Præfuli, *opus hoc, omnigena eruditione refertum*, quod sub TRIANGULI titul. jam dudum latebat, summi Viri patrocinium exspectans, e tenebris erutum, Patrono tanquam optimo Laurentius & Thomas Pagliarini Fratres, Dicant Dedicantque. Etsi difficile sit satyram non scribere, cavendum tamen, ne contra librum hunc, autoremve ejus, quippiam temere proferramus: cum homine nobis res est, Hercule tragico terribiliore. Ita enim in præfatione minatur: *Quicumque huic Triangulo mei libri bellum (quamvis imbelles fuerit) calami, aut lingua aut rixosum prælium prælo præsumserit intimare, inferam: eum ex illis esse, quos verus Deus per suum Prophetam Isaiam cap. 48, 22, prædixit: impiis non esse pacem. Quacunque persona hoc opus (quod cedit ad majorem veri Dei gloriam, ad humani generis conversionem, ad pacificam Regum & Principum cohabitationem, aut bonam invicem intelligentiam, ad regnorum & urbium conservationem, ad populorum & familiarum salutem, emolumentum & prosperitatem) quocunque modo impedire, perturbare, obnubilare, aut opprimere laboraverit, aut contribuerit, timeat; ne veniant super ipsum invidia, odii, persecutionis, ira, spoliationis, aegritudinis, subitanea mortis maledictiones, quas Deus pacis voluerit evibrare.* Intra nostram igitur nos pelliculam continere oportebit: faciamus tamen quod faciendum est; recenscamus breviter argumentum libri, specimina tractationis edamus, iudicium lectori, audacioribus autem experimentum hujus fulguris ex pelvi relinquentes.

*Trianguli* titulum hoc opus inde accepisse videtur, quod in tres partes sectum est, quarum *prima* continet historiam præ-  
teri-

teritorum ab exordio creationis usque ad annum Christi 1707. *Secunda* historiam modernorum i. e. Regna orientis & occidentis geographice; genealogice autem hodiernos Reges Europæ, Principes, Comites, Episcopos orientis & occidentis in concilio generali congregatos, diversa hodiernam dogmata per orbem dispersa, describit. *Tercia* denique pars exhibet historiam futurorum, sive futurum statum populi vero Deo unice chari & supremum ejus Pontificatum. Quælibet pars in aliquot Sectiones, quælibet Sectio in certos Articulos distributa est, quos omnes & singulos enarrare supervacaneum videtur; præsertim cum ipsi libro præfixus sit *Index Sectionum & Articulorum* satis amplus.

Quam belle autem, quam dextre hæc omnia Autor pertractet, lectori ex sequentibus patebit. Part. I pag. 5 de Angelis hæc nobis narrat: *Numerus Angelorum trium prædictarum Hierarchiarum tantus est, ut stellas in celo, atomos in aere, arenas in terra, folia in arboribus, fruges in campis, flores in hortis, pisces in aquis, animalia in terris excedat.* Ibidem de diabolis: *Nunc pauca quoque de malis (Angelis) transeunter dicere oportet, nimirum: quod Lucifer, qui primus erat Cherubinus ejusque affecta, licet in primo instanti creationis essent in gratia & viatores per fidem, spem & charitatem, nihilominus, in flatu superbia ex donis quæ possidebant a Deo, rebellaverunt; sed quo motivo, doctores nesciunt determinare.* Pag. 16 postquam docte, ut solet, disputavit, an Paradisus in Babylonia, an in Syria, an in Palæstina situs fuerit, hæc subjungit: *Circa situm terrestris paradisi solum superest aliquid succincte dicendum de illius ornamentis & primo de aeris salubritate; nam juxta Gonneti sententiam collocatus erat in excelssimo monte, viginti cubitis super omnes terræ montes, ubi aer erat saluberrimus ac temperatissimus &c.* Ne diu nimis circa mundi exordia commoremur, saltum in propinquiora tempora faciamus. Ad Sec. XIII pag. 97 Autor noster de ordine Dominicanorum & Franciscanorum sequentem historiam, apocrypham quidem, verissimam tamen, si ipsi credimus, affert: *Deus suscitavit hoc Seculo S. Dominicum A. 1203 Ord. Predicatorum, & S. Franciscum Assisium 1207 Ord. Minorum fundatores; nam ut refert Mag. Seraphi-*

nus Capponi a Porrecta in suis veritatibus aureis &c. cum B. Virgo filium suum tribus lanceis orbem universum ob ejus scelera disperdere volentem conspexisset, hos duos Ordines adinvenit, ac eidem Filio suo irato, pro totius orbis conversione idoneos, presentavit, quasi dicens, hoc ad filium carmen: beatos illos digito monstrans:

Nate mea hac genitura orbem salvato gemella,  
 ipsosque a Filio inde pacato commendator, in urbe Romana conjunxit. Ad Sec. XVI: Hoc Seculo, inquit, ferebant hæresi Martinus Lutherus, Anabatistæ. Petrus Vermillus cogn. Martyr, David Georgius. Carolestadius. Libertini. Oecolampadius, Antichristiani. Zwinglius, Brentius, a quo Ubiquitarii. Melancthon, Bucerus, Jonas Lutheri coquus, qui se justum Jonam jactitabat. Calvinus, Servetus. Beza, Deistæ sive Trinitarii. Brunistæ, Puritani, Sabbatarii, Arrabonarii, Metamorphistæ: Antilutherani, Matthias Flaccius, Infernales, Invisibiles, Pharellus, Biblistæ &c.

Ne autem in præteritis tantum tam rara & inaudita scire Autor credatur, recensebimus etiam pauca quædam ex Sectione hujus operis secunda, quæ historiam modernam refert, & quidem catalogum A catholicorum modernorum, qui pag. 204 seq. prolixè enarratur, excerpemus, ubi doctrinæ occurrunt & nomina, quorum si quis certam cognitionem habet, illum obscurissima & ignotissima quævis historię modernæ nosse confitebimur. E. c. RUSTICI vel RUSTICALES Lutherani nolunt solvere tributa suo Principi, nisi cogantur. PISTORICI Lutherani docent, Christi corpus esse præsens in Eucharistia sub pane, velut caro cocta in ardore. INTERIMISTÆ ex medio Lutherani & catholici. BOQUINII docent, Christum non esse crucifixum pro peccatoribus. NUDIPEDES spirituales separati Anti-Lutherani cuncta deseruerunt excepta falsa doctrina. OLLARII Anti-Lutherani sese invicem alternativis in dies tractare solent conviviis. Addendi his essent Tibbi vel Meliapi, Batenburgici, Pastorici, Communistæ, Condormientes, Larmogani, Effrontes Neutrales & ducenti alii, quos Autor commemorat, nisi hæc ad demonstrandam miram ejus in historia scientiam sufficere crederemus.

Cum

Cum autem tam vera claraque de præsentibus Autor noster referat; quam certa sint, quæ de *futuris* prænuntiat, haud difficile est conjicere. Præsertim legi merentur, quæ de *vermibus infernalibus* admiranda nobis & horrenda narrat Part. III Sect. III Art. I. Nempe diversos fore vermes apud inferos, quorum alii corpus, alii animam damnatorum corrodent, horribiles, fœdissimos, immortales, venenosos, carnivoros, esitantes quidem, nec tamen se satiantes. *Tertia in inferno pœna*, inquit, *consistit in vermibus immortalibus, qui visu & sibilo sunt horribiles & vivunt in flamma, sicut pisces in aqua. Scaturient hi vermes per naves, oculos, aures, ora damnatorum, qui perpetuis moribus intestina illorum & singula membra vellicabunt &c.* A pag. 286 usque ad pag. 314 Autor accuratissime describit particulare illud judicium, quod Christus statim post obitum cujuslibet hominis instituet, ubi defunctus, cujuscunque status, conditionis, sexus, professionis officii fuerit e. g. *Agricola, Hortulanus, Vinitor, Stabularius, Pedisequus, Cubicularius, Coquus, Pincerna, Ancilla &c.* quam rigorosissime examinabitur, & judicabitur, non modo de propriis, sed & de alienis peccatis, quibus aliquo modo *consentitus* (ita Noster loquitur) vel cooperatus fuerat. Pro exemplo transcribamus examen *Ancillæ*, quæ in particulari illo judicio, referente Sermo nostro, inter ceteras quæstiones, ad hæc imprimis respondere cogetur: *Si sua Domina quovis modo cooperata fuerit ad illicitum amorem? An herbas, aut aliud medium quaesiverit & adhibuerit ad abortum sue Domine procurandum, quoad conceptum illicitum fœtum, aut embrionem occidendum? An varia garriverit, ad rixas & odium causanda? An Sagam vel Veneficam vel Ægyptiacam consuluerit & aliquid prohibitum ab illa didicerit? An servo, vel cani permisit ipsa carnaliter uti? An suam Dominam docuerit aliquam superstitionem aut prohibitam secretam artem, ad nocendum alteri, ad amorem alterius efficiendum? An sue Domine filiam docuerit obscenas cantilenas, eam titillaverit, excitaverit, aut ei aliquid applicaverit, ad illicitam carnis voluptatem, aut immundum amorem versus hominem aut bestiam excitanda? An in medio vasis butyri corruptum in mele sterco infantis in fundo vasis posuerit?*

MISCELLANEA SILESIACA CONTINUA-  
ta, variisque hinc inde praesidiis adornata, Collectore  
THEODORO CRUSIO, Ducatum Suidn. &  
Faurav. Advocato jurato.

Lignitii & Lipsiæ, apud hæredes Rorlachianos, 1728, 8.

Alph. 1.

- P**ostquam primæ Miscellancorum horum Partis mentionem fecimus in Actis Er. A. 1723 M. Dec. p. 535, par est ut alteram quoque, nuper editam, perlustremus. Exstant vero hic octo scripta breviora, quæ cuncta unam concernunt Vratislaviam urbem. Primum est *Mart. Radeckii Carmen in Insignia Senatus Populique Vratislav.* in eadem urbe A. 1567 editum, ubi Noster in notis monet, diligentissimum patriarum antiquitatum scrutatorem D. *Jo. Godofredum Baro* Commentarios de Insignibus Vratislav. moliri. Succedit 2) *Dan. Illmeri* Narratio brevis *de Vratislavia Silesia Metropoli*, publice facta Wittebergæ 1628; in qua dum agitur de bibliotheca publica Elifabethana, a Thoma a Reh-diger fundata, inter alios, qui de ea egerunt, commendatur in notis B. Gryphius, qui in *Charactere idonei Bibliothecæ Custodis* recenset Codices MSptos, qui ex ultimis Turciæ atque Persiæ oris eo pervenerunt. 3) *Jo. Andr. Mauersbergeri* Diss. sub præsidio Jo. Lehmanni Wittebergæ A. 1668 habita, *de Vratislavia Silesia Metropoli*. Ibi observat Editor, jam Academia, a Divo Leopoldo Imp. A. 1672 fundata, Vratislavienses, licet invitos, gaudere. 4) *Christoph. Coleri* Carmen *in fatales turris & templi Elifabethani Vratislav. casus*, cui annectitur 5) *Andr. Calagii Suggestum Magdalaum Vratislaviense novum*, carmine adumbratum, Vratisl. 1581, & 6) *Mart. Radeckii* Carmen *de Ludorum literariorum apud Vratislav. initiis & incrementis*, editum ibid. 1567. Sequitur 7) *Adami Pantke* Diss. hist. *de Nobilitate Vratislaviensium erudita*, quam apud nos defendit A. 1697, multis a Cl. Editore notis eruditis & XV Nobilium eruditorum vitis aucta. In illis de Andrea Dudithio, Episcopo Quinquecclesiensi & Cæsareo ad Henricum Valesium Pol. Reg. Legato, traditur, eum tantum Ciceronianæ eloquentiæ fuisse admiratorem, ut integrum Cice-

Ciceronem ter manu propria descripsit. De Adamo a Rhediger refertur, quod ope & subsidio nummorum antiquorum, quos ille Romæ collegerat, suos de re nummaria labores susceperit Hubertus Golzius. Denique VIII accessit *Christiani Sperlingii* poetica Enarratio de obsidione Vratislav. a Tartaris A. 1241 facta & miraculo soluta, sub titulo: *Flammis calitus missis defensa Vratislavia*, edita Vratisl. 166c. Ceterum inseriplit hanc Miscellaneorum Partem Cl. Editor Ill. *Fridericico Guilielmo a Sommersberg*, Viro historiæ patriæ imprimis promovendæ nato, a quo longe majorem *Scriptorum rerum Silesiacarum* Collectionem propediem exspectamus.

p. 232.

**FRANCISCI IRENICI, ETLINGIACENSIS,**  
*Exegetis Historiæ Germaniæ, nunc denuo recognita, notisque illustrata; accedit CONRADI CELTIS Descriptio urbis Norimbergæ; curante JO. ADAMO BERNHARD.*

Hanoviæ, apud Jo. Conr. Maximil. Ziegler, 1728, fol.

Alph. 6 pl. 14, computatis XXV Tab. Geneal.

**P**erutilem laborem in se suscepit Cl. *Bernardus*, Scholæ Hanovienfis Rector meritissimus, quod hanc *Fr. Irenici* Exegetin, bis licet antea, Hagenoæ primum A. 1518 ab ipso Autore, iterumque a filio ejus Paulo Irenico Basileæ 1567 in fol. editam, sed hætenus tamen admodum inventu difficilem, non modo denuo prelo subjecit, quod dudum optarunt eruditi, sed & doctissimis subinde notis ita illustravit, ut desiderari nihil omnino posse videatur. Etsi vero de Autoris, qui pro nomine vernaculo *Friedlib* Græcum *Irenici* pro more suæ ætatis adscivit, vita & rebus parum annotarint Scriptores, non tamen præmittenda nobis sunt, quæ Cl. Editor undique sollicitè collegit. Natus nimirum Etlingæ, oppido sub Badensi ditione sito, circa annum, ut Noster evincit, 1497, cum in patria & mox Pforzhemii sub Ge. Simlero in literis profecisset, & Melanchthonem *ferè puerum*, ut ipse loquitur, *vix quippe XX annorum, ceterum adultissimum ac litterarum experientia nulli secundum, cui quantum anni & corporis moles detra-*

*xerant, tantum ingenio adjecerant, præceptorem habuisset, Heidelbergam ad moderandam studentium adolescentiam cum aliis evocatus, ibidemque circa A. 1518 Scholæ S. Catharinæ præfectus est. Hinc mature Lutherum sectatus, evangelii doctrinam, cum in patria non liceret, Gemmingæ publice professus per aliquot annos, cum Reuchlino & Bilibaldo Pirckheimero aliisque frequens literarum commercium aluit. Quanto studio vero res Germaniæ omnis ævi, quam mature, excusserit, ex hoc ipso opere patet, quod jam anno ætatis vigesimo tertio suscepit: de quo prætermisiss Jac. Spiegelii, Jac. Schopperi, Bœcleri & Reimmanni encomiis, unum producemus Viri Ill. Jo. Petri de Ludewig judicium. Ita vero ille Præfat. in Germ. Princ. C. II p. 41: *Liber rarus est, sed utilitate varietateque rerum aliis præstat ejus ævi scriptoribus. Habet in eo Germaniam veterem, mediam & novam: rationes Germania cum universim, tum per omnes Principatus & Comitatus proditas sigillatim, historicas, genealogicas, politicas, theologicas, litterarias, geographicas, astronomicas; ut valde mirer, hoc apparatus ista ætate hoc opus prodiisse. Papa bibliopolam privilegio munivit per universum orbem. Navi, quibus liber scætet, temporis magis sunt, quam scriptoris, qui nullis vigiliis videtur pepercisse.* Et quod ad hos quidem attinet, sunt qui Latini sermonis puritatem majorem, in Genealogia præterea & Geographia, ut & allegandi ratione nonnulla desiderent, siquidem, quod ad postremum, Taciti annales & historias una serie enumerat & sub Eutropii nomine ejus continuatorem Paulum Diaconum inducit: at hoc tempori, quo vixit, condonandum videtur. Adhibuit vero Cl. Editor utramque editionem, & cum in secunda desiderarentur Tabulæ Genealogicæ, quæ in prima passim inferuntur, quamvis more veterum per circulos & ramos ninis distortis dispositæ, non modo eas hic iterum dedit, verum & luculentius, ut recentiores solent, descripsit, eoque Lectorum commodis optime consuluit. Præterea cum integra non raro capita, & passim lineæ aliquot omisæ in altera editione fuerint, ea omnia restituit Noster; nec tamen hanc neglexit, ubi scripturæ compendia, lectu difficiliora, restituit & in Latinitatem infrequentem animadvertit. Adjecit etiam ex priori editione Cel-*

tis Norimbergam, quæ in posteriori desiderata fuit, & ex utraque Orationem Irenici protrepticam in amorem Germaniz ad Cancellarium Electoris Palatini Florentium de Phenningen, J. V. D. ex qua non minus, quam ex universo opere, patet, quantum Autor in optimis scriptoribus Græcis & Latinis fuerit versatus. Ceterum incertum videtur, utrum plus debeamus Cl. Editori, quod librum Irenici quasi sepultum in lucem revocaverit, an, quod tot notas eruditissimas adjecerit, e quibus exquisitam historiz Germanicæ notitiam, velut ex ungue leonem, cognoscimus, optamusque, ut rem litterariam juvare felicissime pergat.

**Nützliche Sammlungen zu einer historischen Hand-  
Bibliothek von Sachsen ꝛc.**

h. e.

**JO. GOTTLÖB HORNII, M. A. REG. PRUSS.**  
*Societ. Scient. Socii, Analectorum Bibliothecæ portatili  
Historiæ Saxoniz annexarumque regionum parandæ pro-  
futurorum Pars I, seu Lineamenta historico-diploma-  
tica de Officialibus hereditariis ex ordine equestri in pro-  
vinciis Sereniss. Electoris & Ducum Saxoniarum antiqui-  
tus constitutis, sigillatim de Marschallis, Camerariis, Da-  
piferis & Pincernis Saxoniz, Thuringiz, Misnie  
atque Hennebergæ &c.*

Lipsiz, sumptibus Wolsfg. Deerii, 1728, 4.

Pl. 22½ fig. zn. 1.

**C**Lar. Autor in votis habens, ut facies historiz patriz in dies fiat lucidior, decrevit scrutantibus eandem, quantum pote, manus auxiliatrices asserre, eoque singulis minium nundinis, quæ hic celebrantur, plagulas aliquot publicare. Non solum vero id curabit, ut proprias lucubrationes suas subinde communicet; verum & aliorum monumenta anecdota, diplomata præsertim atque chartas vetustas magno numero intersperget; neque negliget dissertationes & schedas minores, quæ impressæ quidem, sed hactenus rarius comparuere. His prælibatis Autor in

Præf.



prima hac Parte materiam tractat, nemini adhuc satis tentatam. Curæ ipsi videlicet fuit adumbrare incunabula, statum & vicissitudines *Officialium hereditariorum*, qui antiquitus in provinciis, Sereniss. Domui Saxonicæ hodie parentibus, fuerunt instituti, *Marschallorum* puta, *Camcrariorum*, *Dapiferorum* & *Pincernarum*. Enimvero auspicia differendi capit ab enodatione discriminis inter *liberos* & *ministeriales*, quale seculis mediis in nobilitate obtinuit. Recensitis igitur diplomatibus domesticis æque ac vicinis, describere primo aggreditur *liberos*, & ostendit, sub eo nomine non solum Equites & Nobiles ordinis inferioris, sed Comites quoque & Dominos, quin adeo Principes, comprehensos fuisse. Disputat hac occasione adversus V. Illi. *Eccardtum*, quo sensu *Tidericus* ex tribu *Buzici*, propagator Sereniss. Stirpis Saxonicæ hodie dominantis, apud veteres *Vir egregia libertatis* saluetur. Fatetur interim Noster, *liberos*, quos tractus Saxonicus confine que quondam aluere, ætimatione nequaquam uniformes, neque illos, qui in Principum territorio conlederunt, ab omni nexu homagii atque subjectionis exemptos, quin potius a ministerialibus hoc saltem titulo discretos fuisse, quod ditionem suam tenerent mero jure allodiali, nec ideo servitia præstarent, quæ feudis militaribus & aulicis tunc incumbabant. Montrat porro, quod tales non modo sub Principum imperio reapse fuerint, verum etiam in Thuringia sigillatim Landgravis tam arcto nexu fuerint adstricti, ut in alienandis bonis suis consentum eorundem implorare deberent, imo ab his, ad instar Ministerialium certis castris adjici, cum eis denique commutari aut divendi potuerint. Ex quibus omnibus denique colligit, *liberos*, qui ætate media erant, cum *liberis* *Dominis* & *Baronibus* hodiernis minus recte commisceri, explicans pariter, qui quondam *Baronum*, quive *Nobilium* & *Dominorum* elogio venerint. Progressus hinc Autor ad *Ministeriales*, a bularum fide deprehendit, fuisse tales tum Cæsaribus & Imperio, tum Prætulibus ecclesiarum & Principibus ac Comitibus, nec inter istos, quod ahis quidem videtur, multum fuisse discriminis, quin potius posterioribus etiam familias florentissimas Comitum, Dynastarum & Equitum fuisse accensitas, ipsosque ad negotia tum aulæ tum regionis

§. 1.

p. 1 sq.

§. 2-11.

p. 2 sqq.

§. 12.

20 sq.

§. 13.

21.

p. 22.

§. 14-p. 23.

§. 15.

p. 24 sq.

§. 16.

p. 25 sq.

not. p. 26 sq.

§. 17.

p. 29 sq.

§. 18.

p. 31 sqq.

gionis gravissima haud secus ac liberos adhibitos. Utendum proinde censet circumspicione, si quando vox Ministerialis mancipii adeo & hominibus infimæ fortis attributa reperitur, ne hi cum illis confundantur. Neque enim ferendum V. Ill. *Ludwigium*, quod ex historia Misnica *Elisabetham Multitiam*, Henrici Illustris, & *Conigundam Isenbergiam*, Alberti Degeneris conjuges, ad classem hanc mortui in abjectissimam traxerit. Haud interim negat, statum Ministerialium ordinis equestris, qua personas, qua bona, qua matrimonium, qua prolem adstricti sumum, ut in sensu improprio proprii homines atque servi facile poterint nuncupari. Munia vero eorundem se retulisse non tam ad res bellicas, quam civiles, palatinas modo, modo provinciales, & ad hæredes transiisse, argumentis idoneis evincit, quantumvis ipsos sæpenumero suo jure vassalli & ministerialis potuisse simul consistere, largiatur. Claudit tandem Autor hunc discursum, moneus, qua ratione in provinciis Saxonice & liberorum & ministerialium appellatio seculo XIII ac XIV exspiravit. Hinc seopo propius accessurus, confirmandum sibi sinit, *Officiales hereditarios* seu *Mareschallos*, *Camerarios*, *D. piseros* & *Pincernas* ad *Ministeriales Principum* cumprimis pertinuisse. Nec adeo videt, qua ratione doctrina V. Ill. *Ludwigii*, illos ab his sollicite discernentis, Saxonice commode applicetur. Porro cum earundem functionum origines noadum sunt satis expeditæ, neque constitutio de expeditione Romana velgo inscripta eas satis declarat, haud interim veretur V. Cl. *Ejlorio*, officia hæc ab Ottonum Imperio accesserint, accedere. Observat vero quod præter Principes Episcopi quoque & Abbates, atque adeo Comites, longe citius ac alii autumarunt, *Mareschallos* & ceteros officiales sibi adfiverint, nec olim, ut quidem postea factum, opus habuerint peculiari Imperatoris privilegio, quia suffecerit praxis inveterata & jus provinciæ; præterea quod uterque Ordo, ecclesiasticus & secularis, haud perpetuo contentus fuerit quaternione, quin etiam Principes non detrectarint simili ratione Præsulibus ministrare, ut saltem exempla Bambergensis & Herbipolensis, ex historia Saxonice, probent. Quemadmodum a. tem superiore memoria non insolens fuit, ut alia aliaque officia imperii, aulae vel

§. 19  
p. 33 sqq.

§. 20.  
p. 35 sqq.

§. 21.  
p. 41 sqq.

§. 22.  
p. 46 sqq.  
§. 23.  
p. 47 sqq.

§. 24.  
p. 48 sqq.  
§. 25.  
p. 51 sqq.

§. 26.  
p. 54 sqq.

- not.p.63sqq. provinciæ in familias transfrent lege hæreditaria, ab iisque nomina ut plurimum gentilitia mutuarentur. id quod exemplis ex historia nobilitatis depromptis in annexis notis copiosissime roboratur: ita etiam cum quatuor Palatinis mature admodum alibi vel seculo XI, in Thuringia vero & Misnia minimum seculo XII evenisse advertimus. Facti rationem Noster se in Jure feudali antiquo invenisse contendit, quanquam V.Cl. *Esfor* multo aliter de hac re pronunciet. Ceterum quidem ordo nunc tractationis posceret, ut cum Autore descenderemus ad specialiore*m Officialium ditionis Saxonica hæreditariorum* considerationem; at enim cum nimia rerum varietas obset, quo minus eos Lectori nostro uno quasi intuitu conspiciendos exhibere possimus, saltem cum ipso secundum provincias nostras considerabimus, quas nobiles familias Principes fungendis honoribus illis & ad posteros propagandis antehac dignas putarint. Sane quod ad *Ducatum Saxoniam* attinet proprie sic dictum, conqueritur, de *Camerariis, Dapiferis & Pincernis* ejusdem hodie parum vel nihil cognitum esse. Soli ergo restant *Mareschalli*, gente *Læseri*, de quibus prolixè agit Noster, maxime cum etiam hodie præ ceteris ex dignitate sua emolumenta satis ampla percipiant. Notiores sunt *Officiales Landgraviatus Thuringiæ*, quippe cui jam seculo XII exeunte *Mareschalli* de *Ebersberg*, *Camerarii* de *Fabner*, *Dapiferi* de *Schlotheim* & *Pincerna* de *Varila* præsto fuere, sequiori tempore varia subinde a variis domibus gentilitiis cognomina fortiti. Unde fit, ut passim legas *Mareschall*os de *Eckersberge*, *Goldbach*, *Thamesbrücken*, *Treberc*, *Gofferstedt*, *Frobürg*, *Guttmanshausen*, *Sonneborn* atque *Holzhausen*, itemque *Dapiferos* de *Flachheim* & *Sommerde*, nec non *Pincernas* de *Apolda*, *Deberzen*, *Saleck*, *Wiedebach*, *Rottelsberg*, *Korbisdorf*, *Veste*, *Dornburg*, *Nebra*, *Trebera*, *Kevenburg*, *Bedern*, *Vondaff*, *Uttenbach* & *Tautenburg*. Singulos Noster figillatim sollicitè contemplatur, ut prætereamus, quæ de Comitum *Beichlingiorum Mareschallatu supremo affectato & Camerariorum* de *Mühlhausen* dignatione imperiali commemoravit. Neque *Misnensi Marchiæ* sui defuere *Officiales*, quos aliquando ab *Officialibus Marchiæ Landsbergensis* fuisse diversos, probabile reddit. Eminent facile inter istos
- §. 28.  
p.69 sq.
- §.29-35.  
p.71 sqq.  
§.56-52.  
p.88 sqq.
- §. 42.  
p.102.  
§. 43.  
p.103 sq.  
§.53 p.122.

istos *Mareschalli de Mockeriz & Biberstein, Camerarii de Gnanstein, Dapiferi de Borne & Wellerswalde, Pincernæ de Landsberg* atque alii. Superest postremo *Principatus Hennebergia*, cujus ratione inter alios celebritatem adepti sunt *Mareschalli de Ostheim*, quos & *de Kunstadt, Strauff*, ac *Schleusingen* quandoque cognominari videas, nec non *Dapiferi de Kemmaten, Henneberg, Ailsleben, Bennhausen, Eisfeld & Wezhausen*. Colophonem demum Autor opellæ impositurus, paucis disquirat, quatenus officia hæc vel hodieque usu sint recepta vel obsoleverint, causas etiam notans, quæ interitum eorum potuerint maturare.

§. 54-63.

p. 123 sq.

§. 64-69.

p. 143 sq.

§. 70.

p. 153 sqq.

I CESARI IN METALLO MEZZANO

e piccolo &c.

h. e.

**IMPERATORES EX ÆRE MEDIOCRI**  
*Et minimo collecti in Museo Farnesiano, Tomus decimus, qui complectitur numos Nervæ, Traiani, Plotinæ Et Matidie. Opus PETRI PIOVENE, Societatis Jesu, dedicatum Serenissimo FRANCISCO PRIMO, Duci Parmæ, Placentiæ &c.*

Parmæ, e typographia Ducali, 1727, fol.

Alphab. 3 pl. 16 & Tab. æn. 19.

**N**on modo eruditionis, verum & diligentiae laude Paulo Pedrusio, decessori suo, nihil concedit Cl. Piovenius. Ex quo enim nonus Musei Farnesiani Tomus, opera curisque ejus expositus, lucem adspexit, vix abiit triennium, cum decimum ille dedit, numismata secundi ac tertii moduli, sub Nerva & Traiano cusa, tabulis XIX exhibentem. De eo ut luculentius conslet, utriusque Imperatoris nummos quosdam, selectu non nimis anxio, nec tamen nullo habito, promemus, ostendemusque, quam iis lucem Cl. Piovenius affundat.

Ac Nervæ quidem numismata tabulis prima atque altera sculpta reperiuntur. Inter illa tametsi nulla fere, nisi obvia, occurrunt,

runt, passim tamen ad illustranda ea doctissimus Piovenius collegit, quæ legisse haud perniteat. Ejusmodi est, quod ad Tab. I, numum XIV incusum, quo Nerva P. M. TR. P. II COS. III appellatur, præcunte Pagio, qui fusc ea de re, Dodwellum revincit, qui Plinii, Victoris & Leclantii autoritate adductus statuit, Nervam, adoptato Trajano, summa se imperii potestate proflus exuisse. Humani autem non nihil paucis Cl. Piovenius, ubi affirmat, Victorem memoriæ prodidisse, sexto mense imperio se abdicasse Nervam, idque pluribus refellit. Sexto enim decimo id factum tradit Victor, pro quo numero XVI minorem XIV repouendum in textu ejus esse, Cl. Pagius contendit. Tabula II nummus I, qui hinc caput muliebre tulit cum inscriptione: IMP. NERVA CAES. AVG. illinc globum cum temone litterisque SC. occasionem Piovenio nostro subministrat sub examen vocandi sententiam Tristani, existimantis, & uxorem Nervæ & ex illa filium nomine Calpurnii fuisse. De eo nummo Ill. Spanhemius, qui & pridem Tristianum hac ex parte confutavit, in altera præstantissimi operis sui editione p. 622: "Verosimilius quis ignotum ex autoribus Nervæ matrimonium colligat ex ejus nummo Mediceo, "in quo caput muliebre ornatum diademate: ni tamen insolitus "apud Romanos illis temporibus usus diadematis ad Deam aliquam, puta Junonem, eundem nummum referendam potius arguat." Hæc verba, relectis postremis, tertia operis ejus editio T. II p. 288 mutata exhibet hoc modo: "Uxorem Nervæ in singulari nummo Mediceo . . . signari forte censuit peritus "olim ejusdem gazæ custos, Petrus Fittonius, in quo caput muliebre diademate ornatum cernitur cum inscriptione: IMP. "NERVA CAES. AVG. in averfa globus cum temone." Mirum, utrobique Virum summum in capite muliebri diadema agnoscere, cum præter ornamentum capitis muliebre, quod mitram appellat Cl. Piovenius, ni ilibi appareat. Tabulæ ejusdem II nummum VII illustraturus Vir doctissimus, in quo laureæ juxta litteras SC. insculptum K, sententiam Harduini confutat, qui statuit, litteris his in præfenti aliisque similibus Nervæ nummis significari menses imperii ab eo gelli, natalemque hujus in natalem urbis, ut securius illi tribuere biennium solidum possit, rejicit.

Vix

Vix autem satis patet, quo pacto affirmare possit Cl. Piovenius, Harduinum vicesimum mensem imperii Nervæ assignare Novembri A. C. XCVII. Nam ita eum facere sane par erat: si enim nonus imperii annus a die XI Kal. Januar. cœpit, profecto vicesimus ab XI Kal. Novembr. cœperit, necesse est. At Harduinus, *nostro autem calculo*, inquit, (miro sane ac proprio viro paradoxis sententiis nimio plus addicto) *siquidem in Natali Urbis accepit imperium a Senatu, mensis imperii & nonus & vicesimus a die XI Kal. Januar. æque incipit, ille quidem exeuntis A. 96, iste exeuntis A. 97.*

Hist. Aug.  
p.746.

Sed plus satis de Nervæ nummis; ad Trajanum pergimus, cujus nummos & multitudo sua, (nam tabulas XVII complectuntur) & præstantia, imprimis si Græcos spectes, lectoribus harum veteris ævi reliquiarum studiosis vel maxime commendat. Nos instituti nostri memores, missis ceteris, rariores quosdam urbium Græcarum, atque earum præcipue, quæ apud Vaillantium in Opere Græcorum munismatum sub Trajano vel prorsus non reperiuntur, vel quarum alios, quam Vaillantius, nummos profert Cl. Piovenius, breviter strictimque attingemus. Primo nobis se offert ANEMOYPIEΩN nummus ex Tab. XII n. 2, ignotus

TAB. IV.  
Fig. 1 & 2.

Vaillantio, cui præcedentem cum litteris AN . . . . . quantum judicare de eo ex delineatione licet, geminum arbitrari possis. Ejus averfa in parte caput turritum cernitur, perinde ut in illo, quem e collegio Ludovici magni sub Domitia laudat Vaillantius, quod ipsum tamen caput Domitiæ, nescio quo jure, ibi Vir cetero qui harum litterarum peritia nemini secundus adscribit.

HPAKAEΩTAN MATPOΔEITAN tres nummos affert Vaillantius, quibus quartum ex Tab. XII n. 4 addas licet, cujus averfa pagina navem exhibet, indicium, ut videtur, navigationis, qua Heraclea Ponti, quippe urbs *ἐυλίμειος* Straboni, flouruit, quanquam eam ad classem Atheniensium sub Lamacho adversus Heracleenses missam, sed tempestate sæda disjectam laceratamque, de qua re Justinus, referre mavult Cl. Piovenius. Nummus, qui Tab. XVI n. 2 extat, ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛ. ΣΑΜΑΡ. cum litteris L. E. I. sub Trajano harum litterarum gnaris tanto plus admirationis moveat, necesse est, quod Titi & Domitiani

Fig. 3.

Fig. 4.

ni nummi cum epocha L. A. I. extant, quam cum Norisius repetat ab anno Urbis DCCCXXIII, fieri non potest, ut Trajani nummus cum epocha L. E. I. reperiatur. An igitur Trajani nummus non est, quem ei tribuit Cl. Piovenius, quando adversa pars ejus, prorsus detrita, ægre unam alteramve litteram legendam exhibet? An vero epocham non complectuntur urbis litteræ illæ, sed annos imperii Trajani? Ita sibi persuadet Vir clarissimus, cui, si certo is nummus ad Trajanum pertinet, nemo non assentietur. Hoc pacto vero & litteræ L. A. I. in Titi & Domitiani nummis annum Imperii XI designent, oportet, contra quam visum est Vaillantio & Harduino, qui si probabilem rationem petant, cur non alii, quam tam sero cum eodem Imperii anno cusi a Neapolitanis Samaritæ nummi sub Tito & Domitiano reperiuntur, quid responsurus sit, viderit. Sed si de superiori nummo, utrum ad Trajanum pertineat, nec ne, dubitari quodammodo potest, multo majori fortasse jure dubitabitur de nummo  $\text{OP}\Theta\Omega\Sigma\text{IE}\Omega\text{N}$ , Tab. XVIII n. II delineato, qui non caput Imperatoris, sed  $\Sigma\text{Y}\text{N}\text{K}\text{A}\text{H}\text{T}\text{O}\text{Y}$ , *Senatus*, exhibet, ut docet inscriptio, tametsi vultum Trajani in capite nihilominus agnoscit Cl. Piovenius, ratus, nihil absoni esse, sub capite Senatus Imperatorem, velut genium ejus, repræsentari.

TAB. IV.  
Fig. 5.

$\Gamma\text{A}\text{B}\text{A}\text{A}\text{E}\Omega\text{N}$  in Phœnicia duos nummos cum æra BNP assertit Vaillantius, quibus hic in Tab. XIX n. I tertius accedit, cum eadem epocha quidem, sed typo diverso, mulieris stantis dextraque spicas aut papaver, sinistra hastam tenentis. Epocham Gabalensium Cl. Piovenius ab A. V. DCCV repetit, nec Norisium, qui ejus initium in A. DCCVII, nec Harduinum, qui in A. DCCVIII rejicit, secutus.  $\text{M}\text{A}\text{T}\text{Y}\Delta\text{E}\Omega\text{N}$  in Pamphylia nummus cum litteris anni IE apud Vaillantium describitur; similem Cl. Piovenius in eadem Tab. XIX n. 5 exhibet cum litteris IΔ. Quod ipsum satis est, ut credamus, diversos ab utroque nummos laudari, præsertim cum Vaillantius suum ex propria penu promat. Harduinus alium ex gaza regia commemorat, cum L. I. legique in eo ait  $\text{M}\text{A}\text{K}\text{Y}\Delta\text{E}\Omega\text{N}$ , ut in superiori, quondam Foucauldino, nunc Parmensi,  $\text{M}\text{E}\text{T}\text{Y}\Delta\text{E}\Omega\text{N}$ . Sed reponendum fortasse  $\text{M}\text{A}\text{T}\text{Y}\Delta\text{E}\Omega\text{N}$  utrobique, tametsi Cl. Piovenius ex suo  $\text{M}\text{A}\text{T}\text{I}\Delta\text{E}\Omega\text{N}$ , littera I pro Y scripta, exhibet, minus vere, nisi omnia nos

Fig. 6.

fal-

Fig. 7.

fal-

Tab II ad A 1728 M Sept. pag. 417.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 5.




Fig. 6.




Fig. 7.



Fig. 8.







fallunt, five errore id factum sit operarum, five, quod scriptura nummi aliquantum devita oculorum aciem fugeret. TIBERIO-ΠΟΛΕΙΤΩΝ nummum cum Dianæ Ephesiæ typo laudat Vaillantius, docetque, ex sua eum supellectile in gazam Foucaldinam transiisse. Unde dubitari vix poterat, quin idem sit, quem Tab. **TAB. IV.** XIX n. 6 sibiit Cl. Piovenius, quando is nullum alium Tiberiopolitarum profert. At in eo ipso nummo non Diana Ephesia cernitur, sed mulier insidens monti, unde aqua erumpit, sinistra serpente pascens, hoc est, Hygeia vel salus. In eodem comparet epocha ΕΤ. ΑΠ, quæ est non Tiberiopolitarum in Phrygia, quos designat vox ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, sed ΚΑΑΥΔΙΟ ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ *Claudio Tiberiensium* in Palæstina. Atque ita reapse legendum esse, non tantum ex Vaillantio, qui nummum ex regia Gallorum gaza describit, sed & e Norisio patet, qui ejusdem integriorem, quam est Cl. Piovenii, eclypum ære expressum sibiit in libro de Epochis Syro-Macedonum Diss. V C. 6, qui conferri meretur. Epocham ΑΠ Vir doctissimus, perinde ac Norisius, repetit ab anno Urbis DCCLXX, non tamen a vere, sed autumno. Nummus enim cum litteris L. A. P. quibus nixus epochæ initium ab autumno in vernam tempestatem revocat Vir summus, non Trajani, ut ille persuaderi sibi passus erat, sed Hadriani est, extatque in florētissima gaza Parmensi, unde cum suo tempore descriptum dabit Cl. Piovenius, quam in rem, atque adeo ad totum opus hoc, æternum gentis Farnesiæ decus, absolvendum vitam ei ac vires ex animo apprecamur.

**TAB. IV.**  
Fig. 8.

**BIBLIOTHECA JURIDICA UNIVERSALIS,**  
*sive JO. FAC. SPEIDELII Syllogæ Questionum  
Juridicarum revisa, correctæ & aucta.*

**Volumina II.**

Norimbergæ, sumtibus B. Jo. Andr. Endteri Hæredum, 1728, fol.  
Aipl. 29 pl. 15.

**T**itulum dedimus Operis sat vasti generalem, sed ut constet, quid in eo præstitum sit, operæ pretium fuerit etiam specialio.

liorem huc e fronte transferbere. Est vero hic: *Bibliotheca Juridica universalis, sive Quaestionum Juridicarum omnis generis, theoreticarum, ac practicarum, veterum & recentiorum, Juris Civilis, Canonici, Feudalis, Publici ac Privati, Communis & Statutarii, ex variis Doctorum Decisionibus, Consiliis, Consultationibus, Resolutionibus, Tractatibus & aliis, quotquot fere in publicum prodierunt, Scriptis Juridicis quam plurime myriades, olim a Jo. Jacobo Speidelio, JC. Judiciis Imperial. Aul. Consiliario, sub Tit. Sylloges variarum Quaestionum, compilatae & publici Juris factae: jam vero nova plane & longe accuratiori methodo ita adornatae, ut singulae Quaestiones sub certas Classes & Titulos relatae, in affirmantem vel negantem sententiam resolutae, auctoritatibus & testimoniis Doctorum roboratae, resectis inutilibus, tediöse repetitis, & quae alieno loco posita erant, justo ordine, congruo loco, propositis, sed & adjectione integrarum vocum, multarumque millium novarum Quaestionum ex recentissimis Autoribus Juridicis horumque Quaestionibus prioribus, per totum opus aspersione & accessionibus, opus duplo plus auctum, ita ut ad instar Bibliothecae locupletissima casus in foro & auditorio obvientes inde facili negotio resolvi, & in spinosioribus controversiis & perplexis quibusvis quaestionibus consilium ex arena capi, quin & illae statim decideri, decisae autem Doctorum suffragiis stabiliri possunt, autore B. Johanne Jacobo Curtio, JCo, Ser. Duc. Würtemb. intimae admissionis quondam Consiliario, Procancellario, Feudorumque Praeposito: nunc denuo revisum, recognitum, novisque scriptorum, qui vel deerant, vel novissime demum prodierunt, & infinitarum Quaestionum additionibus, ditatum ac dotatum, opera ac studio B. Autoris ex Filia Nepotis, Jac. Davidis Mæglingii, U. J. D. & Academiae Tubingens. Juris Canon. Prof. Publ. Ord. Ser. Ducis Würtemb. Consiliarii. Atque ita videri possumus recensione libri non novi defuncti, nisi nonnihil etiam de elegantissima Conf. Mæglingii Praefatione, quae huic editioni accessit, dicendum esset. Primum enim eorum examinat sententiam, qui omnes Juris locos, quos ajunt, communes aspernantur. Deinde Quaestiones quasdam inanes, a JCo motas, producit, quibus lectis vix risum teneas; sed has atque similes, quae*

usum

usum non habent, ex opere hoc exulare voluit. Denique instituti hujus rationes pandit, ac scopum ejus & multifarias utilitates repræsentat. Postquam enim altera editio operis Speideliani prodiiisset, obstetricante Celeb. *Curtio*, Nostri avo materno, idem de tertia nova veste adornanda serio cogitabat. Nam & ingens in opere confusio regnabat, quod Quæstiones alieno loco tædiose repetitæ comparebant, & multa delicatioris seculi genius respuebat, plurima vero omnia desiderabant eruditi, nec apparebat, utrum Autores commendati affirmarent quæstionem aut negarent. Quibus omnibus medelam asserere conatus, ante omnia Quæstiones omnes resolvit, resolutas sub certa capita & classes, prout natura & indoles suadebat, redegit, otiose repetita refecit, substitutis novis quandoque vocibus, totumque opus multis Quæstionum myriadibus infinitisque Doctorum autoritatibus ex instructissimis, sua aliorumque, bibliothecis locupletavit. Quanta fuerit operis expectatio, ex Jo. Ge. Kulpitii, Jo. Ulr. Pregizeri, & Lauterbachii, quo imprimis amico ulus est Curtius, locis, a Nostro productis, patet. Enimvero cum idem Conf. Curtius partim munerum gravitate prohibitus, partim morte A. 1692 præventus, laborem non nisi a littera *A* ad vocem *Feudum* produxisset, opportune accidit, ut opus affectum in manus inciderit Viri Conf. *Jo. Bernardi Sattleri*, Jcti, Ser. Ducis Würtemb. lineæ Neostad. ut & Ordinum Provincialium Ducatus Würtemb. Consilarii & Cancellariæ Neostad. Directoris, qui cum regendæ Mæglingii nostri, unici Curtii hæredis, minorenni ætati Curator datus esset, ceptam telam pertexere pro incredibili in Nostri amore instituit, tandemque laborem immensum feliciter ad umbilicum deduxit.

MATERIA MEDICA, OR A NEW DESCRIPTION of the Virtues and Effects of all Drugs or simple Medicines, now in use.

i. e.

DESCRIPTIO NOVA VIRTUTUM ET EFFECTUUM omnium Simplicium Officinalium; cum Introductione

Ggg 3

ctione

*thione & Observationibus EDUARDI STROTHERI, M. D. & Colleg. Med. Lond. Reg. Collegæ.*

Londini, apud Carolum Rivington, 1727, 8.

Alph. 2.

**P**Aulus Hermannus, Princeps suo tempore Botanicorum, Materix Medicæ excolendæ admodum studiosus fuit, Auditoresque suos hoc in scientiæ genere summa fide & industria instruit, nihil vero de eadem luci publicæ exposuit. Ex MStis tamen Collegiis orbi literato communicarunt Johannes Sigismundus Henningerus *Pauli Hermannii Cynosuram Materix Medicæ; Argentorati 1710, 4*, nec non D. Christianus Ludovicus Welschius *Lapidem Materix Medicæ Lydium seu accuratum medicamentorum simplicium Examen secundum ductum partium eadem constituentium eorumque virtutes formantium institutum & brevissima methodo dispositum a Paulo Hermanno; Lipsiæ 1703, 8*. Sic & haud ita pridem extitit, qui ejusmodi Collegium Materix Medicæ Hermannianum Anglico donavit idiomate, quod dignum judicavit Clarissimus Strotherus, quod typis exprimeretur, adjunxitque eidem non solum Introductionem generalem de operationibus omnium medicamentorum in corpore humano, sed & Observationes quandoque Simplicibus adjecit. De Materia Medica Hermannii aliquid monere, eo magis supervacaneum ducimus, quo pluribus jam versatur manibus modo commendata Cynosura ab Henningero edita, eadem tradens, quæ in præsentî opere exhibentur, sub hac tamen differentia, quod, cum Henningerus Simplicia in diversas classes, habito ad internam partium constitutionem reflecto, dispescuerit, hic juxta literas Alphabeti in Voluminis I Parte 1) radices, 2) herbæ, 3) excrecentiæ, 4) cortices, 5) ligna, 6) semina, in 7) quæ Voluminis II primam efficit, fructus, 8) farinas, 9) & 10) succos, 11) gummata, balsama, & resinas, 12) animalia, eorumque partes, 13) flores, 14) mineralia, metalla & lapides, & in 15) marina explicentur; quibus digressio de purgantibus, quorundamque medicamentorum compositionibus & formulis adjecta est. Ex Introductione & Observationibus Clariss. Strotheri nunc quædam cum L. B. fu-

mus

mus communicaturi. In Introductione de Operationibus medicamentorum in corpore humano sequentem commendat methodum Autor. Inquisituri in causas naturales considerare debemus objectum, num sit ens, an actio? Circa ens investigandum est in ejus essentiam & qualitates tam essentialiales quam adventitias. Sic materiae essentiam constituit extensio, proprietates essentialiales seu universales gravitas, motus, divisibilitas, figura & impenetrabilitas; particulares & adventitias calor, frigus, color. Circa actionem consideranda est facultas, actio ipsa, ejusque radix & modus. Sic respiratio est actio, cujus radix animaeitas, facultas capacitas aerem admittendi & excludendi, existit, modus vero a structura thoracis, pulmonum &c. dependet. Actionem & ejus facultatem semper cognoscimus, modus saepe nos latet, e. g. quando magnes ferrum attrahit; nec minus causa seu textura partium, e. g. in determinanda vi elastica chalybis. Facultates per principia mechanica in actum deducuntur, circa quae supponendum est, dari materiam aliquam universalem, omnibus corporibus communem, & immutabilem, essentialiter extensam, quae dividitur in solidam & fluidam; illa est, quae obtinet superficiem inaequalem, qua variis punctis tangit planum; haec, quae cedit tangenti & ex corpusculis circularibus constat. Materiae hujus proprietates essentialiales sunt gravitas, divisibilitas, mobilitas, figurabilitas, impenetrabilitas. Proprietates secundariae radicate sunt in diversa textura corporum, & consistunt in diverso ordine, relatione, vicinitate, distantia & sita particularum: omnia corpora possunt in quatuor classes seu formas dividi, quarum singulae ut plurimum certum possident numerum proprietatum mechanicarum, ita ut haec classes, principia chymica alias dicte, cause immediatae existant actionum, affectiones mechanicae antecedentes, & materia ipsa procatartica causa. Criterium horum principiorum chymicorum est, quod omnia, si quam proxime fuerint homogenea, comprimi se non patiuntur, quod tamen contingit, si alia atque alia inter se invicem combinentur, idque ratione motus, figurae, harumque proprietatum mille modis fieri potest. Dantur etiam qualitates compositae, quae a materia varie modificata dependent, mereque accidentales sunt, ita ut, si proprietates materiae quocunque modo

alte-

alterentur, ipsæ pariter proportionate immutatæ compareant. Dicantur hæc vel primæ, ut calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ; vel secundæ, ut volatiles, fixæ, corrosibiles, corrosivæ; vel sensibiles vel occultæ; optimus tamen eas dividendi modus est, quando aliæ dicuntur activæ, passivæ aliæ, quarum illæ a motu, hæc a quiete dependent. Ad illas refertur calor, volatilitas, corrosivitas, elasticitas, solutio, attenuatio, fermentatio, effervescencia, præcipitatio, filtratio, incisio, odores, saporis & colores: ad has frigus, siccitas, humiditas, fixitas, corrosibilitas, opacitas, flexibilitas, tenacitas, fragilitas, laxitas, durities, mollities, cohesio, incrassatio, obtusio, & absorptio. Hæc si applicentur ad corpus humanum, ejusque partes fluidas ac solidas, videmus, variis eas subjectas esse alterationibus. Quodsi enim fluida rarefiunt, tubi elongantur, attenuantur suæque elasticitate privantur: si abundant particulis oleosis vel aqueis, vasa oblinuntur, laxantur & perdunt motum suum tonicum; si terrestribus aut l. linis solida stimulantur, velluntur, hinc vel magis elastica vel rigida redduntur, ac corroborantur; si nimis cohereant, propter motum justo languidiorem & amplam superficiem vasorum parietibus firmiter impinguntur. Cum igitur fluida circulentur per suos canales, varios impulsus & impressiones recipiunt pro varia horum contractione, idque per pulsum cordis; unde etiam apparet, quid hujus systolen & diastolen, i. e. circulationem sanguinis promoveat. Scilicet quæcunque resistentias remonent, influxum sanguinis & spirituum restaurant, vasa flexilia reddunt, & tonum conservant. Jam quod medicamenta attinet, qualitates hæc obtinent decompositas, quatenus duas vel plures ex compositis possident; harum aliæ univoce agunt, dum digestiva relaxant & stimulant, sarcotica relaxando & stimulando vasa inaniunt, ac contrahunt, epulotica contrahunt & absorbent; aliæ æquivoce, sic cephalica non solum dicuntur, quæ vasa stimulando & viscositatem incidendo sanguinem imminuunt, & attenuant, ut acorus, caryophyllata, angelica, &c. sed & quæ sal volatile, quo abundat sanguis, infringunt, ut spiritus vitrioli. Quando igitur medicamenta contra morbos a scriptoribus materiæ medicæ commendantur, non acquiescendum est in qualitatibus decompositis, quatenus dicuntur anti-pleu-

pleurítica, antepileptica, &c. sed ad compositas refugium capere, & investigare debemus, quibus facultatibus talem effectum præbeant. Sic quoniam millepedes facultatem possident fluida attenuandi & solida stimulandi, antasthmatici dicuntur, sed non adhibendi sunt, nisi quando pulmones pituitosa materia sunt iufarcti. Effectus enim decompositi a qualitatibus compositis, hæ vero a principiis mechanicis dependent. Sic antihydrica stimulant & attenuant; stimulatio autem dependet a figura medicamenti & attenuatio a motione, subtilitate & pondere. Hæc figura, motio, subtilitas & pondus sunt proprietates mechanicæ corporum, a quibus originaliter omnes alterationes in corpore humano derivantur, nec ultra progredi in effectibus naturæ explicandis licet. Sed pergitur ad observationes a Clariff. Strothero recensitis simplicibus adjectas, quæ sunt Physicæ, Botanicæ, Pathologicæ, Therapeuticæ, Chymicæ & Pharmaceuticæ; ex quibus paucas allegabimus. Salia in plantis juxta Autorem male dicuntur fixa; sub hoc nomine veniunt lixiviosa salia & quæ igne parata sunt; possunt vero vocari alcalifata, quia salium fixorum virtutes obtinent. Vegetabilia salibus volatilibus ebria coctionem non ferunt; si oleosam simul contineant particulas, hæc impediunt, quo minus illæ avolent. Tremor a mercurio oritur, quia hic absorbendo salia ex sanguine vasa nimis rigida reddit, salibus vero volatilibus oleosis corrigitur. Malignitas in eo consistit, quod activæ particule viscidis sint involutæ. Magna est convenientia inter viscum quercinum & alchymillæ folia intuitu mutationis coloris; utraque enim si recens pulverifentur, viridem præ se ferunt colorem, successu temporis flavescunt; si tantillum salis volatilis eisdem addatur, pristinum recuperant colorem. Ex quibus concludit, colorem viridem a certa salis volatilis oleum attenuantis proportionem dependere, aeri vero expositos pulveres acidum ab eo sub certa proportionem admittere, quod colorem mutat; vel evaporata salis volatilis vel olei portione, quod reliquum est, ab acido vel plantæ, vel aeris, vel utriusque spissescit. Amara raro supra alembicum ascendunt; postquam autem methodi salia fixa in volatilia transmutandi cognitæ nunc nobis sunt, videtur in colocynthide, cujus aqua destillatur

Vol. I p. 15.

21.

47.

213.

274.

Vol. II p. 13.



- amara, analogi quid latere cum invento hoc artificioso. Amara enim aliquandiu asservata parum vel nihil salis fixi obtinent, quo tamen recentia abundabant; & colocynthis spongiosa substantia prædita, mox corrumpitur, & volatile quasi redditur, indeque
- Vol. II p. 66. supra alembicum ascendit. Fistulam denique ani spiritu vini camphorato curatam refert. Mittimus observationes uberrimas simplicibus ex Regno Minerali petitis adjectas, ad librum ipsum
- Vol. I p. 17. L. B. remittentes. Interim non possumus non monere, corrigere quandoque & castigare Strotherum Hartmannum, dum e. g. negat, bistortæ saporem adstringentem testari de particulis terrestribus plantæ; siquidem terrea per se nullum continent saporem, mista vero cum acido adstringentia evadunt; Turpethi virtutem catharticam alcalicis augeri, quia hæc resinas dissolvendo vim purgantem destruunt; spiritum Ligni sancti ad luem veneream conducere, cum sit acidus; gallas terrestribus tantum gaudere particulis, siquidem alias ferrum non posset præcipitare in atramentum. Falso enim vulgo credi existimat, styptica ut talia præcipitare aquas minerales. Hæc enim nihil aliud sunt quam raumenta metallica, ab acido quodam subterraneo in Vitriolum corrosa. Hinc cum cuncta vitriola solum a salibus præcipitentur, sequitur, gallas continere sal aliquod vitriolo contrarium.
- 93.
270.  
Vol. II p. 23.

**DE CURA ECCLESIAE VETERIS CIRCA  
Canonem sacrae Scripturae, & conservandam codicum puritatem, Commentatio Theologico - Critica; Autore  
JOANNE FRICKIO, S.T.P.**

Ulmae, sumptibus Dan. Bartholomæi, 1728, 4.

Alph. I pl. 27.

**M**Axime Reverendus Autor, cujus eruditos labores jam sæpius in his Actis laudavimus, hic fundamentalem illam de Canone Biblico doctrinam quatuor persequitur in Capitibus. Horum primo originem investigans sacri codicis, Mosem docet *Deut. XXXI, 26*, libros suos Ecclesiae dedisse cum cura servandos, nec dubitat, idem fecisse Prophetas succedentium temporum,  
Esdras

Esdras denique non tanquam criticum, sed tanquam virum *θεόπνευστον*, disiecta Mosis ac prophetarum monumenta in unum corpus collegisse atque edidisse. Hinc Rich. Simonii sententiam de canone Scripturæ sacræ refellit, similemque Pyrrhonismum introducere conatos, Lud. Cappellum, If. Vossium & Jo. Morinum, debita censura perstringit. Quam vigil fuerit divina providentia, ut & conservarentur sacri libri & sinceri manerent, ex Christi probat & Apostolorum ad illos provocationibus sine ulla corruptionis mentione. Disputat etiam contra Pontificios, non ab Ecclesiæ arbitrio pendere auctoritatem Canonis, sed a Deo. Tandem adversus Huetium contendit, *Canonem sacrum* non dici indicem & catalogum librorum divinatorum, sed regulam divinam veritatis.

*Cap. II* de cura Ecclesiæ Christianæ circa Veteris Testamenti codicem differit, initio docens Christum & Apostolos, dum libros Vet. Test. nominatim laudant, apocryphos non item, hoc ipso ostendisse nobis libros canonicos. Hinc testimoniis Patrum Ecclesiæ probat, Ecclesiam semper in id incubuisse, ut libris canonicis nullus adjungeretur apocryphus, sed illi ipsi libri, quos Pontificii postea auctoritate canonica impertire ausi sunt, excluderentur. Unde & accurate diluit, quæ Pontificii e posterioribus Conciliis Patrumque allegationibus valere putant ad auctoritatem canonicam conciliandam iis libris, quos nos una cum prisca Ecclesia e Canone excludimus.

*Cap. III* curam Ecclesiæ circa Novi Test. Canonem laudat. Initio ostendit, jam vivis Apostolis circumferri cœpisse libros supposititios, indeque necessariam fuisse constitutionem Canonis: quem primis statim temporibus in Conciliis constitutum fuisse, e quodam Tertulliani loco docet, idque negantem Jo. Clericum refellit. Quæ vero de Canone N. T. traduntur in *Canonibus Apostolorum* & in *Constitutionibus Apostolicis*, rejicit, ac duo ista scripta nullius esse auctoritatis, evincit non solum contra Turrianum pontificium, sed etiam contra Montacutium, Beveregium & Whistonum. Tum e *2 Petri III, 15* docet, Apostolos curam gefisse librorum N. T. canonicorum, nec dubitat, Joannem Apostolum fuisse primum N. T. Canonis autorem & constitutorem.

Quod si quis objiciat, dubitatum diu fuisse de autoritate Epistolæ ad Hebræos, Jacobi item & Judæ, posteriorumque Petri & Joannis Epistolarum, respondet, duce Millio, has epistolas edito jam Codici Apostolico deinceps adjectas fuisse a particularibus Ecclesiis, & hinc ortam esse per aliquod tempus controversiam.

*Cap. IV*, quantæ curæ fuerit vetustissimæ Ecclesiæ puritas Codicum N. T. probat ex Irenæo, Tertulliano, Ignatio, Origene, Justino: & hac occasione notat Millium, nimis exaggerantem variantes lectiones, ejusque speciatim refellit sententiam, qua statuit, doxologiam Orationis Dominicæ non esse genuinam, sed e Græcorum liturgiis insertam. Longior hic est Rev. Autor, ac singula Millii argumenta proponit, expendit, & erudite confutat. Ultimo loco querelas Hieronymi aliorumque veterum de codicibus N. T. depravate scriptis producit, simulque eos commemorat, qui prisco ævo operam dederunt codicum N. T. emendationi. Respondet, istas Hieronymi, scriptoris hyperbolici, ceterorumque querelas haud esse fide dignas, ac præterea distinguendum esse inter codices publicos & privatos.

*PHILOCALIA EPISTOLICA, SIVE CENTUM Epistolæ varia notatu digna, imprimis ad sanctiorem doctrinam atque Historiam Ecclesiasticam spectantia, continentes. E MSSis edidit, notis illustravit & præfatione, in qua de similibus nonnullis Epistolarum Collectionibus differitur, nec non indicibus auxit J. O. HENR. A*

*SELEN, SS. Theol. Lic. & Gymn.*

*Lubec. Rect.*

Lubecæ, sumptibus Pet. Beckmanni, 1728, 8.

Alph. 1 pl. 7.

**Q**uemadmodum minime accedimus eorum sententiæ, qui nihil in ejusmodi literis, quales hæc ad familiares, contineri, nisi quod ad accuratiorem imo firmiorem de eruditorum quorundam vitis atque scriptis notitiam faciat, statuunt; ita nulli dubitamus asserere, illos, qui, quas in promptu habent,

bent, epistolas latere patiuntur, parum probandos esse. Quo enim rariora de vitis excellentium virorum indicia sunt, eo sollicitius quasvis, si vel sint minutissimæ particulæ, e latebris, in quibus delitefcunt, in medium protrahendas esse, res ipsa loquitur. Ab iis igitur, qui nihil indignius ducunt, quam, quibus studiorum incrementa debemus, ignorare, magnam inibit gratiam *Cel. a Seelen*, quod non solum hactenus noctem, historix litterarix undiquaque offusam, profligare masculè allaboraverit, sed & in posterum eidem majorem lucem se accensurum nos doceat in nota ad *Ep. LXII*, editurus quippe, ne alia urgeamus, in ordinem redactam & novis accessionibus auctam *Joannis Hermanni ab Elswich Tractationem Historico-Theologicam de Sanctis Pontificiorum Non-Sanctis*, cui quo minus ultimam manum imponeret, mors prævenit B. istum Virum. Sed futura faciamus missa, in præsentia sermo nobis sit de hac *Philocalia Epistolica*. Epistolas, quæ hic occurrunt, quondam exaraverunt *Jo. Aepinus, Eberb. Anckelmann, Jo. Dan. Arcularius, Carol. Arndius, Andr. Arnoldus, Conr. Beckerus, Pet. Bockelmannus, Jac. Bordingus, Jo. Botkerus, Dav. Clodius, Jo. Dieckmannus, Jo. Pet. & Mart. Disenbachii, Nathan. Dilgerus, Paul. Eberus, Jo. Fecbtius, Mich. Fertschius, Nic. Gallus, Jo. Gezelius, Christian. Grundmann, Jo. Dan. Gukkelen, Jo. Heinzelmannus, Martin. Helvicus, Tilem. Hesbusius, Joach. Hildebrandus, Jo. Christian. Isingius, Georg. Lani, Mart. Lutherus, Jo. Frid. Mayerus, Phil. Melanchthon, Heft. Mithobius, Ol. Moberg, Joach. Morlinus, Just. Jac. Mullerus, Jo. Gottfr. Olearius, Pet. Palladius, Anton. Reiserus, Jac. Schallerus, Dan. Seever. Schultetus, Theoph. Spizelius, Thom. Stegerus, Tob. Wagnerus, Christoph. Wegleiter, Jo. Weinmannus, Jo. Joach. Zentgraf, ac Casp. Ziegler. En, qui scripserint, nunc quid scripserint, accipe. Erit autem istud, si in compendium mittamus, ad tria potissimum capita referendum. Eruditorum enim *Βιόγραφοι*, quos habemus in manibus, vel augeri, vel emendari, vel corroborari inde poterunt. Posterius cum brevitati, cui maxime studemus, adversetur, omitteremus, at priora paucis licebit exequi. De cetero norma, ad quam hæcce componemus, erit *Lexicon Eruditorum*, quod hic A. 1726 iterum prodit, hoc in genere, nostra quidem sententia, absolutissimum.*

mun. Deesse ibi compertum habemus vitam *Bern. Rothmanui*, Monasteriensis in Westphalia Episcopi, Lutheri coevi, puriori doctrinae initio addicti, sed, turpe dictu, postea Anabaptistarum, qui *Rothmannistarum* nomen ab eo sortiti sunt, praecipui *μεσοχόρος*, id quod docemur per Ep. I & II iisque subiectas annotationes. Hunc excipiat *M. Jo. Christian. Isingius*, Ecclesiae Cathedralis Cniphov. Diaconus, qui uti ipse Ep. XXXI, Regiomonte A. 1665 scripta, testatur, edidit *IV Exercitationes in Josuam, Examen duarum Quaestionum Dreierianarum, Διδασκαλίαν de Ecclesia Catholica concioni Dreieri de eadem materia oppositam, Concionem valedictoriam* A. 1656 habitam, kurze Anweisung, wo D. Dreyers Schwarm-thesen bereits wiederleget &c. Quibus Duumviris jungas *M. Jo. Philipp. Toussorem*, Rectorem olim Stadensem, postmodum Hadelicarum Ecclesiarum Superintendentem, quod cognosces ex Ep. XXXV: *M. Jo. Heinzelmannum*, veteris Soltquellae itidem Superintendentem, teste Ep. LXXX: *Jo. Dan. Gukkelen*, Inspectorem Otovillae, secundum Ep. LXXXV: ac denique duos *Disenbachios*, quorum alter *M. Jo. Petr.* in Franconiae quodam oppido a Concionibus Aul. & S. fuit, ex Ep. XCII, alter *Martinus*, prioris, ut opinor, filius, Dissertationem *de Henrici VII morte violenta* composuit, quod ipse Ep. XCIII & XCIV ostendit. Post haec *Antonii Reiseri* vitae erit inferendum, quod ipsi post Rectoratum Augsburgensem officium Ecclesiasticum Oehringiae, in Comitatu Hohenloico sitae, A. 1674 vel sequente, quod Ep. LXXIV, LXXV & LXXVI indicant, demandatum fuerit, unde decedens Gieslæ A. 1678 consecutus est gradum Licentiati, cum ob temporis angustiam Doctoris non liceret. Ipso enim anni proxime insequentis principio Pastoris ad D. Jacobi munus in incluta urbe Hamburgo ipsi erat ineundum, quod apparet ex Ep. LXXVII & LXXVIII. Cunctis, quae diximus, ad amissum respondet Reiseri hujus Epitaphium, quod cernere est in *Auctario ad Inscriptiones Hamburgenses Theod. Anckelmanni* p. 49. Reliqua, levioris momenti, mitteates, ad alterum, quod supra promisimus, descendemus, paucisque id absolvemus. In eodem, quod jam allegavimus, Lexico Eruditorum memoriae proditum est, *Nic. Gallum* vice Superintendentis Ratisbonae A. 1552 fungi coepisse; sed anno sequente id demum factum, perhibet Ep. VI.

Ibidem

Ibidem legimus, *Josepb. Adjuti*, Wittebergæ quondam Ital. Lingu. Professoris, diem emortualem fuisse d. 21 Maji A. 1668, at si Epist. LXVII est habenda fides, sequeretur, ipsum uno & viginti diebus citius naturæ debitum solvisse, ita enim dicto loco invenimus: *XIV abhinc diebus diem supremum obiit D. Josephus Adjuti, Syrus Nivivita, Lingu. Ital. Prof.* Hæcce autem scripta fuerunt Wittebergæ d. 13 Maji 1668. Præter enarrata occurrunt & alia, haud minus notatu digna, quæ lectorem nostrum latere nolumus. De *Academia Witteb. Scholasticis*, quo sub nomine Crypto-Calviniani, Witteb. degentes, virus suum spargebant, agunt Ep. XIV & XV, in quarum ultima mentio fit carminis, quod inscriptum fuit *Hortus Libani*; quid vero istud fuerit, exponit nota 49. Colloquium Theologorum Bremæ habitum iri, docet Ep. XVI, eademque corporis & sanguinis Christi in S. Cœna præsentiam stabilit. Ep. XVII somniæ, quæ de Androgyno *Plato* in *Convivio* & quem presso pede secuti sunt, *Rabbini* & *Marfilii Ficinii* somniarunt, in brevi quasi tabella conspicienda sistit. In notis ad Ep. XLV typis descripta est schedula de Ravii, quæ possidere gloriabatur, MSStis sub rubrica: *Catalogus Græcorum MSSorum Bibliothecæ Orientalis, possessore Christiano Ravio*. De lite super suam Disputationem de *Origene* & *Origenianis* mota apud *Bebelium* queritur, & crimen, cujus falso infimulabatur, diluere studet Ep. LX & LXI *Fechtius*. Ep. LXVI Lutheranorum per Saxon. Jubilæum, ut ita dicam, semiplenum, A. 1667 celebratum, commemoratur. Ep. LXXX contra *Majoristas*, abstinentiam a peccatis ad salutem æternam esse necessariam statuentes, multis disputatur. Ex Ep. XCVI notetur judicium de celebri, haud ita pridem defuncto, *D. Peter senio*, ejusque, quas erepavit, visionibus, quarum fontes rationibus valde probabilibus deteguntur. Ultimum tandem, cujus mentio fieri debet, est dubium, quod, an Græcorum Accentus jam *Aristotelis* ætate in usu fuerint, *Elswichio* movet *Carol. Arndius* Ep. XCVIII.

Lebens-Beschreibung.

hoc est,

VITA ET SCRIPTA JO. GEORG. LEUCKFELDII,  
Pastoris primarii Graningensis, & Regia Societ. Prussica Mem-  
bri,

*bri, Autore M. TOBIA ECKHARDO, Gymn. Quedlinb. Rectore.*

Quedlinburgi, 1727, 4. Plag. 8.

**L** Euckfeldii, quem sua scripta Germanis patriæ historiæ amantibus carum & clarum, nostra hæc *Acta* etiam exteris honorifice notum fecerunt, vitam & merita descripsit Cl. Eckhardus, & merito nos ipso duce breviter hic describimus. Natus est vir percelebris Heringæ, quod Thuringiæ est oppidulum, A. 1668 d. 4 Julii, patre agricola: quod vitæ genus ipse quoque, si matris viduæ consilia valuissent, secuturus erat. Sed suavit ei & persuasit suus Genius, ut, jam licet ætate provecior, totum se daret literis, & in scholis Francohusana & Quedlinburgensi magnos faceret progressus. Hinc nostra in Academia quinquennium consumsit inter perpetuos labores literarios, præcipua tamen cura incumbens in cognitionem historiarum. A. 1700 Serenissima Abbatissa Gandersheimensis eum fecit Secretarium suum & concionatorem aulicum. Hic in tabulario inveniens vetustissima diplomata, magis se accendi in dies sensit ad investigandas antiquitates Germaniæ, maxime ecclesiasticas, A. 1702 constitutus est Pastor primarius Groningæ, qui vicus non longe distat Halberstadio, & hanc stationem retinuit per omnem vitam. Hic, quicquid temporis alii sui ordinis otio vel negotiis œconomicis impendere solent, in studio consumebat historico, & libros conscribebat magnis virorum præstantium elogiis (quæ quidem diligenter hic exhibet Cl. Eckhardus) ornatos. Edidit scil. separatis libris *Antiquitates Walckenredenses, Poeldenses, Blanckenburgenses, Gandersheimenses, Ilfeldenses, Michaelsteinenses & Amelunxbornenses, Græningenses, Bursfeldenses, Katelenburgenses, Halberstadienses, Præmonstratenenses, Alstadienses & Walbusanas una cum historia cænobii Kelbrani: Vitam Cyriaci Spangenbergii: Vitam Henr. Meibomii, cujus & Historiam cænobiorum Mariobornensis & Mariobergensis edidit: Vitam Jo. Spangenbergii: Vitam Tilemanni Hesbujii: Vitam Hermannii Hamelmanni: Antiquitates nummarias, sive de nummis bracteatis Halberstadiensibus, Magdeburgensibus & Quedlinburgensibus: cujus generis duos posthac libellos edidit: libellum de quinquaginta quinque Theologis, qui anno ætatis quinquagesimo quinto vitam excesserunt: alium de septuaginta novem Theologis, qui octogesimum annum vivendo superarunt: librum denique de atheismo inter Christianos viginti. Edidit præterea Scriptores tres rerum Germanicarum, itemque Henr. Buntingii *Itinerarium Scripturæ sacræ* una cum multis accessionibus. Quod si longius factus esset vitæ spatium, accepisset ab eo literatus orbis vitam Jo. Lezneri, historici Saxonie inferioris; vitam Martini Chemnitii; Henr. Buntingii *Chronicon Brunsvicense & Lunenburgense; Volumen epistolarum Theologorum seculi XVI; & Antiquitates plurimum monasteriorum.* Sed destinata hæc evertit mors, quæ hydrope viam parante virum optimum oppressit A. 1726 d. 24 Aprilis.*



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Octobris Anno MDCCXXVIII.*

CYCLOPÆDIA, OR AN UNIVERSAL DICTIONARY of Arts and Sciences &c.

h. e.

**LEXICON UNIVERSALE ARTIUM ET Scientiarum; continens Definitiones terminorum & explanationes rerum, que iis significantur, in Artibus tum liberalibus tum mechanicis, atque in Scientiis humanis & divinis; Figuras, species, proprietates, productiones, præparationes, & usus rerum naturalium atque artificialium; Originem, progressum & statum rerum Ecclesiasticarum, Civilium, Militarium, & commercialium; cum variis Systematibus, Sectis, Opinionibus &c. Philosophorum, Theologorum, Mathematicorum, Physicorum, Antiquariorum, Criticorum &c. tanquam Compendium totius antiquæ & recentioris Eruditionis, ex optimis Autoribus, Dictionariis, Diariis, Transactionibus, Ephemeridibus &c. excerptum ab E. CHAMBERS, Nob.**

## *Volumina II.*

Londini, apud J. Knapton, J. Senex, W. & J. Innys, & rel. 1728,  
fol. maj.

Alph. 22 plag. 8 & Tabb. æneis 28.

**S**ingulari diligentia & summo eruditionis omnigenæ apparatu conscriptus est a Nobilissimo Autore hic liber, sine dubio utilissimus & multis nominibus commendandus. Nec ni-



mia polliceri titulum lector inveniet. Nam quæ ad Philosophiam, Theologiam, Medicinam, Mathesin, Artesque mechanicas spectant, pleraque explicata sunt; neque etiam Antiquitates, artem criticam, commercia, militiam, Heraldicam, ipsiusque Juris cum universalis tum præcipue Anglicani scientiam neglexit Autor; quanquam ea, quæ mere sunt historica, de rebus gestis populorum ac Principum, deque vitis illustrium virorum, ex instituto certe, non attigit. Experimenta etiam in Physicis & demonstrationes in Mathematicis, nisi ubi singularem habere utilitatem viderentur, consulto prætermisit. Ceterum non modo ex optimis Lexicis, cum particularibus, tum magis universalibus, quæ hodie magno numero extant, imprimis Academicorum Gallicorum, Patrum Trevoltianorum, Davillerii, Chomelii, Savary, Chauvini, Harris, atque ex ipsis optimorum Autorum scriptis singularibus, pleraque desumpsit, atque in Mathematicis præsertim Elementorum Matheos Wolfii, quem passim etiam laudat, multum usum fecit; sed & hinc inde de proprio penu quædam addidit, atque illud imprimis efficere omni studio contendit, ne acervum quendam exhiberet articulorum sine ordine & nexu cumulatorum, quod incommodum universis fere Lexicis hucusque commune fuisse constat, sed ut ubique ostenderet, quomodo res quæque cum aliis & cum integris disciplinis cohæreant; qua de causa in plerisque articulis frequentissimæ aliorum articulorum allegationes occurrunt. Denique & illud laudandum est, quod affectibus non facile locum dedit. Newtonianæ quidem Philosophiæ imprimis favet, quam quidem extra Angliam tam exiguos adhuc progressus fecisse miratur. Ceterum incomparabili illi Viro tam serviliter haudquaquam adhæret, ut aliorum famæ propterea invideat, atque ut universa ejus dicta pro infallibilibus habeat; multa potius etiam exteris Philosophis ac viris doctis, Germanis, Gallis, Italis, cum recentioribus tum antiquis, tribuit; quod homines ingenuos & veritatis amantes quam maxime decere certum est. In præfatione satis prolixa non solum instituti sui rationem reddit, sed & de variis rebus copiose disserit, quarum notitia ad totum opus pertinere visa est. Ac primum quidem præcipuas universæ cognitionis humanæ divisiones, artiumque & scientiarum

nexus

nexum & subordinationem exponit. Deinde sermonis & vocabulorum egregium usum commemorat. Porro de artium ac scientiarum discrimine, & de vera horum vocabulorum vi disquirit. Postea de terminis technicis, de Definitionibus, & de Lexicis verba facit. Tandemque ad suum institutum rediens, imperfectionem operis modeste excusat, utilitatem demonstrat, atque impostum etiam Supplementa quædam se daturum pollicetur. Scientiæ & artis ea est differentia, iudice Autore nostro, ut illa dependeat a ratione pura, atque, ut ita dicam, generali vel omnibus hominibus communi; hæc contra a ratione particulari, sive ab ingenio certorum hominum. Illa nihil aliud est quam continua series deductionum & conclusionum, ad quas via recta pervenire unusquisque potest, qui justam adhibet attentionem; hæc a via ista recta remota est. Illam cuivis reperire licet; hanc unus reperit autor, ceteri non nisi traditione discunt. In illa mens est passiva; in hac activa, quippe cum scientiam ad proprias quasdam & peculiare occasiones applicet. Scientia nascitur a principio naturali; ars vero a morali. Illa dici potest esse originis diviniæ; hæc humanæ. Longum esset omnia persequi, quæ ad explicandam hanc distinctionem ab Autore porro afferuntur, de Enthusiasmo imprimis, omnibus artificibus & inventoribus, imo toti generi humano ita proprio, ut homo rectius forte definiri posse videatur, quod sit *animal entusiasticum*, quam *animal rationale*; de theoriis nostris philosophicis, quæ nihil aliud sunt quam enumerationes legum, i. e. actionum creatoris; de causis & occasionibus; ac de multis aliis rebus, lectu sane & consideratu hautquaquam indignis. Quibus nunc quidem prætermisissis ad ipsum librum accedimus, ex copiosissimis articulis eum loco speciminis allaturi, qui agit de *Barometris*.

Barometrum est machina, qua metiri licet gravitatem atmosphæræ & variationes, quæ in ea, propter mutatam imprimis tempestatem, accidunt. Præmissa hac definitione, atque explicata differentia inter barometrum & baroscopium ex mente Wolfii, commemoratoque experimento Torricelliano, quo tanquam fundamento nititur hæc machina, constructionem ejus tradit Autor, ac deinde varia exponit tentamina, quæ eo consilio facta sunt, ut

mutationes barometrorum magis notabiles magisque accuratz fierent; inde complura orta sunt barometra diversæ plane structure. Cartesius, ac postea Hugenius, ut columnam in barometro penitentiam amplificarent, eam ex mercurio & aqua composuerunt, & ita quidem, ut aqua superiorem, mercurius inferiorem locum occuparet. Quod cum illam haberet incommoditatem, ut aer in aqua hærens, paulatim ex ea ascenderet in spatium superius, quod ab omni aere vacuum esse debet; hinc postea, inverso ordine, Hugenius & Hookius aquam infra mercurium collocarunt, duplici tubo & vasculo usi, methodoque satis nota, sed in qua illud potissimum desiderandum videtur, quod perpetua aquæ evaporatio admodum incertas reddit barometri variationes; quam evaporationem istam quodammodo prohibere potest gutta olei amygdalorum, in superficie columnæ aqueæ natans. Itaque alii, ut ait Cl. Autor, (nobis enim satis constat, Celeb. Bernoullii hanc esse inventionem) barometrum horizontale sive rectangulare construxerunt, applicato scilicet tubo horizontali, in extremitate aperto, ad alterum perpendicularem, qui non modo in superiori parte hermetice sigillatus & ab aere vacuum, sed & vase quodam cylindrico ampliore instructus esse debet, ut, cum in eo mercurius, more consueto, per paucas lineas vel ascendit vel descendit, idem in tubo inferiori horizontali & satis angusto, per spatium multo amplius promoveatur. In hoc barometro illum notat defectum Cl. Autor, quod propter attritum atque attractionem mercurii & vitri, longitudinemque scilicet, præsertim in repertis ascensibus vel descensibus, mercurius rumpatur, & relicta aliqua ejus parte æqualitas ascensus ac descensus maximopere turbetur. Fergit deinde ad barometrum diagonale, in quo pars superior, ubi mercurius ascendit ac descendit, ad partem reliquam inferiorem inclinata est; ad barometrum rota instructum, quod commentus est Hookius; ad barometrum pendulum figuræ conicæ; ad barometrum marinum Hookii; ad barometrum vel baroscopium staticum Boylei, Guerickii &c. atque illis omnibus tanquam accuratissimum præfert barometrum Caswellii, cujus etiam constructionem & usum propriis Autoris verbis describit. Explicatis variis barometrorum generibus ad recensenda eorum phænomena

mena pergit Noster; ubi primo quidem docet, quantus sit mercurii in barometro simplici descensus, si illud ad loca excelsiora transfertur. Deinde commemorat, quanta sit observata altitudo maxima & minima mercurii, diversis in locis ac diversis temporibus. Porro varias assertit Boylei, Halleji, Bealii, Derhamii, aliorumque observationes barometricas; exempli causa, quod flante Euro vel Borea, ac serena frigidaque tempestate, mercurius plerumque altissime ascendat; quod in regionibus septentrionalibus multo major quam in meridionalibus, intra tropicos vero perexigua vel plane nulla mercurii in barometro variatio observetur; quod magnæ identidem in aere mutationes fiant, absque notabili alteratione barometrorum; quod diversis in locis atque etiam factis inter se disitis, ut Londini & Tiguri, uno atque eodem fere tempore mercurius ascendat vel delabatur; & quæ sunt alia hujus generis, silentio nunc prætereunda. Post phænomena de eorum causis doctissimorumque Physicorum hypothæsis copiose differit. Hallejus ex natura ventorum variarumque exhalationum terrestrium totam rem explicare conatus est; a quo dissentit Autor noster. Sed nec Leibnitii hypothæsis ipsi satisfacit, quippe quam perinde ut Defagulierius, ad quem provocat, non satis recte intellexisse videtur. Quod si ea legisset, quæ B. Rastius, in peculiari Dissertatione contra Defagulierum, & Richterum in Novis litterariis nostris, A. 1721, in 8 divulgatis, hac de re proposuerunt, vidisset sine dubio, quam bene cum sua ipsius sententia, quam postremo loco explicat, hypothæsis Leibnitii concordet. Hoc enim certissimum est, quam diu vapores in aere hærent, totum eorum pondus; ubi vero descendunt, non nisi partem istius ponderis, in aerem redundare. De cetero, an descensus vaporum efficiatur, solo volumine eorum aucto, & imminuta superficie, ut Nobiliss. E. Chambers existimat; an vero ipsius densitatis mutatio accedere debeat; postremo, an etiam ante descensum vaporum, gravitas aeris imminui aliunde possit; quæstiones esse videntur necdum satis expeditæ.

LEXICON MILITARE, AUTORE CAROLO  
DE AQUINO, Societatis Jesu.

*Partes II.*

Romæ, typis Antonii de Rubéis, 1724, fol.

Alph. 12 plag. 8.

**A**Nte quatuor annos editum hoc opus, sed hæcenus latens, nunc demum ad nos perlatum est: postquam ejus exempla plura Amstelodamum ad *Brunel* Bibliopolam pervenerunt. Insigni id industria elaboravit doctissimus Autor, nec quicquam facile prætermisit, quod ad illustrandam rem militarem cum antiquam tum medii & recentioris ævi pertinere visum fuit. Lipsio, Patritio, Naudæo, atque adeo in recensione vocum barbaricarum Carolo du Fresne, se plurimum debere, candide fatetur. Quoniam vero latissime patens tractatio militaris a veterum institutionibus repetenda, & ex usu multijugi variarum nationum describenda est, idcirco nihil sibi audendum temere, nihil inconsultis omnium fere ætatum testimoniis pronuntiandum, judicavit. Concilianda Scriptorum testimonia sæpe sibi adversa; anceps & incerta fides Interpretum sustentanda; quæ passim occurrunt obscura, luxata, hiantia, & nullis non mendis deformata, ex virorum doctrina præstantium castigationibus, glossæmatis, conjectaneis, emaculanda ac sarcienda fuere. Præterea & ipse, aliorum studia juvandi fovendique gratia, ex propriæ criseos penu non ita pauca deprompsit, quæ aliorum scriptis aut squalorem detergerent, aut robur adjungerent. Sicubi vero in scriptoribus notare quædam, vel rejicere, ratio suavit & studium veritatis, id omni studio cavuit, ne quid caliginis eorum nomini offunderet, quorum dictis non nihil lucis adspergere conatus est. Nihil enim importunius & ab omni humanitate remotius censet, quam ob nivos aliquot & leves maculas sollicitare cineres, nec sinere ut conquiescant eorum manes, ex quorum laboribus impense proficimus, qui-que doctissimis vigiliis literarum gloriam & dignitatem assertum iverunt. Addendum quoque illud videtur, non solum frequentissime in hoc Lexico citari scriptores cum veteres tum juniores, imprimis etiam Poetas atque alios Autores Italos, sed & integra & sæpe non parum proluxa eorum loca passim transcripta esse. Quod ad res ipsas pertinet, de quibus sibi agendum putavit Vir præ-

præstantissimus, eæ quidem ad complures referri possunt classes; sed præcipuæ hæ sunt: de militia & ad eam spectantibus generatim; de Religione & bonis moribus; de Diis militaribus; de Heroibus & Ducibus fabulosis; de festis, sacrificiis, & ludis militaribus; de tyronibus & exercitatione; de duce supremo & ejus insignibus; de virtutibus, disciplinis & doctrinis militum; de bello indicendo, ejus apparatu, delectu; de bellicis magistratibus; de ministris, fabris, servis; de instrumentis musicis; de acclamationibus, canticis, saltationibus; de vexillis, armis, & machinis; de vigiliis, exploratoribus, nunciis; de vestibus; de arca militari & stipendiis; de annona; de suppellectile, oneribus, & impedimentis; de equis; de castrametatione; de munitionibus; de præmiis, pœnis, & re judiciaria; de obsidione; de supplicibus & dedititiis; de seditione; de pace & fœderibus; de victoria, triumpho, trophæis; de navibus bellicis; de funere & morbis; de variis animalibus; de adagiis denique & quæstionibus quibusdam militaribus. Quæstiones, quas militares vocat Autor, sunt hujusmodi: Præstetne e subditis quam ex exteris conflare exercitum? Præstetne ex rusticis & vilioribus, quam ex civibus commodi census, habere delectum? utrum exercitus utilius conflatur ex una gente, quam e pluribus? an bellatores litteratos esse conveniat? utrum præstet obedire, quam contra imperium uti occasione rei bene gerendæ? utrum exigua, an procera statura, oporteat legi militem? an Jason primam navem invenerit? an commentitia reputanda, quæ referuntur de gigantibus? an proxime morituri polleant facultate divinandi? & quæ sunt alia his similia. Adjecti sunt tres Indices; quorum unus articulos operis exhibet in certas classes distributos; alter est rerum notabilium satis copiosus & utilis; tertius complectitur voces Italicas, cum earum explicatione, & articulis, in quibus quærendæ sunt. Diximus de universi operis œconomia. Restat ut nonnulla ex articulis singularibus, exempli causa proferamus. Sub titulo *Alæ* hæc habet Autor: *Alæ*, ut docet Gellius lib. 16 cap. 4, equitum sunt ordines, ita dicti, quod legiones dextra sinistraque, quasi alæ in avium corporibus tegant. Licet autem Lipsius alas peculiare auxiliorum faciat, negetque, in Romanis legionibus equitatum alarum nomine

nomine vocitatum; contrarium tamen clare pronuntiatur a Gellio, qui legiones Romanas alis equitum coopertas scribit, loco præfato. Iterum quamvis alæ de equitatu proprie dictæ passim reperiantur, acute tamen Lipsius auxilia sociorum in duas alas fuisse divisas, ex Livio colligit, & promiscue appellatas, tum de equitatu, tum de peditatu. Cum etenim auxilia non haberent nomina legionum, quæ erant peculiare Romanorum, eadem in duas partes ex Polybio primum separat atque Alas appellat. Sic autem Livius lib. 40: *Egregie legiones, nec segnus dua ala pugnabant.* Ubi Lipsius ab universo exercitu commissum prælium censet, conjunctim pugnantibus Romanis legionibus & alis, i. e. copiis auxiliiorum, in quibus omnibus omnino peditum numerus equites superabat. Idem colligit ex Livio lib. 27: *Prima legio & dextra ala prælium inibant.* Ubi iterum Historicus legionibus auxilia coniungens horum partem alam vocat. Hæc vero mihi Lipsii sententiæ non admodum firino argumento videtur inniti. Ubi enim Livius alas legionibus jungit, exponi ita potest, ut non copias auxiliares intelligat, sed certum illum numerum equitum Romanorum, qui dextra sinistraque Romanas legiones tegebant, alæque dicebantur, ut aperte testatur Gellius l. c. Ad asserendam Lipsianam, quam dixi, opinionem, plus habent roboris loci aliquot ex Livio & Cæsare, in quibus alares cohortes & alarii pro copiis auxiliiorum non obscure usurpantur. Sic autem Livius lib. 10: *Spurius Nautius Dux alaribus cohortibus erat; & iterum: D. Brutum Scævam Legatum cum legione prima & viginti alaribus cohortibus ire adversus hostem jubet.* Clarissime vero Cæsar lib. 1 Bell. Gall. *Omnes alarios in conspectu hostium pro castris minoribus relinquit, quod minus multitudine Legionariorum militum pro hostium numero valebant.* Tametsi vero ex memoratis locis promiscue sumantur alæ tam de pedestribus quam de equestribus copiis in auxiliis sociorum, communi tamen sermone & plerumque apud scriptores alæ solos equites indicant: sinistra vero & dextra ala sinistram vel dexteram denotat partem equitatus. Ex quo etiam habes primariam equitatus divisionem in alas esse, quæ porro in turmas, & hæc in decurias dividuntur. Addere huic articulo alium placet, sed quindecies fere majorem, ob eamque rem necessario

contrahendum, qui agit de *Bombarda*. Dicta ea est a bombo & ardeo, quasi bombus ardens; vulgo *Cannone*, a figura cannae, quam exhibet. Alio nomine apud Latinos tormentum curule igniarium. Alia sunt nautica seu navalia, alia terrestria; atque hæc iterum vel muralia, quæ ad disjiciendos aut defendendos muros adhibentur, vel curulia campestria, quæ usum habent in prælio terrestri. Sunt autem fistulæ æneæ vel ferreæ majores ignivomæ, quæ ore metallico glandes æneas succensasque pilas, cum gravibus globosisque interdum faxis projiciunt, fragore horrifono, & quam latissime disseminant, cum immensa hominum strage, & impetu, jactis e cælo fulminibus minime impari. Urbium muros, cuneos hostium, & obstantia quæque demoliuntur ita, ut adversus eorum violentiam nihil fatis tutum possit consistere. Archidamus, Agefilai filius, cum allatum sibi novum exitiosumque e Sicilia telum inspiceret, fatale instrumentum demiratus sic fertur exclamasse: *Periit virorum virtus*. Qualecunque demum Siciense illud fuerit jaculi genus, præ nostris hæc metallis fulminantibus ludicrum omnino inventum esse oportuit ac deridendum. Bombardæ descriptionem affert deinde Autor e Fr. Patricii de Regno lib. 7, citatque etiam Barth. Faccium de Gest. Alphonfi lib. 6. Ridet atque explodit eorum sententiam, qui originem bombardarum accersunt a Salmonæo, Æoli filio, vel ab Archimede Syracusano, vel a Zimisco Frisicæ Rege; vel qui eas non satis distinguunt a lithobolis veterum machinis, aliisque oppugnatoriis organis, catapultis, ballistis, onagris, glandibus plumbeis funditorum, ignivomis doliis, igne Græcanico, phalaricis, pilisque admoto igne contortis, &c. Iis procul dubio magis assentior, inquit, qui cum Polydoro Virgilio lib. 2 de Rer. Invent. & Stephano Forcatulo lib. 4 de Imp: Gallor. autorem bombardæ commemorant Bertholdum Suvartum, hominem Germanum, vitæque (ut ferunt) Monasticæ addictum. Is cum metallis transformandis diffingendisque inane studium sed operosum adjiceret, ex Chymistarum instituto, nitro, cinnabari, & alumine confectum in mortario asservabat pulverem, lateritio contactum operculo. Cum autem illuc forte scintilla concidisset, superimpositum laterem magno impetu ictuque repentino



supra cubiculi fornicem expulit. Animadversa ille rei novitate sulphur & contufos carbones addidit, injectoque igne oppido validiorem ejaculationem fieri cognovit. Quo experimento edoctus machinam nostræ militiæ tormentariam, generis humani majorene damno an utilitate nescias, confecit monstravitque. Quomodo vero casus primum invenerit rationem firmissima quæque ædificia per ignem pulverarium dissolvendi, quantumque funestissimum hoc machinamentum universæ veterum arti machinariæ præstet, sic exponit Ant. Cornazanus lib. 3 cap. 2 de re militari:

*Regina delle machine e corona  
Trovata fu' per man d'un' alchimista,  
Se vero è quel ch' l' Tedesco ragiona, &c.*

Sexaginta hoc loco verius affert Autor ex libro commemorato; ac deinde Jo. Marianam reprehendit, qui Lombardas (sic enim in Hispania bombardæ appellatæ fuerunt) in Longobardia inventas, atque inde nomen suum traxisse suspicatur, de Reb. Hisp. lib. 19 cap. 14. Ceterum hanc machinam a Germanis dono traditam primum fuisse Venetis contendit, cum eos apud fossam Clodiam Genuenses obsiderent, teste Platina in vita Urbani VI. Jovius (cujus etiam verba allegantur ex Elogiis Illustr. Vir. lib. 3) ita perhibet, Barth. Coleonem, Veneti exercitus ducem, primum omnium instituisse, ut terrestri prælio adversus hostium cuneos bombardæ directæ emitterentur, cum prius in arcium defensione solummodo, vel earundem oppugnatione, essent adhibitæ. Idem fere prodiderunt Blondus, Volaterranus, alii. Laonicus Chalcocondylas lib. 8 & 9 de reb. Turcicis prolixam habet bombardæ descriptionem, cum ejusdem origine, memoratque unam imprimis, Byzantium allatam, cum eam urbem oppugnaret Mechmetes Amuratis filius, cujus tanta fuit magnitudo, ut a 70 jugis boum & a 2000 viris trahenda esset, globumque emitteret, cujus pondus tria circiter talenta contineret. Idem etiam septem talentorum lapidem excussum narrat. Lud. Areoflus non uno in loco injicit mentionem curulium tormentorum & fistulæ manuariæ, quæ instrumenta fere sub ejus ætatem prodierunt. Ipse vero, ut terribilis quidem, sed tamen ingeniolissi-

mi inventi commemoratione præstantissimum suum Poema de Orlandi insania exornaret, per anachronismum, quæ usitata est præclaris poetis figura, eandem machinam inducit in tractatione rerum aliquot secula ante gestarum. Atque hoc loco plus quam centum versus Italicos ex Poeta illo adducit Noster. Postea iterum ad varias figuras, magnitudines, & denominationes bombardarum, balistarum sulphurearum & igniariarum, cannarum pulverariarum, fistularum chalybearum, quæ communi vocabulo *Artiglierie* vocantur, redit. Et quasi res ipsa, inquit, non factis terroris offerret, ferali invento plus adhuc minarum ac truculentia addidimus multiplici horrore & ferocitate appellationum. Quæsitis nimirum a ferocissimis animalium notis arma peliifera dicimus Colubrinas, Basiliscos, Sagros, Falcones, Mofchetas, Smerlios, Spingardos, Serpentinæ, Archibusios, Sclopas, Pistolas, organa diaboli, &c. Meminit deinde etiam bombardarum futillum, quas ex corio & pellibus conficere nonnulli docuerunt; sed futile inventum & postea intentatum vocat. De pulvere pyrio Sinensium ad hunc modum loquitur: Non sum ignarus, Sinensibus pulverem illum fuisse in usu multas ætates, antequam Europæis innotesceret. Verum illis ad urbanam pompam potius quam ad machinas militares deservit. In pyrobolis, aliisque, ut vocant, artificii igniariis, sic eodem utuntur, ut late discurrentibus flammis non modo colores omnes, sed rerum variarum figuras scitissime assimilent & mentiantur. Quod si bellum urgeat, in tractatione nitrati pulveris Europæorum magisterium & operam advocant. Sub finem hujus articuli ex usu bombardarum apte dici ostendit Autor, tormenta obvertere vel dirigere in aliquem locum, *piantar la batteria*; instruere, onerare tormentum pila ferrea & pulvere pyrio, *caricare il cannone*; explodere, displodere, exonerare tormentum, *sparar l'Artiglieria*; bombardas humo immergere, inhumare, *sotterrare*; ejicere ex curru vel ex armare, *smontare*; impactis clavis obstruere, *inchiodare*; perfringere fulcra tormentorum, *scavalcare l'Artiglieria*. Atque hic de origine usque bombardarum ex probatissimis scriptoribus ( quibus etiam H. Vossius & Phil. Camerarius adduntur) delibatis, superesset, ut de ratione certis-

que regulis dirigendi librandique igniariaria tormenta, in quo maxime vertitur usus omnis fructusque ejus machinæ, aliquid adjiceretur. Verum ea res, inquit Autor, exactissima methodo & proluxa tractatione per otium agitata est a Magistris Matheos & Architecturæ militaris, qui rem tormentariam ad certas præscriptiones nuperæ Areotectonices diligenti studio exegerunt.

DICTIONNAIRE UNIVERSEL DE LA FRANCE  
ancienne & moderne & de la Nouvelle France.

h. e.

LEXICON UNIVERSALE FRANCIÆ VETERIS  
& modernæ ut & Novæ Franciæ, quo omnia, quæ eo  
spectant, dilucide explicantur.

*Tomii III.*

Parisiis, apud Saugrain, Patr. J. Saugrain viduam & Petr.

Prault, 1726, fol. maj.

Alph. 25 pl. 9.

POSTquam Typographi modo nominati librum sub tit. *Denombrement de la France par Generalitez, & par Elections ou Recettes* edidissent, non sine plausu exceptum, quippe brevi tempore bis in 4 & 12 distractum, fuere tamen plerique, qui optarent, Geographiam Galliæ methodo alphabetica, atque adeo per modum Dictionarii, quo facilius inveniant loca desiderata, in lucem edi. Quibus adeo ut consulant Nostri, novum hoc Lexicon condi curarunt, adhibitis non modo subsidiis, quæ Longus commendaverat in *Bibl. hist. Franciæ* p. 965, sed & distributis per omnes Franciæ provincias schedis plusquam 20000, quibus earum Præfectos aliosque viros industrios, ut suppetias ferre dignentur, invitabant. Etsi vero votis ipsorum nondum fatis ab his fuerit responsum, paucique succurrerint, quorum nomina, exceptis qui prohibuissent, subjecta articulis deprehendimus, sperant tamen Typographi, opere jam semel edito, & methodo accuratius perspecta, plures ad sequentes editiones augendas

opem allaturos. Interim operam dedere in hac prima, ut cujusque loci, montium item, sylvarum, fluminum, nomina Latina & Gallica, vetera & recentia, indicarent, urbium faciem, situm, jurisdictionem, civium numerum, mores & ingenium, commercia, nundinas, manu facta, agri proventum, totumque statum œconomicum, tum & templa, monasteria, hospitalia, Collegia, &, si quæ fuerint, Academias, virosque eruditione aut bello claros inde oriundos, describerent. Cum vero in libro illo: *le Denombrement*, quem quodammodo secuti sunt, nulla mentio facta esset Pagi Venascini, Dombarum item, Lotharingæ & Barri, Novæ Franciæ atque Insularum & Coloniarum Gallicarum, ne quid desiderari posset, operæ pretium duxerunt, ut de singulis per modum alphabeti seorsim agerent sub finem Tomi III. Nec indigna lectu sunt, quæ in præmissa ad hoc opus Introductione de Francia in genere, veteri maxime; de divisione ejus Geographica; Ecclesiastica, cui accedunt Universitates studiorum in Gallia viginti; militari itidem; justitiaria seu civili, ubi de Parliamentis, Parisiensi, Tolosano, Rotomagensi, Gratianopolitano, Burdigalensi, Divionensi, Aquensi, Britannicæ minoris, Palensi, Metensi, Vesontino, Duacensi; de œconomica porro & collegiis huc spectantibus, sunt exposita. Ceterum ne quid in veteri Geographia desideretur, inserta passim videas veterum populorum Gallicæ nomina, Latinis nominibus expressa. Quanta vero hic copia inveniat urbi ac locorum, ex eo intelligitur, quod unius ejusdemque nominis loca subinde plurima, ex. gr. *Beaumont* 54, *Chapelle* 219, *Chatillon* 34, *Clermont* 20, *Condé* 27, *Dampierre* 30, *Marigny* 24, *Marolles* 18, *S. Germain* 138, *S. Pierre* 187, *S. Martin* 317 occurrunt, in quibus rite a se invicem distinguendis nihil omiserunt Auctores. Ne nihil speciminis loco afferamus, in gratiam potissimum eorum, qui historiam litterariam amant, supplebimus hic ea, quæ olim, scil. in Actis A. 1709 p. 153, e Fr. Thomæ Corneille Lexico universaliori Geographico, de Academiis seu societatibus eruditæ Gallicæ, quæ extra Lutetiam clarent, attulimus. Nimirum Aquis Sextiis Academiæ elegantiorum litterarum, cui XL Socii destinati, confirmata fuit A. 1668 diplomate Regio, sequenti anno d. 8 Jun. actis Parliamentaria.

- I. I p. 95. liamenti inferto. Ambiani inde ab A. 1702 coaluit Societas literaria, Præsidi & Secretario gaudens, cui nihil quidem adhuc præter diploma Regium deest. Andegavi A. 1686 instituta est Academia humaniorum litterarum, cujus Socii numerantur triginta sex. Arelati Academia Scientiarum congregi cœpit A. 1668, diplomate Regio confirmata, & quadraginta Sociis composita, qui jubentur e nobilitate legi, nisi forte exteri scientia quadam præ aliis celebres adsciscendi sint. Post primum Præsidem Ducem de S. Agnan, præsidium ejus obtinuit Marchio de Dangeau. Non tacemus etiam, Divione A. 1723 novum Collegium Juris Civilis & Canonici, ad instar scholarum Juris Parisiensium, institutum fuisse. Sed hæc ex Tomo I: in sequentibus parcius ea, quæ ad literas spectant, attingere Autores, adeo ut miremur, eos ex. gr. Ludorum floralium Tolos. de quibus l. c. varia curiosa ex Cornelio attulimus, vix duobus verbis meminisse. Satis fuse tamen agunt de Academiis Parisiensibus, de quibus quidem & alias abunde constat.
- III. 159.
- 1040.

AN UNIVERSAL ETYMOLOGICAL  
English Dictionary,

h. e.

DICTIONARIUM UNIVERSALE ETYMO-  
logicum Anglicum; edidit N. BAILEY,

Φιλολογος.

*Volumen I.*

Londini, apud J. Darby, A. Bettesworth & rel. 1726, 8 maj.

*Volumen II.*

ibid. apud T. Cox, 1727, 8 maj.

Alph. 5½.

**E**T si Volumen I, ante sexennium primum editum & GEOR-  
GII II Regis M. Britannix, hodie feliciter imperantis, Li-  
beris Serenissimis inscriptum, bis inde cum additionibus recu-  
sum fuerit, tantum tamen post messem illam spicilegium sibi  
reli-

relictum vidit doctissimus Autor, plurimis jam in usum scholarum editis libellis notus, ut novum plane Volumem superiori anno in lucem produxerit, quod cum annexum habeat Dictionarium Anglicum Orthographicum, prius illud mole æquat. Ita vero in Opere concinnando versatus est Autor, ut & nihil prætermitteret eorum, quæ *Sommerus, Camdenus, Versteganus, Spelmanus, Casaubonus, Thomas Henshaw, Skinner, Menagius, Mifshew, Harris, Philips, Kersey, Blunt* aliique observarunt, & præterea in aliquot mille vocabula, ceteris omnibus intacta, studiose inquireret. Nec vulgares tantum voces attulit, quæ tum ex vetustioribus linguis, Græca, Latina, Britannica, Francica veteri, Saxonica, Danica, Normannica, tum ex modernis, Gallica, Germanica, Belgica, Hispanica, Italica, descendunt, verum etiam difficiliore & quas terminos artis vocamus, quo spectant voces, quæ Anatomiam, Botanicam, Medicinam, Pharmaciam, Chirurgiam, Philosophiam, Theologiam, Mathesin, Grammaticam, Rhetoricam, Musicam, Heraldicam, (quam etiam figuris illustrat) rem maritimam, disciplinam militarem, rem equestrem, venatoriam, aucupia, rem piscatoriam, hortensem, œconomicam, coquinariam &c. concernunt. Simul & explicavit imprimis voces, quæ ad Jura Anglicana, ad Mythologiam item veterum gentilium & Hieroglyphica Ægyptiorum spectant, nec omisit nomina propria personarum & locorum Angliæ paulo illustriorum, diversas quoque variarum Angliæ provinciarum dialectos annotavit, & proverbia Anglis recepta illustravit. Atque in his omnibus ea usus est circumspicione, ut in iis tantum, quæ momentum trahant, paulo prolixior, in reliquis omnibus fuerit brevissimus. Lexicon Orthographicum postremo in eorum gratiam addidit, qui Anglice bene loqui, pronuntiare & scribere velint. Itaque vocibus a probis autoribus receptis asteriscum addidit, accentus singulis vocibus imposuit, quod jam tentaverat in Lexici Etymol. Volumine II, significationes vocum Gallice & Latine, tum & phrasas & sententias proverbiales, quæ vocibus certis aptæ sunt, subinde adjecit. Plane ut non dubitemus, non modo Anglis, verum & exteris institutum Autoris omnino profuturum. Quantum ad Præfationem non inelegantem, primo Volumi

mini præmissam, ostendit Autor, omnem linguam incrementa aut mutationes suas tum incursionibus ac victoriis exterarum gentium, tum commerciis, tum denique curæ ornandæ aut ampliandæ linguæ cuique genti familiari debere, idque exemplo Anglicæ probat. Postquam enim Romani, ac postea Saxones, Dani, Normanni in Angliam venissent, pulsam quodammodo Britannicam veterem & montibus Walliæ, in qua hodiernum vigeat, conclusam, ac tanto plura vel pauciora a gentibus illis recepta fuisse vocabula, quo diutius illæ vel brevius in Anglia regnarent; ex commerciis vero Italica quædam illata fuisse, maxime iis temporibus, quibus Regnum Papæ erat ita obnoxium, ut is plenas naves mitteret monachorum, qui beneficia Ecclesiastica illic obtinerent, multique vicissim Romam ad obtinendum Papæ favorem proficiscerentur: accessisse denique eruditorum solertiam, qui cum artibus & scientiis vocabula etiam peregrina, Græca imprimis, invexerint; quo factum adeo sit, ut lingua Anglica omnium Europæarum facile perfectissima existat.

## A NEW DICTIONARY OF HERALDRY.

h. e.

*NOVUM DICTIONARIUM HERALDICUM,*  
*quo termini & regulæ Artis Heraldicæ explicantur, & simul de præcipuis Ordinibus equestribus ac dignitatibus Eccles. Civil. & Militaribus agitur. Revidit & correxit,*  
*litterasque ad Typographum addidit JACOBUS*  
 COATS.

Londini, apud Jeremiam Batley, 1725, 8 maj.

Alph. 1 fig. xn. Tabb. 7.

**C**Um Johann. Guillim *Ars Heraldica (A Display of Heraldry)* A. 1724 in fol. textum prodisset, multum quidem auctior ac figuris ornator, cui sub finem *Lexicon Heraldicum* admodum breve accesserat, operæ pretium se facturum putavit, n si nos omnia fallunt, anonymus hujus libri Autor, ut illud paulo latius diduceret, & quæ in eo desiderabantur, ex aliis scriptoribus fide

fide dignis, ad quos passim provocat, suppleret, id imprimis etiam diligenter curans, ut subinde ostendat, qua ratione alii Anglica, quæ dedit Noster, artis vocabula Latine expresserint, sæpe quippe in eo inter se dissentientes. Nec est ut plura de hoc opere dicamus, cum cetera ex titulo pateant. Illud in gratiam eorum, qui Historiam Litterariam amant, ex præmissa *Jacobi Coats* Epistola ad Typogr. notamus, hunc ipsum autorem esse additionum, quæ in ultima illa editione libri illius Guillimiani accesserunt, et si nomen suum in libro nusquam expresserit; & quamvis ipse liber sub Guillimi nomine hæcenus venerit, eum tamen potius deberi Johanni Barkham, Decano Bockingensi, qui cum libro, quem juvenilibus annis collegerat, nomen præponere nollet, illum Guillimo edendum dedit, qui, quibusdam nullius momenti additis, opus egregium sibi asserere non dubitavit.

**L. ANNÆI SENECAE TRAGOEDIÆ CUM  
notis integris JO. FRED. GRONOVII, & selectis  
J. LIPSII, M. A. DELRII, J. GRUTERI, H. COM-  
MELINI, J. SCALIGERI, D. & N. HEINSIO-  
RUM, TH. FARNABII aliorumque; item observa-  
tionibus nonnullis H. GROTII. Omnia recensuit, ani-  
madversiones, notas atque Indicem novum locupletissimum-  
que adjecit; ipsum vero auctoris Syntagma cum MS. Co-  
dice contulit JOANNES CASPARUS  
SCHROEDERUS.**

Delphis, apud Adrianum Beman, 1728, 4.

Alph. 6 pl. 5.

**N**on repetimus veterem, licet justissimam, querelam de splendida miseria & ambitiosissima paupertate editionum, quas Batavi librarii orbi erudito quotidie obtrudunt. Postquam enim infelici fato nec sine litterarum detrimento huic operæ & curæ indocti homines damnati sunt, hi omnes compacto, quasi in Velabro Olearii, id agere videntur, ne quis ex optimis scriptoribus remaneat, de quo non pessime meruerint. De nova hac Tra-



gædiarum Senecæ editione, cum parum de suo, novi nihil attulerit Editor, quid præstitum sit, paucis verbis enumerabimus. *Schræderus*, Rector Scholæ Delphensis, obloquitur, interdum non sine contumelia, Critico summo Jo. Fr. Gronovio; ex unico MS. chartaceo & Editionibus duabus, altera Bernardini Marmitæ, altera Badii Ascensii, discrepantes hic illic lectiones profert, easque autoritati veterrimi MS. Florentini, ubi visum est, opponit; decem circiter loca ex Face Artium citat; ex Rutgerii variis lectionibus & Celeb. Burmanni notis in Valerium Flaccum totidem fere emendationes subnotat, &, præter pauca alia, cum Farnabio suo aliquoties digladiatur. Hæc sunt merita novæ editionis. Nam quod in titulo nomina illa immortalia *Grotii*, *Heinsiorum*, *Gruteri*, *Lipfii* aliorumque fulgent, quæ in aliarum editionum indicibus non comparent, illud neminem decipere debet. Nihil enim prorsus de curis illorum Virorum attulit, quod non in Gronovii Editione habeatur: immo quorundam integras notas ne vidit quidem unquam, eamque ob causam in illos, qui integras notas edunt, satis acrem declamationem, ut solent sibi conscii, paravit. Interim nos non adeo reprehendum existimamus, quando quis pauca in commune confert, qui pauca potest: at qui id cum injuria magnorum Virorum & intoleranda quadam superbia faciunt, hi, si odium optimi cujusque incurrant, id sibi imputare debent. Utinam vero istud in hunc Editorem non magna ex parte caderet. Certe, post nobilem illum Ciceronis commaculatorem, nemo majore fastu, ostentatione & strepitu, quam *Schræderus*, nihil egit: & tamen in viros eruditissimos insurgere potuit. Audiamus ipsum. „Equidem „ nihil minus, inquit, antehac cogitaveram, quam de edendo Seneca, ullove alio antiquitatis monumento deinceps publicando, certus in posterum mecum habitare atque aliis illibatam „ relinquere gloriam, quam emaculandis veterum scriptis & „ constipandis undique interpretum variorum annotationibus „ sibi pollicerentur. Quo in proposito non parum me confirmavit, quod sentiebam ea, quæ ἐπίπυ οpe Florentini codicis ad „ autorem hunc expoliendam contulisset, si non omnia, maximam certe partem veluti ex tripode deprompta a nonnullis existima-

„issimari; adeo, ut qui tanto oraculo obloqui sustineret, is per  
 „suppositos cineri dolofo ignes incessurus vulgo putaretur.,,  
 „Nihilominus tantum apud me valuit bibliopola.,, *cet.* Hæc ille  
 sub initium Præfationis. Et fatemur, *inflatum* hoc genus dicen-  
 di nobis jam timorem incutiebat, & consilium, si integrum esset,  
 capiebamus illud inclamare:

Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκασθε  
 Τυφῶν γὰρ ἐκβαίεν παρασκευάζεται

Mox in optimum Gronovium plura dicta, non tamen contume-  
 liosa, legebamus, deinde plura pro Farnabianis notis, ut semper  
 homines ex suo ingenio alios judicant: inter hæc quædam du-  
 riuicule in doctissimum nepotem eximii Gronovii, sed obscure  
 & tamen magnis verbis. Illa etiam murmura conceptos ventos  
 testabantur. Tandem tempestas erupit in caput Viri Celeberrimi,  
 integritate vitæ non minus, quam eruditione conspicui, &  
 qui unus optimo cuique est pro mille Schræderis, *CAROLI  
 ANDREÆ DUCKERI*, quæ tamen lectores fortasse, qui nihil  
 tale hic expectabant, longe magis perecellet, quam venerandum  
 illud caput. En ipsa verba magistri: „Ego, quo minus graculi  
 „isti superbiz atque arrogantiz suæ litent, non intercedam.  
 „Sed nec quoque tam abjecte de me sentiam, ut reponendum  
 „quidquam esse putem famelico ephemeridis nuperæ confarci-  
 „natori, qui Tragico nostro, antequam is publico se commit-  
 „teret, obsecrare non sit veritus; inductus, *ut videtur*, ab ob-  
 „scuro alastore. Satis erit, si dixerò, risisse me, Trajectino Gy-  
 „mnasio cum præessem, *Zoili* istius difficiles putidasque *nugas*;  
 „quin & post meum inde discessum sprevisse *impii ac nequis-*  
 „*simi* hominis *stolidam* iracundiam, qui fortunas meas famam-  
 „que dolosa eriminatione cum peteret, dedisset se turpissime;  
 „postquam vanitatis affectatæ manifestus tam præclaris ausis  
 „excidisset. At vide, quid speratus *Varilectionarii Thucydidei*  
 „titulus efficere possit; cum tantum nominis decus sibi bellus  
 „homo non aliunde, quam ab infana eruditis quibusdam viris  
 „detrahendi libidine inchoandum esse duxerit.,, Hæc sunt de-  
 testanda illa Schræderi maledicta in Celeberr. Duckeram, qui

nunc magna cum expectatione eruditorum novam Thucydidis editionem parat. At quodnam est tam grande illud peccatum, cujus causa iratus ludimagister tanta acerbitate insurrexit? Rem omnem tenemus, & quamvis hoc sit contra institutum nostrum, semel tamen leges negligere, & ordine eam narrare volumus, quo impietas & inhumanitas Schröderi magis elucescat, & exemplum sit ille inauditæ cum eruditis agendi licentiæ. Cum primum fama increbesceret, quod Schröderus novam Senecæ editionem pararet, is qui *Nova Litteraria*, quæ hic *Lipsia* publicatur, vernacula lingua conscribit, inter alia & hoc nunciaverat, sed addito judicio, non adeo magnam esse expectationem apud eruditos operæ, quam Senecæ impenderet Schröderus, siquidem hunc ex editis libellis æstimare liceret. Trajecti, quo loco vivit integerrimus Duckerus, similia *Nova Litteraria* publicantur, quorum autor (hic est ille *ephemeridis consarcinator* verbis Schröderi) quem ipsum bibliopolam Trajectinum, qui *Nova* sua vendit, esse putamus, ex Lipsiensibus Novis ea, quæ de Seneca hic dicebantur, & plura alia, totidem verbis in *sua* transtulit: ut cui libet, qui vel hanc, vel aliam plagulam conferre voluerit, statim apparebit. Schröderus elogium in Trajectina Ephemeride legens, ibidem illud natum & ab Celeb. Duckero bibliopolæ subministratum esse, male (cum tamen *Delphis* vivat) divinavit: immo & hoc, & omnia alia, quæ ibi de viris eruditis dicebantur, a Duckero profecta esse injuste censuit. Hinc illa ira, illa insana maledicta: & tamen nulla plane in Duckero culpa. Qui si vel maxime hoc, & multo acerbius iudicium de Seneca Schröderi tulisset, tam inhumane tractari nunquam promeruisset. Hoc certe in aurem Schrödero dicere possumus, fuisse apud eruditos, quotquot hic interioribus litteris pretium statuunt, novæ editionis Senecæ Tragædiarum expectationem: sed ea statim sublata est penitus, cum ipsum hanc curam suscepisse inaudirent. Nec opus est, ut multis doceamus exemplis, Editorem nihil plane præstitisse, quo litteræ lætari possent. Videamus modo, quam temere obloquatur summo Gronovio. Ad *Thyesten* v. 171 ex duobus integerrimis libris Lipsiano & Florentino notat Gronovius: *obvius suæctus ore petens*, quod se diferte testatur sola re-

rentia codicum recepturum, quamvis suspicari possis interpretantium esse. Quid igitur opus erat illo Schrœderi: *suçtus ore* vocans. *Rectius hoc, quippe ἐμφατιστώρεçç quam petens?* Quasi non idem jam dixisset Gronovius. Quam ridiculum autem est, quod homo vulgaram defenderit illo Virgilio: *Tum cornix rauca pluuiam vocat improba voce*, quasi & cornix Maronis bibere vellet, quando pluuiam prædicit. Ad v. 9 ejusdem Thyestes solam Ascensii scilicet Editionem iisdem duobus codicibus opponit, atque τῶ πόνῳ insignem etiam hallucinationem tribuit, quod verba ista in Edd. vulgatis *semper accrescens jecur* ad Tityum retulerit. Ipse ita distinguit & exponit: „aut num semper mihi „accrescens jecur (*quibus per oppositionem cohaeret illud poena* „Tityi, *supple* exillens, *vel* quæ poena Tityi fait) pascet vulneribus meis effossis atras aves? *Et num jecur illud meum (intellige hæc sequentia per epexegezin) reparans nocte, quidquid* „*amisit die*, pabulum plenum monstro recenti jacet, h. e. *in* „*cruciatum meum positum est, sive apponitur pabulum sæda* „*recenti volucris?* „ Hæc ille. Et ita quidem cogitare & scribere solent Schrœderi, at non Annzi. Gronovius & ante eum Raphelengius ex MSS. dederunt:

*Aut poena Tityi (mibi venit:) qui specu vasto patens*  
*Visceribus atras pascit effossis aves;*  
*Et nocte reparans, quidquid amisit die,*  
*Plenum recenti pabulum monstro jacet?*  
*In quod malum transcribor?*

Quæ etiam sine interprete intelliguntur. Eadem Tragedia v. 518 Gronovius ex optimo libro confirmat:

— — *Supplicem primus vides.*  
*Hæc te precantur pedibus intactæ manus.*

Schrœderus iterum ex Ed. Ascensii retinendum putat: *pedibus* *injunctæ manus*. At non cepit bonus vir elegantiam veteris scripturæ. Proprie manus supplicis tangunt pedem; sed Annzi talia perquam scite commutant, & alteri tribuunt, quod est alterius. Cujus moris si non ignarus fuisset, nunquam Ascensii Glosfam unicus membranis opposuisset. Ejus generis est lectio v. 892: *Dum calum vocat*, quæ ipsi non minus arridet, quam Florenti-

ni MS. Grotii & Gronovii, *Dum cælum vacat*, diis nempe, qui, ut mox addit, fugerant. Ad *Herculem Furem* v. 36 Gronovio incertam conjecturam objicit, cum is tamen suam lectionem ex MS. Moguntino manifeste comprobaverit. Eadem *Tragœdia* v. 886 Gronovius ex laudatissimis membranis reposuit:

*Quodcunque adluitur solum  
Longo Tethyor ambitu.*

At Editor ex duobus impressis & uno MS. suo æque probum judicat vulgatum olim: *abluitur solum*, æque scilicet probum apud illos, qui inventis frugibus glande vesci solent. Hujus farinae est illud in *Phœnissis*, ubi v. 51 Gronovius ex iisdem membranis reposuit, quod Florens Christianus conjectura affecutus erat. Oedipus nempe loquitur:

— *quid moror sedes meas?  
Mortem Citharon redde, & hospitium mihi  
Istud meum restitue, ut expirem senex,  
Ubi debui infans.*

Occurrit Schrœderus & vulgatum revocat: *Montem Citharon redde*, quod nive Gallica frigidius est. In *Hippolyto* v. 222 ex Florentino reponit Gronovius:

*Ne crede Diti: cluserit regnum licet,*

idque optime interpretatur, & facillimum nobis erat monstrare, hoc etiam Annæis valde familiare esse. At hospes in eorum lectione Schrœderus optimam interpretationem Gronovii *lepudum commentum* vocat, & puerile illud vulgatum:

*Ne crede: Ditis cluserit regnum licet*

tuetur. In *Medea* v. 680 ex Etrusco scripsit Gronovius:

*Et tristè lava comprecans sacrum manu,*

cum *complicans*, quod vulgabatur, nullum sensum haberet. Ejus tamen patrociniū suscepit Editor. In *Hercule Oetæo* v. 1124, partim ex libris, partim ex conjectura reponit Gronovius:

*Quis tantum capiet nefas  
Fati? quis, Superi, locus  
Pontum, sidera, tartara  
Regna unus capiet tria?*

elegan-

eleganter profecto. Schræderus in Ed. Ascensiana verissimam lectionem deprehendisse sibi vitus est, & increpat Gronovium valde iniique, quod *superos* tanquam θεὸς αἰπὸ μηχανῆς obtruderet, scribitque: *quis superus locus*, ineptissime. Hanc tamen solam justam divisionem esse dicitur. Dedisses huic homini viginti aliquot veteres impressos, aut manu exaratos libros, totum Senecam Glossis & librariorum somniis conspirasset, qui ex Badii editione, cujus alioquin opera eruditus ne titivillitii est, tot facinora audet. Verum ex his jam satis apparet, quam injuste summo Viro obloquatur Schræderus: neque tamen pepercit filio ejusdem, Jac. Gronovio, quem satis acerbe tangit nota ad Herc. Oetæum v. 1475: quam confidentiam a tali pædagogo nunquam expectassenus. Sed Batavi ludimagistri hoc sibi proprium habent, ut simul cum regno scholastico confidentiam & fastum arripiant, sibi que idem in viros eruditos, quorum umbram etiam venerari deberent, quod in pueros suos, licere arbitrentur. Hæc mittimus. Unum addere debemus. Gloriat in Præfatione Schræderus, sese notas etiam variorum emendasse, & vitia priorum editionum sustulisse. Sed tu, Lector, si vacat, inspicere notas ad Herc. Fur. v. 45 & ad Medeam v. 387 & 723, & senties, quam vere hoc dixerit. Ne ex Gronovii quidem notis vitia typorum sublata sunt. Sic ad Herc. Fur. v. 624 etiam hac editione laudatur Ovidius XV Metam. 299, cum indicari deberet v. 229. Ista tamen, qualiacunque sint, libenter condonassemus homini: at enormis illa inhumanitas, qua Celeb. Duckerum tractat, & temerarius ausus contra Gronovium insurgendi & manes tanti Viri sollicitandi ferenda haud fuerunt.

*PHILOSOPHIA RATIONALIS, SIVE LOGICA, methodo scientifica pertractata & ad usum scientiarum atque vitæ aptata. Præmittitur Discursus præliminaris de Philosophia in genere; Autore CHRISTIANO WOLFIO, Consiliario aulico Hassiaco, Mathematicum ac Philosophiæ in Academia Marburgensi Professore primario,*

rio, Professore Petropolitano honorario, Societatum  
Regiarum Britannicæ atque Borussicæ  
Sodali.

Francofurti & Lipsiæ, in officina libraria Rengeriana, 1728, 4.  
Alph. 4 pl. 20½ Tab. æn. 1.

POSTquam Autor Opera philosophica Germanica ad finem perduxit; nunc promissi memor ad Latina, multo majora magisque exasciata, edenda progreditur & eorum Tomum primum in lucem profert, quo præter *Logicam* discursus præliminaris de Philosophia in genere continetur, institutum Autoris exponens, utat perinde ac opus logicum scientifica methode conscriptus dogmaticus haberi debeat. Monet in præfatione, eam in Philosophia desiderari evidentiam, quæ sola assensum gignit certum atque immotum, nec quæ in ea traduntur usui vitæ respondere, propterea quod exulent notiones ac propositiones determinatæ, sine quibus, quæ afferantur, nec satis intelligi, nec sufficienter probari, nec ad casus vitæ obvios dextre applicari possint. Generi igitur humano Philosophiam utilem effecturus, nihil admittendum esse duxit, nisi quod satis fuerit explicatum ac sufficienter probatum, & voces a notionibus confusis ad distinctas & a significato vago ad fixum reducere ac propositiones imprimis determinatas condere studuit. Propositiones singulas alio caractere imprimi curavit, quam earum demonstrationes, & singulis illustrandis ampla subjunxit scholia minuto caractere expressa, ut lectio operis faciliter & absque labore pateat, quænam in futurum usum memoriæ demandanda, nec ab invidis, malevolis ac imperitis ipsi imputari queant dogmatis suis contraria, quemadmodum nuper factum ab *Anti-Wolfianis*.

Exposita in *Discursu præliminari* differentia cognitionis historicæ, philosophicæ & mathematicæ, hætenus non satis expensa, id imprimis agit, ut ostendat, philosophiam, qualem ipse definit, in qua ratio redditur, quomodo possibile actum consequi possint, esse ex numero eorum, quæ impossibilia non sunt, fierique posse, ut ejus compotes reddamur. Evincit etiam possibilem esse philosophiam Juris, Medicinæ, artium quarumcunque, im-

mo ipsa artis opera philosophicam admittere cogitationem. Utilitatem philosophiæ & ejus præ cognitione historica præstantiam commonstrat, nec judicem in controversiis philosophicis agnoscit, qui sola cognitione historica instructus aut nonnisi historicam cognitionis philosophicæ alterius cognitionem habet. Inter partes philosophiæ præter vulgo notas refert *Philosophiam practicam universalem*, cujus olim pro cathedra in Academia nostra specimen dedit, *Technologiam*, seu scientiam artium & operum artis, *Grammaticam*, *Rhetoricam* & *Poeticam philosophicam*, *Artem inveniendi*, *Logicæ* contradistinctam, *Cosmologiam generalem*, quam prius Metaphysicæ partem condidit, *Teleologiam*, quæ fines ac usus rerum naturalium explicat, nec non *Logicam probabilium*. Demonstrat ordinem, quo disciplinæ philosophicæ pertractandæ, hoc potissimum usus principio, ut illæ præcedant, unde ceteræ principia demonstrandi & notiones simpliciores in definiendo mutuantur. Exponit *methodum philosophicam*, hoc est, ordinem, quo in tradendis dogmatis utri debet philosophus. Potissimæ regulæ huc redeunt, in Philosophia non utendum esse nisi terminis accurata definitione explicatis, nec principiis nisi sufficienter probatis; nullam esse admittendam propositionem, nisi quæ ex principiis positæ legitime deducitur; in propositionibus conditionem accurate esse determinandam, sub qua prædicatum subjecto convenit; in demonstrationibus non plura contineri debere, quam quæ lectori antecedentium gnaro sufficiunt ad revocandum cetera in memoriam ad ratiocinia complenda requisita, & propositiones singulas eo ordine collocandas esse, quo subeunt animum demonstrationem concipientis; hypothesebus philosophicis non esse concedendum locum, nisi quatenus ad veritatem liquidam inveniendam viam sternunt, atque adeo eas arcendas esse tanquam principia ex dogmatum demonstratione aut probatione, hoc est, earum propositionum, quæ ad usum quendam practicum conducunt, veluti ad actionum liberarum directionem; eum in omnibus tenendum esse ordinem, ut præmittantur ea per quæ sequentia intelliguntur & demonstrantur, vel minimum probabiliter adstruuntur. Ad has & alias geminas regulas demonstrandas hoc potissimum



utitur principio, quod in Philosophia omnimodæ studendum sit certitudini, methodique philosophiæ cum mathematica identitatem ostendit, quæ perinde ac philosophica ex notione certitudinis derivatur. Tradit præterea regulas de stylo philosophico, cujus hanc supremam legem statuit, quod in eo non habenda sit ratio rei alterius, quam ut alteri animi nostri sensa aperiamus. Inter regulas istas reperies, quod a recepto verborum significato non sit recedendum, quod ejusdem vocis idem constanter esse debeat significatus, quod voces a significato vago ad determinatum sint reducendæ, quod, quæ intrinsece differunt, diversis nominibus insignienda, quod termini philosophici semel recepti non immutandi, non tamen satis accurate definiti accuratius definiendi, quod terminis utendum sit propriis, nec pluribus, quam quot ad veritatem nude proponendam sufficiunt. Has methodi stylique leges sancte custodivit in opere suo Logico, & se custoditurum promisit in ceteris philosophiæ partibus. Logicam enim suam ita conscripsit, ut, dum quis ejus regulas sibi cogitas atque perspectas reddit, eo ipso habitum iisdem utendi acquirat: neque enim in Logicæ tractatione desiderari passus est regulas, quas ipsa ceteris præscribit disciplinis. Ultimo tandem loco de libertate philosophandi agit, eique opposita philosophandi servitute. Ostendit, servitutem philosophandi cum methodo philosophica consistere non posse; eum, qui methodo philosophica philosophiam tradit, in eligendis sententiis solius veritatis rationem habere, rationibus omnibus extrinsecis exulantibus; eundem suo, non aliorum stare debere judicio, nec ab aliis tradita admittere posse, nisi quatenus ea ex principiis suis demonstrari & intelligi possunt; eum non habere opus, ut oppositas sententias refellat, nec fieri posse, ut vel veritati revelatæ, vel virtuti, vel statui publico contraria doceat. Atque ideo probat, methodo philosophica philosophanti libertatem philosophandi integram esse concedendam, nec ullum hinc religioni, virtuti ac Reip. periculum metuendum: sine illa autem libertate nullum esse scientiæ progressum, quæ tum demum incrementa captura sit, quando methodo philosophica philosophari cœperint homines. Ceterum ne philosopho contradictiones Philosophiæ & Theo-

Theologiæ in detrimentum scientiæ obtrudantur, easdem demonstrandas esse evincit, atque exemplo hypotheseos terræ motæ probat, curiam Romanam regulæ istius rationem habuisse, quæ probe perpenderit, non Scripturæ sacræ aut veritati revelatæ repugnare, quod receptæ alicui interpretationi Scripturæ sacræ aut thesi theologicæ inter ipsos Christianos adhuc controversæ contradicit. Logicam Germanicam, cujus quinquies recusæ ultra octo millia exemplaria partim in eruditorum, partim in juventutis studiosæ manibus versantur, in Actis A. 1713, cum primum prodiret, recensuimus: sed ea præsentis operis nonnisi prima rudimenta continet. Dividitur hoc in duas partes, theoreticam atque practicam, quarum hæc ad istam in fœsq̄ altera fere est ratione. Theoriæ Logicæ in Prolegomenis triplicem lapidem Lydium offert, quod nempe ea fit praxi veterum Geometrarum conformis, quod per ejus regulas rationem reddere liceat cogitationum, quæ sese invicem naturaliter consequuntur, & quod ejus regulæ ex ipsa mentis humanæ natura & notione entium in genere demonstrari possint. Postquam igitur distincte explicavit, quæ de operationibus mentis observantur, indeque notionis, termini, judicii, propositionis, individui, speciei ac generis, nec non ratiocinationis notiones aliasque agnatas deduxit, notitias quasdam generales entis tradit, quæ fœcunda in Logica principia præbent. Ea quæ enti insunt, vel constantia sunt, vel mutabilia. Illa tam diu insunt, quam diu ens speciem ac genus non mutat; hæc de eodem nonnisi sub certa conditione enunciari possunt. Quæ constanter insunt, eorum alia determinantur per alia, ita ut, si hæc insint, non possint non ipsa quoque inesse; alia vero tantummodo sibi mutuo non repugnant, ita ut una inesse possint & per ipsa cetera, quæ constanter insunt, determinentur, ipsa vero non determinentur per alia, quæ insunt. Posteriora *essentialia* vocat Autor; priora *attributa*; mutabilia vero, quorum tantum possibilitas, non vero actus per constantia determinatur, *modor* appellat. Per essentialia genera & species determinantur: identitas enim determinationum quoad essentialia similitudinem entium parit, in qua genera & species consistunt. Essentialia & attributa, nec non modorum possibilitates de ente absoluto


enunciantur; modi vero non nisi sub certa conditione & contra. Hæc & in definitionibus, & in judiciis, & in ratiocinationibus præclarum habent usum. Definitiones enim generis conduntur atque speciei, si vel essentialia, vel attributa, vel modorum atque relationum possibilitates sufficienter enumerantur, per quæ genus vel species determinatur. Attributa prædicantur de subiecto sub conditione essentialium, sub eadem quoque de eodem prædicantur possibilitates modorum; modi autem sub conditione extrinseca. Atque his observatis propositiones conduntur determinatæ ad ratiocinandum utiles. Omnia enim ratiocinia deducuntur ex dicto de omni & nullo, quod legitime extensum ad has propositiones redit: 1) quod de genere vel specie five absolute, five sub expressa conditione affirmari vel negari potest, id etiam de quibusdam speciebus sub isto genere vel individuis sub genere isto istaque specie contentis five absolute, five sub eadem conditione affirmandum vel negandum: 2) cui definitum competit, eidem etiam definitio competit & de eodem singula in definitione contenta figillatim enunciari possunt: 3) cui conveniunt notæ in definitione enumeratæ simul, eidem quoque convenit definitum: 4) cui eadem non conveniunt, eidem quoque non convenit definitum: 5) cui definitum non convenit, eidem nec definitio convenit. Idem dictum extenditur ad prædicationes proprias in usum syllogismorum propriorum. Præcipua theoria Logicæ ab his principiis pendet, si differentiam notionum formalem addideris, qua in claras & obscuras, ac claræ porro in distinctas & confusas, distinctæ in completas & incompletas, adæquatas & inadæquatas abeunt, & de qua diximus, Logicam Germanicam recententes. Retinuit Autor terminos in scholis usitatos, nec significatum immutavit, notiones tamen iisdem sociavit distinctas atque determinatas, quibus iisdem destituebantur, & sic Logicæ theoriam demonstrativam reddidit, ut ipsa Logicæ forma, quam eidem induit Autor, regularum suarum exemplar sit. Exempla plerumque ex Geometria elementari petit, sed ita comparata, ut vel a Geometriæ ignavis intelligi possint, tum ut appareat theoriam Logicæ esse praxi Mathematicorum conformem, tum ne exempla aliunde petita difficultates facerent.

facessant a minus exercitatis in regulas Logicæ conjiciendas. Demonstrat Noster, primam figuram syllogismorum non esse nisi immediatam dicti de omni & nullo applicationem; syllogismos vero secundæ ac tertie figuræ esse syllogismos crypticos in prima. Cum autem plures insuper alias syllogismorum crypticos recenset, rationem reddit, cur eadem non perinde ac istæ peculiare figurarum modos constituent. In singulis mentis operationibus discrimen inter cognitionem intuitivam & symbolicam sanctissime observat, ac imprimis docet, quomodo ex altera notiones deceptrices deriventur, unde judicia erronea & ratiocinia a vero abhorrentia ortum trahunt.


Praxis prolixa quinque sectionibus usum Logicæ in vero a falso certoque ab incerto dijudicando, in veritate investiganda, in libris conscribendis, dijudicandis & legendis, in veritate cum aliis communicanda, in æstimandis denique viribus ad rerum cognitionem requisitis per definitiones accuratas & theoremata demonstrativa exponit; sectione autem sexta usum Logicæ in praxi vitæ & methodum eam studendi superaddit. Singulæ sectiones in sua capita subdividuntur, de quibus singulis dicere prolixum nimis foret. Unum igitur alterumque saltem delibabimus. Veritatem logicam esse demonstrat determinabilitatem prædicati per notionem subjecti; veram vero esse propositionem negativam, si prædicatum notioni subjecti repugnat. Hinc ulterius colligit, propositioni affirmativæ veræ respondere notionem possibilem, in qua nempe conjunguntur, quæ sibi mutuo non repugnant, sed quorum unum per alterum determinatur; falsæ autem notionem impossibilem, in qua conjunguntur, quæ sibi mutuo repugnant. Veritatis adeo criterium constituit in determinabilitate prædicati per notionem subjecti, cum ea definitionem veritatis realem observat, præter definitionem autem veritatis alio criterio non esse opus. Formam demonstrationis cum ostensivæ sive directæ, tum apogogicæ sive indirectæ adeo distincte describit Autor, quemadmodum nullibi adhuc factum reperies, & exemplis non minus mathematicis, quam logicis, adeoque domesticis, ostenditur, quomodo demonstrationes in sua ratiocinia, quorum concatenatione prodeunt, sint resolvendæ, ut

genuina demonstrationum forma in oculos incurrat. Nec negligit istud demonstrationum apogogicarum genus, quo ex propositione aliqua falsa assumpta directe colligitur ejus contradictoria vera. Demonstrationem completam appellat, in qua omnia principia demonstrandi vel disertis verbis enunciantur, vel per ea, quæ adsunt, aut per citationes in memoriam revocantur: ordinatam vocat, in qua propositiones eo ordine se invicem excipiunt, quo in ratiociniorum serie, in quam demonstratio resoluta abit, continentur; consummatam denique dicit, ordinatam completam. Principia quoque probabilitatis intrinseca explicat. Eam nimirum propositionem probabilem appellat, in qua prædicatum subjecto tribuitur ob quædam requisita ad veritatem: requisita autem ad veritatem eidem sunt ea, per quæ prædicatum subjecto tribuendum determinatur. Hanc verò de probabilitate doctrinam ex instituto olim traditurus est in Logica probabiliū. Errorum fontes detegit tum circa principia, tum circa conclusiones ex principiis deductas. Docet modum notionum universales, definitiones atque propositiones cum categoricas, tum hypotheticas, a posteriori formandi: ubi simul ostenditur, quomodo modi, attributa & essentialia vi observationis a se invicem discernantur, pluribus ea fini theorematis demonstratis. Etiam autem Artem inveniendi peculiari opere olim tradere decrevit, disciplinis philosophicis omnibus absolutis, in qua omnia præsertim Mathematicorum inventa ad artificia heuristica reducet; hic tamen usum Logicæ explicat, quam in formandis iudiciis discursivis & definitionibus a priori habet. Monstrat igitur, quomodo datis notionibus specierum formetur notio generis atque ex notionibus generum inferiorum notionem superiorum deriventur, nec non e contrario data notione generis formantur notionem specierum, vel data notione speciei unius notionem specierum aliarum; quomodo notionum per arbitrariam determinationem formatarum detegatur possibilitas; quomodo ex definitionibus, itemque ex hypothesis data deducantur propositiones; quomodo dati effectus investigetur causa & datis causis atque effectibus determinetur, quid unaquæque illarum ad hunc contulerit; quomodo definitiones nominales & reales condantur; quo-

quomodo veritates philosophicæ methodo mathematica demonstrantur. Postquam in genere exposuit, quænam in condendo scripto historico sint observanda; mox in specie tradit regulas in condenda historia naturali: 1) ut rerum naturalium ideæ animo alterius ingenerentur, ubi varia afferuntur singularia, veluti quomodo colores distincte describi possint, in usum conversis experimentis *Newtoni* atque pictorum: quomodo solis verbis notio confusa alteri communicetur, quatenus similitudinem cum re alia alteri nota involvit; quomodo ea fini inserviant experimenta &c. 2) ut animus lectoris imbuatur principiis, quibus in ratiociniis de rebus naturalibus habemus opus, ubi & modus describendi experimenta una exponitur. Idem institutum circa historiam artium exequitur. In historia civili hos potissimum fines distinguit, 1) ut inde dogmata politica confirmantur ac prudentiæ civilis principia hinc deriventur, 2) ut jura summorum imperantium decendantur, 3) ut leges providentiæ divinæ inde agnoscantur. Historiam ecclesiasticam duplici potissimum fini accommodare docet, scilicet 1) ut dogmata de regimine ecclesiastico inde confirmari & prudentiæ ecclesiasticæ præcepta hinc derivari queant, 2) ut leges providentiæ divinæ circa ecclesiam inde agnoscantur. Similiter privatam historiam ea lege condendam sinit, ut 1) dogmata moralia inde confirmantur ac prudentiæ privatæ principia hinc deriventur, 2) ut leges providentiæ divinæ circa singulos homines innotescant. Historiam denique litterariam condendi modum duplicem exponit; prior satisfacit, ubi constare debet, unde petenda sit veritatum jam inventarum cognitio; posteriori opus est, ubi ea principia suppeditare debet ad locupletandam artem inveniendi proficua; ubi specimen breve exhibet ex historia Geometriæ, nempe historiolum constructionis æquationum algebraicarum determinatarum per combinationem duorum locorum. Scripta dogmatica distinguit in historica & scientifica, quorum illa dogmata tantum recensent & ad summum argumenta indicant, quibus probantur; hæc vero eadem demonstrant aut probant. Scripta dogmatica historica vel conduntur in usum inventorum, quorum nonnisi leve quoddam specimen dederit *Mersennus* in Synopsi universæ



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART  
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

ACTA ERUDITORUM  
LEIPZIG 1728

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT  
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK  
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 612 y 4<sup>0</sup>



Geometriæ mixtæque Mathematicæ, vel ea fini, ut ad lectionem scientificorum præparetur lector, vel denique in usum vitæ, subinde etiam a nonnullis solius cognitionis gratia: ipsa autem scientifica vel usum vitæ solum respiciunt, vel veritatum ulterius inveniendarum investigationem. Casus istos singulos distinguerе debuit Autor, cum theoremata tradat determinata & more Geometriarum ex hypothesi seu determinatione subjecti cum intrinseca, quæ per definitiones datur, tum extrinseca demonstrat, ei competere prædicatum, quod eidem tribuitur. Solidam vero pertractionem a superficiali ex iis, quæ operose demonstrata sunt, tandem ita distinguit, quod in illa non utamur terminis nisi accurata definitione explicatis, nec principiis nisi sufficienter probatis, propositiones singulæ ex principiis suis demonstrantur, vel, ubi principia certa deficiunt, probabiliter adstruantur ac singula ita ordiuntur, ut continuo præmittantur, per quæ sequentia intelliguntur & probantur. in hac vero termini occurrant non sufficienter explicati atque principia precaria, nec forma legitima attendatur, immo priori loco proferantur ea, quorum cognitio ab iis pendet, quæ posteriori collocantur. Hinc si solide singula pertractentur, librum esse perspicuum, ac ordine naturali conscriptum, demonstrationes consummatas, resolutiones problematum completas & veritates omnes inter se connexas: quod si vero superficiali pertractioni locus sit, librum esse obscurum ordineque scholæ conscriptum, verba cum rebus confundi, in definitionibus nunc superflua cumulari, nunc mutilas afferri, principia admitti precaria, propositiones non satis intelligi, multo minus earum veritatem perspicere posse, certa cum incertis confundi, demonstrationes, si quæ afferuntur, haud esse consummatas, problematum resolutiones nunc incompletas esse, nunc superflua continere, nunc falsas, nunc prorsus impossibiles, vel minimum a praxi alienas esse, veritates nullas inter se connecti, nec certam ex istiusmodi libro rerum hauriri posse cognitionem. Nihil vero præcipit Autor, quod non præceptis comprehenderit, quæ perinde praxi satisfaciunt ac resolutiones problematum geometricorum: neque solum præceptis, verum etiam exemplo docet, ut præceptorum utili-

utilitas ipso opere confirmetur. Per Systema intelligit veritatum inter se & cum principiis suis connexarum congeriem : unde compilatorem a systematis conditore ita distinguit, quod ille in unum cogat, quæ ea de re, quam sibi pertractandam sumsit, per alios libros sparsa reperit, insuper habita veritatum connexione, vel in scripto dogmatico-historico finis ac ordinis nulla habita ratione; hic vero veritates apud alios autores obvias suoque fini accommodas eligit & inter se connectit. Dum de librorum lectione agit, plura theoremata demonstrat, quorum in sensu verborum autoris determinando utilitas elucet, & imprimis æquitatem in interpretando stabilit, qua salva autoris verbis alius sensus tribui nequit, quam quem iisdem convenire, demonstrare, aut, ubi minime erroneus fuerit, probabiliter adstruere valet. Iniquitatis autem in interpretando, quæ isti opponitur, varios agnoscit gradus, quorum notiones propria experientia acquisivit, cum adversarii ipsius in pervertendo sensu verborum ipsius omnes ingenii nervos contenderent, veluti si quis verbis autoris in scripto præsertim scientifico affingit sensum definitionibus ejus contrarium & ne monitus quidem semel vel aliquoties ab illa interpretatione desistit. Ubi ad lectionem historię litterarię in usum artis inveniendi conditę digreditur, & præceptis, & exemplis docet, quomodo inde regulę heuristice eruantur. Ex gr. ex eo, quod theoremata de compositione numeri quadrati post communem numerorum algorithmum fuerit inventum, nec inventor aliis luminibus usus, quam quæ ab illo mutuari possunt, hanc deducit regulam : exemplum eo modo scribendum esse, quo distincte repræsententur notionem formandam ingredientia & singularia, quæ insunt, generaliter denominanda. Tradit etiam regulas sensum Scripturę sacrę investigandi cum ex theoria, tum praxi logica anteriore deductas; linguarum verò authenticarum hunc solummodo usum esse demonstrat ut judicium fieri possit, num versio rite facta, seu an voces linguę authenticę & in versione iisdem respondentē eandem rem designent. Unde monet, ipsum *Neumannum*, quem Theologum eminentem vocat, nuper Ecclesiarum & Scholarum Augustanę Confessioni addictarum apud Vratislavienses Inspectorem, cum

vocum Hebraicarum significatum quendam essentialem scrutaretur, non aliam dedisse hypothefin, quam cujus beneficio significatus obtineatur generalis emphasi vocum explicandæ interveniens, ubi res iis denotatæ aliunde cognitæ fuerint atque perceptæ. Ubi modum stabilit, quo quis a priori veritatis convincatur, & inter alia docet, quanto adjumento sint citationes in scriptis scientificis ab eodem requiritæ, notatu admodum digna sunt, quæ de successiva assensus propositioni demonstratæ vel probabiliter evictæ dandi generatione demonstrantur, & exemplo logico ex hoc ipso opere desumpto illustrantur. Etsi autem successiva ista assensus generatio sit maximi momenti, hætenus tamen eam non attentam esse constat: unde lærnx malorum in orbe erudito propullularunt. Ceterum hic rationes assensus intrinsecæ ab extrinsecis discernantur, quarum illæ ex notione subjecti desumuntur, eadem cum iis, ob quas prædicatum subjecto convenit, & quarum vi assensus per demonstrationes extorquetur; hæ autem aliunde petuntur atque adeo locum habent, ubi quis notionem subjecti non nisi confusam habet, vel principia ac formam demonstrationis ignorat. Cum præcipitantiam in judicando evitaturus tandem assensum suspendere debeat, donec vel a posteriori, vel a priori veritatis, aut falsitatis, aut probabilitatis fuerit convictus, haud difficile Autori fuit determinare discussionem, vel a posteriori, vel a priori instituendam, ut præcipitantia in judicando evitetur. Nimirum in casu priori res ipsas præsentis intueri & rerum practicarum veritatem a posteriori in seipso experiri & in dato casu regulas ad notiones, definitiones ac propositiones determinatas eruendas præscriptas applicare, aut, ubi res præsentis coram intueri non datur, auctoritatem observatoris juxta regulas fidei examinandam stabilire; in casu autem posteriori & demonstrationes ac probationes probabiles ad prima sua principia revocare, & habitu demonstrationem ac probationem probabilem in dato casu agnoscendi pollere debemus: quibus verbis cum multa & que ardua comprehendantur, non adeo facile præcipitantiam in judicando evitari, quemadmodum vulgo sibi persuadent, qui nulla discussione facta nescio quo ficto ingenii acumine sese veritatem perspicere posse somniant. Refuta-

tationem ab impugnatione distinguit. Alterum impugnat, qui insufficienter probat falsitatem propositionis, quam is pro vera habet; refutat autem, qui falsitatem demonstrat: unde consequens est, propositionem veram impugnari, non refutari; falsam & impugnari, & refutari posse. Directa seu ostensiva refutatio est, quæ nititur demonstratione directa; indirecta vero seu apogogica, quæ nititur demonstratione indirecta. A refutatione indirecta distinguit praxin consequentiariorum, hoc est, eorum, qui consequentiis alio fine utuntur, quam animo refutandi. Rationes istius praxeos non logicæ sunt, sed morales: unde deducit, experientia domestica non invita, consequentiarios sibi religioni minime ducere, ut primam consequentiam precario sumant, ne alias alteri molestas porro inde deducendi desit occasio, immo eosdem verba alterius in sensum perversum detorquere, ut consequentia prima aliqua veri specie sumi imperitis videatur. Eosdem consequentias quærere vel ridiculas, vel periculosas, minimum plerorumque opinione tales, & ubi tales non primæ se offerunt, consequentias consequentiarum eo usque continuare, donec ad tales pervenerint, nec in iis cumulandis subsistere, quamdiu tales offeruntur, tandem denique molestas istas consequentias alteri imputare. Uti etiam eosdem verbis contumeliosis & in alterum injuriis. Alterum directe refutaturus, per demonstrationes autoris directe demonstrare tenetur vel propositionem veram false oppositam, vel modum, quo is in errorem incidit. Indirecte autem refutaturus alterum, sumit propositionem, quam is pro vera habet, tanquam falsam & continua syllogismorum demonstrativorum concatenatione, qualem demonstrationibus in universum omnibus convenire ostendit Autor, infert propositionem, quam alter falsam agnoscit & in unica ista propositione acquiescit, nec superfluo conatu ad alias ulterius digreditur. Adversus impugnationem sese defendit, qui five directe, five indirecte demonstrat, aut a posteriori probat propositionem non esse refutatam. Varii autem sunt veritatem defendendi modi, quos singulos demonstrativa ratio, qua in ceteris usus est, expendit Autor. Methodus disputandi in scholis usitata peculiaribus regulis continetur, ut in iis eadem deducantur, quæ

de refutatione ac defensione dicta sunt. In methodo docendi demonstratur, quomodo notiones cum confusæ, tum distinctæ, cum dicentibus communicentur, definitiones resolvantur, explicentur, & illustrentur; propositiones pariter resolvantur, explicentur & illustrentur; earumque demonstrationes resolvantur. Demonstratur præterea docenti tenendas esse regulas omnes, quæ de legendis libris tum dogmaticis, tum historicis, de modo alios convincendi, refutandi & defendendi traditæ sunt, consequenter eum omnem Logicæ theoriam & praxin perspectam habere debere. Theoremata amplissimi usus sunt ex praxi anteriori deducta, quæ requisita eorum determinant, qui veritatem vel investigare, vel inventam dijudicare, libros conscribere, dijudicare & utiliter legere, alios convincere, refutare, docere ac cum iisdem disputare, vel etiam veritatem impugnatam defendere debent. Quoniam omnis cognitionis acquisitæ usus in negotiis vitæ ad applicationem definitionum & propositionum redit; omnes regulæ, quæ de usu Logicæ in praxi vitæ præcipiunt, ad definitionum ac propositionum determinatarum dextram applicationem redeunt, si exceperis ea, quæ de notitia rerum ad praxin vitæ utilium propria experientia comparanda adduntur. In Logicæ studio cognitio ejus historica a scientifica & Logicæ theoria a praxi sollicite distinguitur, ne quis habitu utendi regulis logicis polleere sibi videatur, qui eodem destituitur, nec ab eo perficiendo desistat, ubi adhuc ulterius eundem perficere valet.

**D. MICHAELIS GOTTLIEB HANSCHII,**  
*Consil. Cesarei, Meditatio de Usu genuino omnium Modorum utilium in quatuor Figuris Syllogismorum regularium simplicium in invenienda veritate, qua simul Monita quædam, Typus Logicum incomparabile WOLFIANUM, quod præsertim Francofurti & Lipsiæ in 4 prodiit, concernentia, continentur.*

1) **C**um ex duobus Indiciis cognitis tertium elicimus, nobis ante incognitum: dicimur formare *Syllogismum*. 2) Ut autem Syllogismus *genuinum* inveniendi veritatem incognitam

*sam ex veritatibus jam cognitis Medium*, opus est, ut *ordinem in cogitando naturalem* in omni Syllogismo stricte observemus: inquirendo scilicet, quidnam cum assumpta pro lubitu vel data aliqua voce, cujus distinctam habemus notionem, vel conveniat vel non conveniat, & , invento hoc, ulterius inquirendo, quidnam cum invento illo vel consentiat, vel non consentiat, ut hoc posterius, mediante priori, de ipsa voce data vel affirmare vel negare possimus. 3) Vox illa, quæ rem significat, cui quidnam vel competat, vel non competat, inquiremus, in Syllogismo dicitur *Terminus minor*: id omne, quo mediante, intelligimus, quidnam cum voce illa vel consentiat, vel non consentiat, dicitur *Terminus medius*: id autem, quod voci vel competit, vel non competit, & in priori illo medio, cur voci vel competat, vel non competat, rationem sufficientem agnoscit, dicitur *Terminus Major*. Terminus Minor & Terminus Major etiam vocantur *Extrema*. Hinc fit, ut in omni Syllogismo ex *Termino Minore*, per *Terminum Medium*, inveniatur *Terminus Major*. 4) Ex tribus terminis Syllogismi, inter se combinatis, oriuntur in Syllogismo tres *Propositiones*. *Propositio minor* in Syllogismo dicitur Propositio illa, quæ ex termino minore & ex termino medio constat. *Propositio major* in Syllogismo dicitur illa Propositio, quæ constat ex termino majore & ex termino medio. *Conclusio* autem in Syllogismo vocatur Propositio illa, quæ ex termino minore, tanquam subjecto, & ex termino majore, tanquam prædicato suo, constat. Propositiones major atque minor etiam appellantur *Premissæ*; & Syllogismus in ordine ad Præmissas, numerum binarium nec excedentes, nec ab eodem deficientes, vulgo *Syllogismus perfectus*, sed rectius *regularis* nominatur. In specie autem *Syllogismus regularis simplex* tum dicitur, cum Præmissæ & Conclusio sunt Propositiones absolutæ. Ut enim nulla cogitari possit Propositio, quæ non in hypothesein suam & thesin resolvable, h. e. virtualiter conditionalis fit: illa tamen vulgo *Propositio absoluta* dicitur, in qua prædicatum, *sine conditione expressa*, de subjecto vel affirmatur, vel negatur. In Syllogismos regulares simplices resolvi possunt omnes Syllogismi irregulares, & Syllogismi regulares compositi. 5) Patet autem ex §. 3 in omni

Syllogismo regulari simplici, per ordinem cogitandi naturalem, Propositionem minorem præcedere debere Propositionem majorem: & hunc ordinem analyticum inservire inventioni; vulgarem autem syntheticum inservire doctrinæ. 6) *Figura Syllogismi* in genere non est, nisi termini medii dispositio in præmissis cum termino minore & termino majore. 7) *Finis* autem *Figuræ* est infallibilis illatio veræ alieujus conclusionis & veris præmissis, per termini medii dispositionem cum extremis, in præmissis rite factam. 8) Si vera conclusio infallibiliter inferatur ex veris præmissis, per dispositionem aliquam termini medii in præmissis cum termino minore & termino majore: hic *Figuræ* cum fine suo, cujus gratia est, consensus est *Perfectio Figuræ*. 9) *Figura adeo perfecta* est *Figura*, quæ consentit cum fine *Figuræ*, propter quem est: & *Syllogismus* omnis *perfectus* est, cujus *Figura* perfecta est; sive sit Syllogismus regularis, sive irregularis, sive simplex sit, sive compositus. 10) Ex definitione *Perfectionis*, quam in *Metaphysicis* dedit Cl. *Christianus Wolfius*, patet, *Perfectionem Figuræ aliter definiri non posse*. 11) Sunt autem dispositiones termini medii in præmissis Syllogismi regularis simplicis cum termino minore & termino majore nonnisi quatuor possibiles: hinc nec plures *Figuræ*, quam quatuor, Syllogismorum regularium simplicium possibiles sunt. 12) Si terminus medius sit =\* terminus minor = m, terminus major = M: eruat dispositiones termini medii cum extremis possibiles sequentes:

I. *-M	II. M-*	III. *-M	IV. M-*
m-*	m-*	*-M	*-m
m-M	m-M	m-M	m-M.

Dispositio prima, in qua terminus medius est subjectum Propositionis majoris & prædicatum Propos. minoris; dicitur *Figura prima*: Secunda dispositio, in qua terminus medius in præmissis locum occupat prædicati; dicitur *Figura secunda*: Dispositio tertia, in qua terminus medius in præmissis occupat locum subjecti; dicitur *Figura tertia*: quarta dispositio possibilis, in qua terminus medius est prædicatum Propositionis majoris, & subjectum Propositionis minoris; dicitur *Figura quarta*. Patet autem attendenti *Figuram primam* & *tertiam* convenire in Propositione.

fitione majore, & differre inter se in Propositione minore; eodemque modo se rem habere cum Figura secunda & quarta: Contra Figuram primam & secundam, item tertiam & quartam convenire in Propositione minore, & differre inter se in Propositione majore; Figuram autem primam & quartam, item secundam & tertiam in nulla Præmissarum inter se convenire. 13) *Modus Syllogismi regularis simplicis* est dispositio Propositionum absolutarum secundum affirmationem & negationem, universalitatem & particularitatem earundem, in qualibet Figura Syllogismi regularis simplicis. 14) Variationes propositionum absolutarum secundum affirmationem & negationem, universalitatem & particularitatem, per leges combinatorias sexaginta quatuor sunt possibiles; ex quibus tamen, vi *Regularum Syllogismi generalium*, quinquaginta tres inutiles; & undecim tantum utiles sunt. 15) Sit A, *signum universale affirmans*, E, *signum universale negans*, I, *signum particulare affirmans*, O, *signum particulare negans*: erunt modi utiles sequentes:

A Classis I.	1 AAA.	2 AAI.	3 AEE.	4 AEO.	5 AII.	6 AOC.	
E Classis II.			7 EAE.	8 EAO.	9 EIO.	3	
I Classis III.				10 IAI.		1	
O Classis IV.				11 OAO.		1	

II.

16) Ex hisce undecim modis utilibus Syllogismorum regularium simplicium sex obtinent in Figuris prima, secunda & tertia, quinque autem in Figura quarta. In Figura prima modi utiles sunt: ex Classe prima, 1, 2, 5, ex classe II da, 7, 8, 9, qui vocantur: BA**Ar**ArA, BA**Ar**ArI, DA**Ar**II, CE**Ar**ArEnt, CE**Ar**ArOnt, FE**Ar**IO. In Figura secunda sunt modi utiles, ex Classe prima, 3, 4, 6, ex Classe secunda, 7, 8, 9, qui vocantur: CA**Ar**ME**Ar**Es, CA**Ar**ME**Ar**Os, CE**Ar**ArE, CE**Ar**ArO, FE**Ar**IE**Ar**O, BA**Ar**OeO. In Figura tertia sunt modi utiles, ex Classe prima, 2, 5, ex Classe secunda, 8, 9, ex Classe tertia, 10, & ex Classe quarta, 11. In Figura quarta, ex Classe prima, 3, 4, ex Classe secunda, 8, 9, ex Classe tertia, 10. 17) Sunt igitur in omnibus quatuor Figuris Syllogismorum regularium simplicium, *viginti tres modi utiles*:

Modus



Modus 1 in sola Figura prima,	1
2 in Figura prima & tertia,	2
3 in Figura secunda & quarta,	2
4 in Figura secunda & quarta,	2
5 in Figura prima & tertia,	2
6 in sola Figura secunda,	1
7 in Figura prima & secunda,	2
8 in omnibus quatuor Figuris,	4
9 in omnibus quatuor Figuris,	4
10 in Figura tertia & quarta,	2
11 in sola Figura tertia.	1

## II

23.

18) Hinc patet, Figuras tres, primam, secundam & tertiam agnoscere modum sibi proprium, Figuram quartam nullum: item in sola prima Figura omnis generis conclusiones inferri posse, & proinde illam solam esse *Figuram universalem*, reliquas autem tantum esse *Figuras particulares*, quæ tamen, si eandem illationis infallibilitatem agnoscant cum prima, erunt *Figuræ perfectæ*, per §. 9.

19) Cum *finis Figura prima sit*, non tantum infallibiliter, sed simul evidentissime omnis generis conclusiones veras ex veris præmissis inferre: *Perfectio Figure primæ in specie est consensus dispositionis termini medii cum extremis, cum evidentia infallibilitatis maxima, respectu illationis & cum indifferentia conclusionum, respectu quantitatis & qualitatis, per §. 9.* 20) *Regressus fieri dicitur, si ex contradictorio consequentis inferatur contradictorium antecedentis.* Ex. gr. *Si Deus est substantia necessaria, & omnis substantia necessaria est Ens a se: Deus est Ens a se.* Ergo etiam per *Regressum: Si Deus non est Ens a se: vel Deus non est substantia necessaria; vel non omnis substantia necessaria est Ens a se: illud; si omnis substantia necessaria est Ens a se: hoc; si Deus est substantia necessaria.* 21) Sit terminus major = D, terminus minor = B, terminus medius = C: erit *Propositio major = DC, vel CD, Propositio minor = BC, vel CB, Conclusio = BD per §. 4.* 22) *Fiat Syllogismus in FERIO: ECD, IBC, OBD, erit per Regressum in CEfArE: ECD, ABD, EBC.* 23) *Fiat Syllogismus in CEfArOnt: ECD, ABC, OBD, ergo est per Regressum*

gressum in CE<sup>s</sup>ArO: *ECD, ABD, OBC*. 24) Fiat Syllogismus in DArII: *ACD, IBC, IBD*, ergo etiam per Regressum in CA<sup>m</sup>E<sup>s</sup>trEs: *ACD, EBD, EBC*. 25) Fiat Syllogismus in BA<sup>r</sup>bArI: *ACD, ABC, IBD*, ergo etiam per Regressum in CA<sup>m</sup>E<sup>s</sup>trOs: *ACD, EBD, OBC*. 26) Fiat Syllogismus in CEI<sup>r</sup>ArEnt: *ECD, ABC, EBD*, ergo etiam per Regressum in FE<sup>s</sup>H<sup>n</sup>O: *ECD, IBD, OBC*. 27) Fiat Syllogismus in BA<sup>r</sup>bArA: *ACD, ABC, ABD*, ergo erit per Regressum in BA<sup>r</sup>O<sup>c</sup>O: *ACD, OBD, OBC*. 28) Fiat Syllogismus in CEI<sup>r</sup>ArOnt: *ECD, ABC, OBD*, ergo erit per Regressum in DA<sup>r</sup>AptI: *ABD, ABC, ICD*. 29) Fiat Syllogismus in BA<sup>r</sup>bArI: *ACD, ABC, IBD*, ergo etiam erit per Regressum in FEI<sup>r</sup>AptOn: *EBD, ABC, OCD*. 30) Fiat Syllogismus in CEI<sup>r</sup>ArEnt: *ECD, ABC, EBD*, ergo etiam erit per Regressum in DI<sup>s</sup>AmIs: *IBD, ABC, ICD*. 31) Fiat Syllogismus in FE<sup>r</sup>IO: *ECD, IBC, OBD*, ergo est per Regressum in DA<sup>t</sup>IsI: *ABD, IBC, ICD*. 32) Fiat Syllogismus in BA<sup>r</sup>bArA: *ACD, ABC, ABD*, ergo per Regressum in BO<sup>c</sup>ArD<sup>O</sup>: *OBD, ABC, OCD*. 33) Fiat Syllogismus in DArII: *ACD, IBC, IBD*, ergo per Regressum in FE<sup>r</sup>IsOn: *EBD, IBC, OCD*. 34) Fiat Syllogismus in DArII: *ACD, IBC, IBD*, ergo in CA<sup>m</sup>E<sup>s</sup>trEs: *ACD, EBD, EBC*, per §. 24. Ergo in CA<sup>d</sup>E<sup>m</sup>Es: *ACD, EDB, EBC*. 35) Conversio autem hæc conclusionis demonstratur per Figuram secundam in CE<sup>s</sup>ArE: *EBD, ADD, EDB*. 36) Fiat Syllogismus in BA<sup>r</sup>bArI: *ACD, ABC, IBD*, ergo in CA<sup>m</sup>E<sup>s</sup>trOs: *ACD, EBD, OBC*, per §. 25. Ergo in CA<sup>d</sup>E<sup>m</sup>Os: *ACD, EDB, OBC*. 37) Fiat Syllogismus in DArII: *ACD, IBC, IBD*, ergo in FE<sup>r</sup>IsOn: *EBD, IBC, OCD*, per §. 35. Ergo etiam in FE<sup>s</sup>IsO: *EDB, IBC, OCD*. 38) Fiat Syllogismus in BA<sup>r</sup>bArI: *ACD, ABC, IBD*, ergo in FEI<sup>r</sup>AptOn: *EBD, ABC, OCD*, per §. 29. Ergo etiam in FE<sup>s</sup>ApO: *EDB, ABC, OCD*. 39) Fiat Syllogismus in CEI<sup>r</sup>ArEnt: *ECD, ABC, EBD*, ergo in DI<sup>s</sup>AmIs: *IBD, ABC, ICD*, per §. 30. Ergo etiam in DI<sup>g</sup>AmIs: *IDB, ABC, ICD*. 40) Conversio autem Conclusionis demonstratur per Figuram tertiam in DA<sup>t</sup>IsI: *ABB, IBD, IDB*. 41) Quandoquidem sex modi Syllogismorum regularium simplicium Figuræ secundæ, per §§. 22–27 *includ.* & sex modi Syllogismorum regularium simplicium Figuræ tertiæ, per §§. 28–33 *incl.* demonstrari possunt immediate: quinque autem modi Syllogismorum regularium simplicium Figuræ quartæ, per §§. 34–40

demonstrari possunt, mediante Figura secunda & tertia, ex sex modis possibilibus Figuræ primæ; & in sex modis figuræ primæ, nunquam ex veris præmissis fallā aliqua infertur conclusio, *per hypothesin*: nec in modis Figurarum reliquarum ex veris præmissis fallā aliqua infertur conclusio, *per naturam demonstrationis*. Quamobrem omnes quatuor dispositiones possibiles medi cum extremis consentiunt cum fine Figuræ, *per §. 7.* consequenter & ipsæ quatuor Figuræ consentiunt cum fine, *cujus gratia sunt Figuræ, per §. 6.* Ergo omnes quatuor Figuræ Syllogismorum regularium simplicium sunt Figuræ perfectæ, *per §. 9.* 42) Sunt, qui modum sextum BALAmI in Figura quarta admittunt, & per DAraPtI ex CELArOnt demonstrant. Verum apparet ex conversione, modum hunc non esse universalem, sed requirere Propositionem majorem universalem affirmantem simul & reciprocam, adeoque *Figuram quartam non agnoscere, nisi quinque modos.* 43) Cum consequentiæ hæ: ADB, ergo ABD, item ODB, ergo OBD, ex nulla Figura demonstrari possint: hinc Modi EAE, AAI, AII, AOO & OAO in quarta Figura sunt inutilis. 44) Cum demonstrari possit infallibilitas illationis omnium modorum utilium Figuræ secundæ tertiæ & quartæ ex figura prima, *per demonstrata*: nec reductione ad Figuram primam vulgari, nec substitutione etiam Propositionum æquipollentium opus est. 45) Ceterum negari nec potest, nec debet, dari casus, in quibus *magis naturaliter* in reliquis Figuris concludamus, quam in prima: ex. gr. in Figura tertia, si incidamus in medium singulare, quod tantum termino minori subjici possit. 46) Agnovit hoc *Joachimus Jungius* in Logica Hamburgensi *Lib. III cap. X §. 18*, apud *Cl. Christianum Wolfium* in *Philosophia rationali Part. I Sect. IV cap. II §. 399 p. 325*, & idem agnovisset etiam acutissimus *Wolfius*, si abstractam illam de Figuris & modis Syllogismorum regularium simplicium possibilibus doctrinam profundius fuisset meditatus, nec præjudicio locum aliquem dedisset, talia in spem futuræ oblivionis addisci. Nullum enim est dubium, quin pro ingenii & judicii sui felicitate idem expertus fuisset, quod asseveravit mihi Per-illustris & immortalium meritorum Philosophus *G. G. Leibnitius*, cum quatuordecim abhinc annis una Viennæ essemus; se in Demonstrationibus Euclideanis observasse, quod  
Geo-

*Geometra omnibus quatuor Figuris & omnibus modis etiam utilibus in singulis Figuris pro re nata usus sit.* 47) Ex §. etiam 45 simul manifestum est, 1) omnem Propositionem singularem virtualiter esse universalem, 2) Præmissas esse posse universales, existente conclusione particulari, non contra, Præmissarum una existente particulari, conclusio esse posse esse universalem. 48) Consequentia hæc: EDB, ergo EBD demonstrata est §. 35 in CEsArE, & altera: IDB ergo IBD §. 40 in DAtisI. Similiter consequentia hæc: ADB, ergo IBD demonstratur in DArAprI: ADD, ADB ergo IBD. Consequentia hæc: EDB, ergo OBD demonstratur in FEstInO: EDB, IBB, OBD. Dantur igitur casus naturalissime inferendi in Figuris secunda & tertia. 49) Modus IEO in nulla Figura per Regressum ad primam demonstrari potest, & in prima etiam inutilis est, ut in Regularum Syllogismi generalium nullam peccet. 50) Ut fiat manifestum, ordinem in cogitando naturalem ad Figuras Syllogismorum regularium simplicium se indifferenter habere: esto Propositio hæc particularis affirmans: *quoddam corpus durum est lapis*: invenienda ex assumpto, vel ex dato termino minore, qui est *Corpus durum*. Si occasione termini minoris, sive assumpti, sive dati, per §. 3, cujus in hoc casu etiam clara tantum ad inveniendum sufficit notio, recorder certæ cujusdam speciei corporum, quæ sunt dura, ex. gr. Adamantis, vel terminum minorem datum de specie *universaliter*, vel speciem de termino minore dato *particulariter* affirmare possum, per §. 48. Si jam, hujus medii interventu, recorder generis: vel genus de specie *universaliter*, vel speciem de genere *particulariter* affirmare possum, per §. 48. Omnibus autem in casibus etiam genus inventum de termino minore dato *particulariter* affirmo. Quod si speciem de termino minore dato *particulariter*, genus autem de specie *universaliter* affirmem, indeque deducam conclusionem, in qua terminus major de termino minore *particulariter* affirmatur: incognitum ex cognitis invenio per modum DArII, in Figura prima. Unde simul patet, *cur Figura prima sit evidentissima*: quoniam in illa ordo inventionis termini medii ex termino minore, & termini majoris ex termino medio quam maxime est conspicuus, per §. 3. *Quoddam corpus durum est Adamas, Omnis Adamas est lapis, E. quoddam corpus durum est lapis,*

*pis, h. e. ordine Præmissarum synthetico, per §. 5, Omnis Adamas est lapis, quoddam corpus durum est Adamas, E. quoddam corpus durum est lapis.* Si autem terminum minorem de specie *universaliter*, & genus de specie etiam *universaliter* affirmo: eandem inveniō conclusionem per modum DArAptI in Figura tertia: *Omnis Adamas est corpus durum, Omnis Adamas est lapis, E. quoddam corpus durum est lapis, h. e. ordine Præmissarum synthetico, per §. 5, Omnis Adamas est lapis, Omnis Adamas est corpus durum, E. quoddam corpus durum est lapis.* Si denique terminum minorem datum de specie *universaliter*; speciem autem de genere *particulariter* affirmo: eandem conclusionem incognitam infero per modum DIgAmIs in Figura quarta: *Omnis Adamas est corpus durum, Quidam lapis est Adamas, E. quoddam corpus durum est lapis, h. e. ordine Præmissarum synthetico, per §. 5, Quidam lapis est Adamas, Omnis Adamas est corpus durum, E. quoddam corpus durum est lapis.* 51) Quoties, occasione termini minoris dati, vel pro lubitu assumti, recordamur vel definitionis ejusdem, vel attributi alicujus necessarii: toties illud de termino minore, sive dato, sive assumto, *universaliter* affirmamus. Si porro, intuitu definitionis vel attributi necessarii termini minoris recordamur alterius rei, quæ vel definitio vel attributum necessarium est definitionis vel attributi prioris: toties etiam attributum posterius de attributo priore *universaliter* affirmamus, consequenter attributum etiam posterius, mediante attributo priori, de termino minore, vel *universaliter* vel *particulariter* affirmare possumus. In priori casu utimur modo inferendi, qui vocatur BArbArA, & omnium est evidentissimus atque perfectissimus: in posteriori autem illatio fit in modo BArbArI, qui in priori modo continetur. 52) Quoties, occasione termini minoris, sive assumti, sive dati, recordamur, vel definitionis ejusdem, vel attributi alicujus necessarii, & intuitu, vel definitionis, vel attributi hujus necessarii termini minoris incidamus in attributum aliud, quod in priori, vel definitione, vel attributo necessario non continetur: toties attributum prius de termino minore *universaliter* affirmamus, & attributum posterius de attributo priori *universaliter* negamus, consequenter etiam attributum posterius de termino minore, mediante attributo priore, vel *universaliter* vel

par.

*particulariter* negamus. Quæ illatio in casu priori fieri dicitur in CELArEnt; in posteriori casu in CELArOnt, tanquam in modo, qui in priori continetur. 53) Quoties, occasione termini minoris, five dati, five pro lubitu assumti, incidimus in attributum, eidem contingenter competens: toties attributum illud de termino minore *particulariter* tantum affirmamus. Si jam, occasione hujus attributi, incidamus in aliud attributum, quod in attributo priori necessario continetur, illud de attributo priori *universaliter* affirmamus, & idem etiam, mediante attributo priori, de termino medio, sed *particulariter* tantum, affirmare possumus. Quæ illatio fieri dicitur in D.ArII. 54) Quoties, occasione termini minoris, five dati, five pro lubitu etiam assumti, incidimus in attributum aliquod, eidem contingenter competens: toties attributum illud de termino minore *particulariter* tantum affirmamus. Quodsi, occasione hujus attributi, memoria nobis suggerat aliud attributum, quod in priori attributo necessario non continetur, illud de attributo priori *universaliter* negamus, & idem etiam attributum posterius, mediante priori, de termino minore, sed *particulariter* tantum negamus. Quæ illatio fieri dicitur in FErIO. 55) Quoties, vel dato, vel pro lubitu assumto, termino aliquo minore, recordamur alicujus attributi, rei alicui necessario convenientis: toties illud de signo rei, five de termino minore, *universaliter* affirmamus. Quodsi, occasione hujus attributi, incidamus in vocem aliquam, cujus significatus attributo absolute repugnet, & attributum illud de voce illa *universaliter* negemus: eandem etiam vocem, vel *universaliter*, vel *particulariter* de re ipsa, five ejusdem signo, quod est terminus minor, negamus, consequenter in priori casu in CEArE; in casu autem posteriori in CEArO concludimus. 56) Ponamus, nos, dato vel assumto termino aliquo minore, recordari alicujus attributi, necessario a re ipsa removendi. Quare illud de signo rei *universaliter* negamus. Jam, occasione illius attributi, incidere possumus in vocem, cujus significatus cum attributo illo absolute consentit. Affirmabimus igitur idem attributum *universaliter* de eadem voce, & consequenter vocem eandem etiam vel *universaliter*, vel minimum *particulariter* negabimus de termino minore. Qui modus inferendi dicitur CAMErEs in priori; CAMEsOs autem in posteriori casu. 57) Quodsi, vel dato, vel etiam pro lubitu assura-

to termino aliquo minore, recordemur attributi alicujus, sed contingenter saltem rei, cujus terminus datus signum est, convenientis: illud *particulariter* tantum de re affirmare possumus. Quod si, hac occasione, incidamus in vocem aliquam, cujus significatus attributo absolute repugnat: attributum illud de voce hac *universaliter* negamus, adeoque eandem vocem etiam de re ipsa negamus, sed *particulariter* tantum, quæ illatio fieri dicitur in FE si In O. 58) Quod si, vel dato, vel assumto termino aliquo minore, recordemur attributi, contingenter rei non competentis, illud de re ipsa *particulariter* tantum negamus. Quod si, occasione hujus attributi, incidamus in vocem, cujus significatus *universaliter* consentit cum hoc attributo: attributum hoc de voce illa *universaliter* affirmamus, & vocem eandem postea, de re ipsa *particulariter* negamus. Quæ illatio fieri dicitur in BA r Oc O. 59) Quoties, occasione termini alicujus minoris, sive dati, sive assumti, incidimus in subjectum aliquod, de quo terminus minor *universaliter* prædicari potest, & occasione hujus subjecti inventi, in attributum aliud, quod de eodem subjecto prædicari potest *universaliter*: toties etiam attributum illud *particulariter* affirmare licet de termino minore; qui modus inferendi dicitur DA r Apt I. 60) Quoties, occasione termini alicujus minoris, sive dati, sive pro lubitu assumti, memoria nobis suggerit subjectum aliquod, quo de terminus minor *universaliter* est affirmandus, & hujus iterum occasione, recordamur attributi, quod eidem subjecto necessario non competit: idem attributum de termino etiam minore *particulariter* negamus. Qui modus inferendi incognitum ex cognitis dicitur FE l Apt On. 61) Quoties, occasione termini minoris, vel dati, vel assumti, incidimus in subjectum aliquod, cui res, minore termino denotata, necessario competit, & hujus iterum occasione, in attributum, quod de eodem subjecto contingenter saltem prædicari potest: toties de subjecto illo terminum minorem *universaliter* & attributum *particulariter* affirmamus, consequenter idem attributum etiam de termino minore *particulariter* tantum affirmamus. Qui modus inferendi unum ex alio dicitur DI s Am Is. 62) Quoties, occasione termini minoris, sive dati, sive assumti, incidimus in subjectum aliquod, quo de terminus ille minor contingenter saltem affirmari potest, & hujus postea occasione, in attributum, quod eidem subjecto neces-

fario competit : toties de subjecto invento terminum minorem *particulariter*, & attributum de eodem subjecto *universaliter*, consequenter idem etiam attributum de termino minore *particulariter* affirmamus. Qui modus inferendi unum ex alio dicitur DATIS. 63) Quoties, occasione termini minoris, vel dati, vel assumpti, incidimus in subjectum aliquod, cui terminus minor necessario competit, & hujus postea occasione, in attributum, quod eidem subjecto saltem contingenter non competit : toties de subjecto illo invento terminum minorem *universaliter* affirmamus, & attributum de eodem subjecto, a nobis invento, *particulariter* negamus, consequenter idem attributum etiam de termino minore *particulariter* negamus ; quæ illatio fieri dicitur in BOcArdO. 64) Quoties, occasione termini minoris, vel dati, vel assumpti, memoria nobis suggerit, subjectum aliquod, cui terminus ille minor contingenter competit, & occasione hujus subjecti, attributum aliud, de eodem subjecto necessario removendum : toties terminum minorem de subjecto invento *particulariter* affirmamus, & de eodem attributum *universaliter* negamus, & proinde idem attributum etiam *particulariter* de termino minore negamus. Quæ illatio fieri dicitur in FERISOn. 65) Si, occasione termini minoris, vel dati, vel assumpti, incidamus in subjectum aliquod, definitionem, proprietatem rei ) cui terminus minor necessario non competit, & occasione hujus subjecti, in vocem, cujus definitio est ipsum subjectum termini minoris : terminum minorem de subjecto illo *universaliter* negamus ; de voce autem, cujus definitio ipsum est subjectum, idem subjectum *universaliter* affirmamus, adeoque vocem eandem etiam de termino minore, vel *universaliter* vel *particulariter* negamus. Quæ illatio fieri dicitur in casu quidem priori in CAdEmEs ; in casu autem posteriori in CAdEmOs. Fit hoc, cum a *definito* regredimur ad *definitionem*, & a *definitione* ad *attributum*, quod necessario in definitione non continetur, atque hinc de eodem *attributo* negamus *definitum*. 66) Si, occasione termini minoris, sive datus sit, sive pro lubitu assumptus, incidamus in subjectum aliquod, cui terminus minor contingenter competit, & occasione huius subjecti, a nobis inventi, in vocem aliquam, sub qua subjectum prius necessario non continetur : terminum minorem de subjecto illo *particulariter* affirmamus, de voce autem altera idem subjectum *universaliter* negamus, adeoque vocem hanc de termino minore etiam *particulariter* negamus.



gamus. Quæ illatio fieri dicitur in FE<sup>s</sup>IsO; & obtinet, cum per Regressum a definito ad proprietatem, necessario definito repugnantem, ab hac autem ad modum angustiore, qui sub definito latiori continetur, procedimus, atque hinc de modo angustiori particulariter negamus ipsum definitum. 67) Quoties terminus minor, sive datus sive assumtus, nobis in memoriam revocat subjectum aliquod, cui terminus minor universaliter competit, atque hoc subjectum iterum aliquid, quod in subjecto illo necessario non continetur toties etiam id ipsum, quod in subjecto illo necessario non continebatur, particulariter de termino minore negamus. Quæ illatio unius ex alio fieri dicitur in FE<sup>s</sup>ApO. 68) Cum occasione termini minoris, sive sit datus, sive assumtus, memoria nobis suggerit subjectum aliquod, cui terminus ille minor universaliter competit, & intuitu hujus subjecti incidimus in vocem, de qua, tanquam latiori, subjectum, tanquam angustius, particulariter affirmari potest: etiam vocem hanc latiore de termino minore particulariter affirmamus. Quæ illatio incogniti ex cognitis fieri dicitur in DigAms; atque obtinet per Regressum, in casu, in quo a genere procedimus ad speciem, & a specie ad attributum speciei universale, atque hinc de attributo illo particulariter affirmamus genus. 69) Qui hac via analytica procedet, in illius potestate erit, ex assumtis pro lubitu terminis minoribus, invenire omnis generis Conclusiones in omnibus modis quatuor Figurarum Syllogismorum regularium simplicium utilibus. 70) Illud interim satis liquet ex antecedentibus, in singulis modis utilibus servari ordinem cogitandi naturalem, dum ex dato vel assumto termino minore deducitur medius & per medium invenitur terminus major de minore vel affirmandus vel negandus, per §. 3. 71) Cum in Scientiis frequentiores sint Propositiones universales particularibus & Propositiones universales affirmantes frequentiores Propositionibus universalibus negantibus: Figuræ primæ in Scientiis amplissimus est usus, secundæ & quartæ rarior, tertix rarissimus, per §. II. 17. Tantum.

Prodiit nuper Supplem. Tomi IX Sect IX, qua exhibentur 1) Petri Coustant Epistolæ Rom. Pontificum, Tom. I, Paris. 1721, fol. 2) Hartvici Bambami Apparatus Enthymematico-exegeticus, Hamb. 8. 3) G.F.R. Schediasma de errore in æstimando motu composito. 4) Jo. Dominici Putignani de redivivo sanguine D. Januarii opus, Neap. 1723, 4. 5) Jo. Ant. Vulpii Carminum Libri III &c. Patavii 1725, 8. 6) Nic. Hier. Gundlingii Logica & Ethica, Halæ 1726, 8. 7) Jo. Joach. Langius de immortalitate animæ humanæ ex ipso naturæ lumine demonstrata, Hamb. 1725, 4. 8) Roberti Glocestriensis Chronicon Angliæ metricum, ex ed. Th. Hearne, Oxon. 1724, 8. 9) Petri Langtosfri Chronicon rhythmicum, ex ejusd. ed. Ox. 1725, 8. 10) Radulphi Thoresby Viæria Leodiensis, Lond. 1728, 8. 11) Jo. Conr. Schwartz. monumenta ingeniorum hujus & superioris memoriæ, Coburgi 1719 (sq. 8. 12) Sam. Pye Observ. circa methodos Lithotomiæ, Lond. 1724, 4. 13) Elogium Jo. Andree Danzii. 14) Elogium Dav. Nerreteri.



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Novembris Anno MDCCXXVIII.*

*DIOECESIS FULDENSIS, CUM ANNEXA sua Hierarchia, qua continentur præter parochiales Ecclesias LX, cum filiabus XCIV, nec non Oratoriis quamplurimis, Collegiæ Ecclesiæ VI, Monasteria Virorum XV, Monasteria Virginum XVI, Ecclesiæ Fuldensi tum olim, tum etiam nunc immediate ac pleno Jure subiecta. Accedunt varii religiosorum ordinum cœtus, in eandem Diœcesin liberaliter admissi. Omnia ex monumentis authenticis Historice dilucidata, addita mappa Geographica aliisque figuris æri incisæ, profert JO. FRIDER. SCHANNAT.*

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Benj. Andreæ &

Henr. Hort, 1727, fol.

Alph. 4 pl. 14 Tabb. æn. maj. 2.

**P**L. Reverend. Schannatus, editis jam in usus Historiæ Fuldensis Traditionibus & Clientela Fuldensi, ad spiritualia progreditur, atque Fuldensem Diœcesin nobis exhibet. Ne vero Diœcesis titulus cuiquam mirus videatur, in præfatione ostendit, Abbatibus immediatis, Fuldæ præcipue, nunquam negatam fuisse Diœcesin, & sub finem contra Cl. Struvium disputat, in Traditionibus chartarum nihil a se omissum asserens, quod non compareat alibi in operibus suis. Subjecta est tabula Geographica, magno studio a Viro erudito confecta. Caput I de Diœcesis Fuldensis origine, incrementis, fati & denique statu moderno inscribitur, ubi Fuldensis Monasterii, sine exemplo ab origine

p 139q.

P p p

imme-

immediati, Natales, Privilegia Regum & Pontificum, a Lullo Moguntino & Herbipolensibus impugnata atque omni ævo studiose defensa ac conservata, Jura Diœcesana, Decimaræ, aliaque, imprimis contra Fridericum ac Sigfridum Moguntinum, nec non Adalberonem Herbipolensem a Pontifice obtenta præsidia, ut & uberioribus pro omnigena exemptione probationes occurrunt. Succeedunt Herbipolensia attentata, Jurium præcipue per Bullas Apostolicas vindiciæ, ulterior exemptionis ex divisione Maximiliani in circulos probatio, Historia injustæ destitutionis restitutionisve Balthasaris a Dermbach, Fuldenfis seculi XVI Abbatis, atque inde deducta pro exemptione Fuldenfi argumenta, unde conficiatur, eam in libertate, quam & sequioribus temporibus obtinuerit, magis firmatam in dies esse, quod ad usque annum **MDCCXXII** probatur. Inde rectus gradus ad lites novissimas, quarum Historia, nec non desuper inita concordia **MDCCXXII** recensetur, atque ordo in Diœcesi Fuldenfi servandus adumbratur. Sequuntur Ecclesiæ Parochiales ordine Alphabetico, ubi ad earum Historiam aliaque eas attinentia plurima notatu dignissima comparent. Caput II de Abbatum Fuldensium exemptione omnimoda, nec non Jurisdictione quasi Episcopali in clerum ac populum tradit, ubi eam inde a temporibus Zachariæ Pontificis & Pipini Regis variis modis exercitam, Rabano, Huoggi, Richardo, Egberto, Ruthardo, Henrico I, Marquardo I, Conrado II, Berthoisque tribus continuatam, copiosius Sec. XIV, sub Henrico VI & VII illustratam, & tandem seculis XV, XVI, XVII, XVIII inter varios casus assertam atque integram illibatamve conservatam, Pl. Rever. Autor ostendit pluribus. De Hierarchia inde Fuldenfi, sive de Monasteriis, Præposituris ac collegiatis Ecclesiis, tam intra quam extra Diœcesin Fuldensem fitis, Abbatibus Fuldensibus immediate ac pleno Jure subjectis, tractatio exordium capit, ubi vetus Fuldæ splendor, quibusve occasionibus is imminutus, refertur, singulæve Ecclesiæ & Monasteria summam exhibentur, plenius copiosiusque sigillatim lustranda. Hunc in finem templum Fuldense aggreditur primum, ubi illud a S. Bonifacio constructum, a Sturmio, Bengulfo, Ratgario, Eigilique magis auctum, atque sub hoc a

Mo-

p. 71qq.

14 sq.  
36 ad 36.

37 sq.

41 sqq.

81 sqq.

Moguntino invitato denuo dedicatum, ex variis monumentis perhibet, atque loci figura antiqua ex Browero exhibita, varia in eum postmodum ab Abbatibus collata ornamenta ordine temporis pervagatur, fatisque reliquis perstrictis, ad Adalbertum, nuperum Abbatem delatus, figuraque loci hodierna æri incisa, ad sacrarium delabitur. Construxerat illud Rabanus Abbas, variisque reliquiis ornatum dederat, cujus exemplum secuti posterius, plurimis Fuldam ditarunt, quæ cum supervenientibus calamitatibus quamplurimis magnam partem perierint, paucas earum superesse conqueritur, e quibus cum pedum pastorale & pugionem affabre incisa exhibuisset, Codices, quos S. Bonifacius manibus suis tractasse fertur, uberius pertractat, atque imprimis laudat. In primo Codice 1) exstat Harmonia Evangelistarum, 2) Tabula lectionum Ecclesiæ, 3) Epistolæ B. Pauli Apostoli, 4) quibus locis Apostoli jaceant, 5) Actus Apostolorum, 6) Epistola S. Jacobi ad dispersos, 7) Apocalypsis, circa quam paulisper hæret, atque de scriptura, æri incisa, in omnibus his scriptis ferme pari, mille fere ac ducentorum annorum, seculo nempe VI scripta, plurima notatu dignissima erudite edisserit. Mox secundus Codex producitur, in quo scripta plura exstant quorum recensio- nem hæc charta non capit, ubi itidem more suo eruditum & copiosum Autor de ætate Codicum, de scripturæ genere, deque aliis, quæ huc spectant, commentarium præbet. Codex Evangelio- rum denique foliorum ex pergameno LXIII prioribus additur, haud dispar illi, quem olim ex ejusdem monasterii penu mani- bus suis tractaverat eruditissimus Bœclerus, circa quem & eodem modo certatur, atque simul S. Bonifacii ipsius manibus eum scri- ptum non esse, in luce ponitur. Ad monasteria Virorum Ecclesiæ Fuldensi pleno jure subiecta gressum promovet, quorum simul Præpositos, ubi liquet, memorat. Sunt vero: I Monasteri- um S. Andree in monte novo prope ipsam Fuldam situm, quod seculo XI liberalitate Hartmanni Comitis, a Richardo Ful- densi Abbate constructum dotatumque, ab Aribone Moguntino consecratum, Conrado II & Johanni XIX Pontifici adamatum, variis casibus afflictum, sub plurimis Præpositis inde ab A. MXXXV duravit. II Monasterium S. Andree Romanum. III

p. 64.

71.

74.

81.

91.

- S. Vincentii in Aptersrode. IV S. Dionysii in Bantz. V Baucholfs-  
 munstereuse, & VI Brachowense. Succedunt VII S. Sixti in Holtz-  
 95 sqq. kirchen, a Troando, Viro magnæ dignitatis, cujus filii jactitatum  
 imaginem tabella tradit, A. DCCLXXVII fundatum, varie au-  
 ctum, S. Januarii & Magni miraculis conspicuum, etiam reli-  
 108 sqq. quius illustre, VIII utriusque Johannis prope Fuldam conspicuum,  
 a Ratgarii tempore celebre, Ludovici Pii liberalitate, aliis-  
 115 sqq. que donis magis evectum, atque usque huc salvum. IX S. Jo-  
 hannis Baptistæ in Rhingavia seculo omnino IX fundatum. X S.  
 Mariæ in monte Episcopi, Bonifacio S. Martyri debitum, postmo-  
 dum vero studio Abbatum certatim auctum, donec 1525 in cineres  
 125 sqq. converteretur. XI Mattencellense. XII S. Michaelis in Cœmiter-  
 io, Eigilis Abbatis opus, a Moguntino consecratum, & in hunc  
 132 sqq. usque diem continuatum. XIII S. Petri in Ugesberg, consecra-  
 tum A. DCCCXXXVIII, & variorum pietatem expertum, qua  
 ad insignem magnificentiam evectum, ut proprio figillo, hic  
 conspicuo, a multis annis uteretur, tandem in rusticorum præ-  
 dam cecit, desolatumque, post seculum demum revixit. XIV  
 142 sqq. Salanum. XV. S. Solæ, quod Caroli M. ævo origines suas cepit,  
 sancti Solæ multis miraculis meritisve illustre, crevit postea sub  
 Advocatis Præpositisve ad seculum usque XVI, quo eandem cum  
 pluribus fortunam subiit, ab Advocatis Marchionibus Brande-  
 burgicis seculo addictum. Hinc Monasteria Virginum perfe-  
 quitur, quorum I Monasterium S. Mariæ in Aldendorff, II  
 155 sqq. Bischoffsheimense, III S. Mariæ in Blanckenau, quod 1265 ex  
 prædonum castro destructo exurgens, multam piorum liberali-  
 tatem provocavit, atque ad nostrum usque ævum pervenit, IV  
 159. S. Mariæ in Capellendorff Thuringiacum, post varias vicissitudi-  
 nes a monialibus post Reformationem Sec. XVI desertum, V  
 170 sqq. S. Mariæ & S. Johannis Baptistæ in Cella, Rabano Abbati Seculi IX  
 originem suam debens, quod varia liberalitate crevit, nunc ruinæ  
 176 sqq. vicinum restauratorem expectat, VI S. Mariæ Fuldæ MXI  
 conditum, MDCXXVI renovatum, VII S. Mariæ in Hœfste, cujus  
 utut antiquissimi fundator ignoratur, tandem seculo cecit deso-  
 184 sqq. lationique, VIII Karspach, IX Milzense, X S. Magdalenz in Mul-  
 hufen, XI Rodebacense, XII S. Michaelis in Rore antiquissimum,  
 nunc

nunc ad seculum reversum, Præposito & Abbatissâ a rusticis exactis, XIII Teutlæbense, XIV S. Lamberti in Tulba, MCXXVII liberalitate quorundam Ministerialium erectum, hodie inter fitum & squalorem extremum ferme ducens spiritum, XV Wangheimense & XVI Zellingense. Ecclesiæ Collegiatæ, immediate ac pleno Jure Ecclesiæ Fuldeni subjectæ, succedunt, quarum I S. Jacobi in Borsla, quæ Seculo X ad finem vergente ædificata, varia fortuna circumacta, tandem 1648 Pace Monasteriensi Lantgravium Hassiæ Dominum agnovit, Fuldeni Diocesi sola Præpositorum ferie relicta. II S. Bonifacii in Fulda, ex loco majore Borsla 1650 Fuldam translatis Canonicis, cujus actus Historia & charta comparent. III S. Bonifacii in Hamelen, quam ab origine DCCLXXV ad A. usque MCCLIX rexit Fuldenis Ecclesia, hinc Mindensi Episcopo vendita, tandem cum urbe in Ducum Brunsvicentium potestatem devenit MCCI.XI. IV S. Crucis in Hunesfelt, inde a Seculo IX minimum florens, sed multorum ab hoc tempore gravem passa jacturam. V S. Johannis Baptistæ & S. Cecilie in Rasdorff Collegiatarum censetur, Seculi VIII Ecclesia, a Rabano Abbate restaurata, inter varias vicissitudines decore ac reverenter ad nostra usque tempora habita. VI S. Petri Apostoli in Salmunster, dedicata A. DCCCLXXXV, tandem vero superiori Seculo S. Francisci familiæ donata, cum diu admodum cum ruinis conflata esset. Religiosi Ordines in Diocesi Fuldeni liberaliter admitti agmen claudunt. Scilicet I Collegium Societatis Jesu, II Conventus Ordinis Heremitarum S. Augustini Hamalæ, III Conventus F. F. Servorum B. Mariæ Virg. Augustini juxta Vache, illuc beneficio Henrici Abbatis MCCCLXVIII concedens, cujus ædes nunc tristes manent ruinæ, IV Fratrum Minorum conventualium Ordinis S. Francisci Fuldæ, V Fratrum Minorum Recollectorum Ordinis S. Francisci in Monte Mariano prope Fuldam, VI eorundem prope Hamelburg, VII eorundem in monte Volkersberg, VIII eorundem in Salmunster, IX Ædes sororum tertii ordinis S. Francisci Fuldæ. In his ordinum receptio, receptorum Historia, facta, & alia, ex monumentis fide dignis, quæ interdum integra inferuntur, describuntur, pluraque alia pro Historia Fuldeni vicinisque ad-

p.201 sqq

206 sqq.

208 sqq.

211 sqq.

221 sqq.

224 sqq

ducuntur. Reliquam Operis partem Bullæ, Diplomata, chartæ, notitiæve implent, numero prope CC, in quibus non deerit Antiquitatis omnis Germanicæ studiofo, quo animum pascat uberri-  
me. Et hæc de libro erudito strictim dixisse sufficiat, cum plura, ejus occasione vulgata, mox nobis memoranda superint.

**ANIMADVERSIONES HISTORICÆ ET  
Critice in JO. FRIDERICI SCHANNATI Dia-  
cesin & Hierarchiam Fuldensem, omnium antiquitatis Ec-  
clesiasticæ, Historiæ, Reique Diplomaticæ peritorum exa-  
mini oblata a JO. GEORGIO AB ECKHART,  
Reverendiss. atque Celsiss. Princip. & Episc. Wur-  
ceburg. Fr. Or. Ducis Consiliar.**

*Intimo.*

Wirceburgi, sumtibus Philippi Wilhelmi Fuggart, 1727, fol.

Alph. I pl. 6.

**M**ulta insigniaque incrementa hæcenus rei Diplomaticæ stu-  
dium ex scriptis eristicis cepit; suggerunt Documenta,  
suggerunt genuinos ea impugnandi propugnandique fontes, non  
parum lucis dicta illustrando in Historiam inferunt, antiquitates  
ruspantur, denique omnem movent lapidem, quo a tergo in-  
cumbenti adversario nulla cavillandi ansa relinquatur, unde  
non potest non docte, curate & eleganter scribi. Tacemus jam,  
plura adhuc rei Diplomaticæ capita procul dubio in obscuro fo-  
re, ni eruditæ lites ea scripta extorsissent, quæ alias minime expe-  
ctare licuisset a non lacessitis. Nota sunt scripta in causa Lindavi-  
ensi, *Heideri, Conringii, Tentzelii, Wegelini*, pro religiosi *Ano-  
nymi, Rasleri* aliorumque. Non ignoratur contra Magdebur-  
gicos emissa *Leuberi* nostratis Scriptorum biga, nec, quæ multos  
Viros doctissimos exerevit, controversia Osnabrugensis, aliaque,  
absque quibus si esset, in non paucis laboraremus. Ipsum nobile  
& ad omnem memoriam insigne *Mabilonii* Opus de Re Diplo-  
matica vix ac ne vix quidem in lucem prodiiisset, nisi *Papebro-  
chii* Acta Sanctorum classicum cecidissent, Diplomatum chartis-  
que Benedictinis acerrimo bello indicto. In præsens haud absi-  
mille

mile aliquid ferme patitur S. Bonifacius, dum Vir Illustris *ab Eckhart* suarum partium esse ratus est Fuldensis Archivi documenta, a Pl. Rever. *Schannato* in Diœcesi prolata, in dubium vocare, plurimis sententiæ suæ stabilendæ congestis, non invitis iis, qui Rei Diplomaticæ Germanicæ studium industriamque suam addixerunt, utpote qui sibi largum optima quæque addiscendi campum propositum vident. Scilicet Doctiss. *Schannat* in Diœcesi & Hierarchia Fuldensi, modo a nobis paucis recensita, tam veteres quam novas Fuldensis Monasterii possessiones, tam illud adhuc recognoscentes quam dudum amissas, stilo Historico illustrare aggressus, facile bilem movit Herbipolensibus, ut primus calumniam adversus illud stringeret, nescio quis, *Kilianus Meinbergius*, postmodum vero autoritate Reverendiss. Principis huic labori humeros supponeret Illustris *Eckardus*. Is vero hoc in opere omnes numeros industrii jurium Herbipolensium hyperaspistæ implevit, nil quod causæ faveret, intentatum reliquit; scripsit comte, ex annorum plurimorum experientia erudite, non sine pipere tamen omni & aceto, quamvis in præfatione, in qua causam descriptionis, & quantum sæpe hæ concertationes erudito orbi profuerint, exponit, se ab hoc scribendi genere maxime alienum profiteatur. In ipso opere, *Schannatiana* in litteras merita deprædicans, demonstrare satagit, privilegio Bonifacio Germanorum Apostolo per Zachariam P. M. concessio, exemptionem Fuldensis Monasterii a ditione, jurisdictione & autoritate Episcopi cujuscunque male asseri, cum exemptio Monasteriorum ab omni autoritate Episcopi eo ævo Canonibus & observantiæ seu disciplinæ Ecclesiæ Francicæ fuerit adversa, ipseque S. Bonifacius id agnoverit. Pergit, exemptiones ejus aut anterioris ævi, quæ ferantur, aut spurias esse, aut saltem nil præter secularia & regimen loci interius concernere, in spiritualibus Monachos Episcopo suo omnino subfuisse, eaque jura, licet varias libertates ac privilegia Monasteriis concesserint, ad finem tamen usque Seculi X Episcopis salva fuisse. Unde elicit, fuisse quidem aliquod Privilegium Zachariæ Pontif. pro Fuldensibus datum, sed Canonibus & praxi illius temporis conforme, quippe quo Episcopi Wirceburgensis autoritas in Fuldæ & ejus bona illibata manserit, longe vero diversum ab eo quod

9. 1.  
2.

3.



- quod nunc producat, quippe in quo satis absona tradi, Vir Illustris existimat. Ejusdem falsitatis reum agit Diploma Pipini Regis, utpote cujus datum erroneum, cum Cl. Schannatus annos Regni Pipinum ab unctione Stephani Pontificis numerasse credat, quæ Epochâ privilegio huic non congruat, quippe qua data necessum sit, incidere tempus dati privilegii in A. 755 mensem Junium, quo ipso S. Bonifacius aut in Frisia moratus aut plane occisus fuerit, S. Burchardus autem & ipse vivorum in numero esse jam deserit, quorum tamen utrumque ut viventem vigentemque suscipiat Diploma. Potius dicendum, Epocham Pipini, ab unctione Stephani desumptam, nunquam in usu fuisse, ipsis etiam Fuldensibus Traditionibus reclamantibus. Epocham vero a Pipini elevatione in Regem cum Fuldensi privilegio plane conciliari non posse, multa etiam esse alia, quæ privilegium suspectum reddant. Imprimis inter ea attendendum, quod Baddilo, qui Diploma subscripserit, neque A. 752, neque 755 Pipini fuerit Cancellarius, insolita etiam aut superflua formula, *in Dei nomine*, ejus subscriptioni præfigatur, nec Sigillum suspicione careat. Supposititiam etiam Stephani III Bullam credit, tum ob plurima stilo ejus ævi & disciplinæ etiam Ecclesiæ Francicæ in eo occurrentia contraria, tum ob annos etiam Pipini, quos Pontifex numeraverit, cum tamen nec numerare tum receptum fuerit, nec id fieri potuerit, cum Pipinus 768 VIII Kl. Oct. jam animam exhalasset.
9. Probat, Sturmium Abbatem nunquam pro Episcopo se gessisse, 10. potius Lullo Moguntino Præsuli paruisse, nec obflare subiectos ei vocatos Clericos, cum eo ævo Monachis hoc nomen cum reliquo clero fuerit commune. Diploma Pipini nullam exemptionem dare, sed temporalia defensionis regis subicere, spiritualibus Episcopis salvis. Post hæc docetur, exemptionem Fuldensibus sub Carolo M. non contigisse, decimas non inferre dignitatem Episcopalem, a S. Burchardo quippe concessas, chartas autem Fuldensibus eas adscribentes esse fictitias, stilo & Lotharii mentione id prodentibus, qui tamen Fuldensi territorio dominatus non fuerit, cujusque ob favorem Rabanus Ludovico Germ. pœnas dederit. Pejus etiam decimas Fuldensi Monasterio per Thuringiam vindicari Dipl. Ludovici Germanici, plane conficto, atque

que non unis falsitatis notis laborante. Johannis VIII P. M. Privilegium quoque incesit, atque haud disparem ei labem inurit, potissimum ob *Nomenci missi* nomen incognitum, nec non formulam *regnante Christo* adhibitam, cum tamen adhuc in vivis esset Ludovicus Imp. cujus anni addendi erant. Diploma Ottoni I, ut supposititium, Fuldensibus extorquere allaborat. Fuldensibus extorquere allaborat. Fuldenses Abbates Episcopis pares non fuisse commonstrat, titulo licet fratrum insignes, quo & alii usi. Conventio Wolfgarii Episcopi Wirtzburg, cum Ratgario Abb. Fuld. vapulat, ut in Diocesi conficta. De Ratgario aliisque Abbatibus Fuldensibus observatur, eos in temporalibus Regi, in sacris Archi-Episc. Moguntino & Episc. Herbipolensi subjectos fuisse. Ecclesie Wurciburg. per exemptionem Fuldensis Monast. Sec. X nil decessisse, cujus quippe posthac semper tam parochiales quam filiales Ecclesie subfuerint Wurciburgensibus. Caput II Dioceseos examinaturus, exemptionis Fuldensis fundamenta omnino ruinosa censet. Non probari eam Marini II Papae privilegio, ab Agapeto II confirmato. Idque clarius apparere, si privilegium Gandersheimense ejusdem Agapeti cum Fuldensi contendatur, quo Hildesheimensi Episcopatu nil decesserit. Sequentia Zachariae privilegium ex Mariniano confictum adstrunt. His exantlatis Vir Illustris contra Cl. *Schannatum*, Sturmium Saxonum Apostolum, non vero quasi Episcopum, Ecclesiarum autem dedicationes & constructiones non sine autoritate Episcopali susceptas, probat. Bullam Johannis XIII Pontificis de Primatu Fuldensi ad fabulas ablegare nititur, atque Ottonum I & II coronationis annos, atque Indictiones a Kal. Septembr. inchoatas Pontificibus, in aprico ponit, quo id pateat magis. Eodem modo suspectam reddit Sylvestri II Bullam pro Monasterio Fuldensi, ex cujus contentis varias falsitatis notas exsculpit, simulque Fuldensium Abbatum prerogativas in dubium vocat. Clementis II familiam vitæque compendium sistit, bullam autem pro Fuldensibus impugnat, imprimis Monasterium S. Andreæ Romanum iis eripere satagit. Idem plane fatum manet secundam pro Fuldensibus Clementis Bullam, sequiturque ulterior vitæ Clementis recensio. Paulisper hinc in diverticulum digreditur,

§. 15. 16.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
20.  
21. 22.  
23.  
24.  
25.  
26.  
27. 28.  
29.  
30.  
31.  
32.

- ditur, atque ut exemplo declaret, in Autographis vel minima non ferenda, in Apographis tolerari utcumque posse, Diplomatis Henrici III exemplum pro Ecclesia Herbip. quondam productum examinat, atque licet n̄vis quibusdam laboret, nihilominus salvam rem, atque injuria rejectum esse, existimat. Lustrata Diœcesi Hierarchiam expendit, atque de dedicatione primarii templi Fuldenfis, & festo omnium sanctorum agit, hacque occasione
33. Archi - Episcopi Moguntini in Fuldâ juribus favet. Chartam
34. Richardi Abbatis de fundatione & dotatione Monasterii S. Andree in monte novo hypobolimazam declarat, cum Conradus II
35. 1030 Romæ non degerit, nec Principes, qui nominentur, fuerint in vivis. Monasterium S. Andree Romanum Fuldæ eripit. Monasterium Banzienfe fuisse ab antiquo Diœceseos Herbipol. probat,
36. eique Monasterium Brachovenfe & Holtzkirchenfe adscribit,
37. ubi simul nonnulla monumenta scrutatur, imprimis illud quod Cl. *Schannatus* æri incisum dederat ac hic repetitur, Albuwino Comiti, qui Caroli Calvi filium graviter vulneraverat, vindicatum. Refert eodem loco Diploma Wirzburgense Ottonis III, quo pagus Waldsâtze, in quo Holtzkircha, Ecclesiæ donatur, atque in sequentibus probare nititur, Holtzkircham Diœcesi Herbipolensi fuisse subjectam. Monasterio SS. Johannis Baptistæ & Evangelistæ prope Fuldâ omnia a Moguntinis obtigisse, Ludovici vero Pii donationem ei factam spuriam, multis argumentis perhibet. Circa Monasterium porro S. Mariæ in monte Episcopi occupatur, atque Fuldense Jus Diœcesanum in illud oppugnat.
40. Monasteria, Mattencellenfe. S. Michaelis in cœmiterio, & S. Petri in Ugesberg, autoritate aut Episcoporum aut Archi - Episcopi Moguntini Fuldensibus curata perhibet, qui adeo tum non fuerint immediati, ut Rabanus, Lothario favens, a Ludovico Germanico, inconsulto Papa, gradu fuerit dejectus, quod immediato contingere minime potuerit. Monasterium Salanum quale & ubi situm fuerit, disquiri, Diœcesi Herbipolensi illud accensens. Monasterium S. Solz in spiritualibus Episcopo Eistenfi paruisse, licet ad Fuldenses pertinuerit, propugnat. Monasteria Altdorfense & Bischofsheimense Diœcesi Moguntinz vindicans, in hoc plane omne jus Fuldensibus denegat. Monasteria-

nasterium S. Mariæ in Capellendorff Moguntinæ, Monasterium §. 49.  
 S. Mariæ & S. Johannis Baptistæ in Cella in pago Tullifeld Her-  
 bipolensi Ecclesiæ addictum rationibus firmat, in Historia hujus  
 plurima ex Archivis Wurceburgensibus illustrans, quasque vicis-  
 situdines passum fuerit, simul exponens. Inspergitur disquisitio  
 de Situ hujus Cella, ubi duas fuisse Cellas Vir doctus suspicatur,  
 infamul vero fines pagi Grabfeld & Tullifeld regit. Monasterium 50.  
 Carspach sive Caragoltesbach, Fuldensibus ereptum, Her-  
 bipolensibus restituit. Milizensis cœnobii eadem conditio, 51.  
 eique fini donatio Ermhiltæ pro Fuldensibus suspecta statuitur.  
 Monasterium Rodebacense Moguntinis, Monasterium Rora Her- 52.  
 bipolensibus, Monasterium Teutlebenense iterum Moguntinis 53.  
 vindicat. Monasterium Tulbense Diœceseos Wurtziburgensis esse, 54, 55.  
 itidem Vir doctus credit, obiter Rupertum Præpositum, qui 1299  
 vixerit, in Diœcesi omnium commemorans. Itidem Monasterium 56.  
 Wangheimense & Monasterium Zellingenense in pari causa consti- 57.  
 tuit. De Ecclesiis Collegiatis immediate ac pleno jure Ecclesiæ 58.  
 Fuldensi subiectis universim monetur, plerasque aut Moguntinæ,  
 aut Herbipolensis fuisse Diœceseos. Inde primo Carolum M.  
 non vastam planitiem ad dextram Hunæ, sed spatium modicum,  
 (quæ campi significatio) Fuldensibus donasse, Hunofeldum Diœ-  
 cesis Wurceburgensis fuisse, ut & Rasdorffense Monasterium, 59.  
 contra Salmunsterensis Ecclesia Diœceseos Moguntinæ, perhibe- 60.  
 tur. Seriem Chronologicam rerum præcipuarum hætenus pro- 61.  
 latarum assert. Demum concludit, Fuldense Monasterium us- 62.  
 que ad A. 1500000000000000 nihil præ aliis singulare habuisse, quo de-  
 mum Reformationem alias fieri solitam defugerit, atque Hada-  
 mari Abbatis astu Privilegium Zacharianum, antea inauditum, p.103  
 effectum sit, quæ vera Epocha libertatis Fuldensium. Ab eo enim  
 tempore Ecclesias Monasterii Fuldensis non amplius ab Archi-E-  
 piscopo Moguntino dedicatas, & Abbates ab eodem non amplius  
 benedictionem recepisse. Id cum odio Friderici Moguntini con-  
 tigisse Vir Illustris existimet, operosam ejus defensionem suscipit,  
 simul nonnullas ad Historiam ejus conferens symbolas. Licet  
 vero hæc Jura Moguntinis perierint, Regibus tamen & Herbipo-  
 lensibus autoritatem suam in Monasterio & territorio Fuldensi

- §. 63, 64. mansisse illibatam edicit, & curatius secundum temporum seriem demonstrare nititur. Subsequatur Epilogus & Addenda Emen-  
dandave, ubi ad p. 32 notitia de conventionē Retbacēsi sublesta fidei crimen & ipsa incurrit: ad p. 62 ex alio Apographo variz Le-  
ctiones Diplomatis producti exhibentur, ejusque *à vtevdia* magis firmatur. Additur operi Index.

*VINDICIÆ QUORUNDAM ARCHIVI FULDENSIS Diplomatū, a Nobiliff. & Clariff. Viro, JOH. GEORGIO AB ECKHART, perperam impugnatorum, cujus insuper in Diocesin & Hierarchiam Fuldensē Criticæ Animadversiones expunguntur: posteriores vero etiam in universam Historiam Fuldensē conatus prævie eluduntur; tum simul nova ad rem Germaniæ Diplomaticæ subsidia, additis veterum scripturarum speciminibus, nec non sigillorum eclypis, in æs incisus, subministrantur*  
a JO. FRID. SCHANNAT.

Francof. ad Moen. apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1728, fol.  
Alph. 1 pl. 7 Fig. 2n. Tabb 12.

**A**lterum, quod nobis controversia Fuldensis peperit, scriptum vides, in cujus præfatione doctissimus *Schannatus* historiam scripti sui textit. Primum nimirum se lacesitum ait a quodam *Ostrofranco*, quem ipse rectius *Oestro* percitum *Francum* compellandum esse existimat, cum parum ad rem, nil nisi conviti-  
orum plaustra attulerit. Inde se oppugnandi onus devolutum in *Illustr. Eckbartum*, amicum olim sibi conjunctissimum, cujus solius rationes in speciem firmas, priorem aspernatus, nunc sibi trutinandas existimet. Opinatur *Cl. Schannat*, *Eckartino* more incedendo, non difficile sibi futurum, cuncta Archivi Herbipolen-  
sis Diplomata in dubium vocare, idque ut declaret exemplo, *Otonis III Imp.* Præcepta bina ab *Illustri Eckbarto* prolata examinat, utrumque in mendo cubare pluribus demonstrans. Scilicet deesse formulam *in Nomine sanctæ & individue Trinitatis*, contra stilum alias consuetum *Otonem* dici *Servum Jesu Christi*,  
Hen-

Henricum Episcopum *Dominum*, donari pagum Saltzgowe, Comitatus Waltfazia & Rangowe, ex quibus tamen Henricus III & IV adhuc Fuldensibus & Frisingensibus bene fecerint, quorumque hunc ex Henrici II donatione integrum sibi vindicet Bambergensis Ecclesia, in illo vero quovis tempore Fuldenſis Ecclesia opimas possessiones constanter tenuerit. Cum vero utriusque Diplomatis subscriptio & ipsa suis prematur nævis, concludit, utrumque supposititium esse. Succedit examen Bullæ Ottonis plumbeæ Diplomatis appensæ, quæ cum Mabilloniana comparata multum erubescat. Henrici III Diploma, sæpius jam productum, sæpius rejectum, eandem heic patitur fortunam, utpote datum MXLVIII III Non. Febr. Indict. II, in Moguntina Synodo, assidentibus Pontifice & Imperatore; cum tamen hæc 1052 demum habita, & ille A. 1048 nondum fuisset in Pontificem consecratus. Sub finem præfaminis Cl. Autor Ecclesiæ Herbipolenti se devotissimum, & hætenus dicta eo tantum pertinere ait, ut quam non sufficiant, quamque parum Ecclesiæ profint *Fckhartina*, liquido ostenderet, ceterum se posthac hanc ferram non amplius recipiaturum, testatur. Post præfationem se sistunt æri incisæ Bullæ *Clementis II*, *Benedicti VIII*, *Leonis IX*, *Alexandri II*; Diplomata *Pipini Regis*, *Caroli M. Regis*, *Ludovici Pii Imp. Lotharii Imp. Ludovici Germ. Reg. Ludovici III Germ. R. Caroli Crassi Imp. Arnolſi Regis*, *Ludovici Infantis*, *Conradi I Regis*, *Henrici I Regis*, *Ottonis I Regis*, *Ottonis II Imp. Ottonis III Regis*, *Henrici II Imp. Conradi II Regis*, *Henrici III Imp. Chartæ Hattonis Abbatis*, *Ricardi & Ruthardi Fuldenſium*. In ipsius operis Propylæo varia Archivorum fata deslet, in Fuldenſis Archivi historia desinens, quod licet multa pertulerit incommoda, Bullarum, Chartarum, Diplomatum, Notitiarum egregiam etiamnum segetem ostentare refert, ejusque particulas nonnullas in præfens se aut vindicaturum, aut uberius illustraturum, pollicetur. Conquestus inde de difficultatibus circa Diplomata & Bullas occurrentibus, *Bullam Zachariæ Pontificis* a suppositionis nota ei inusta liberat, imprimis Illustri Adversario opponens, Privilegia a vulgo receptis & jam competentibus abire, adeoque de Fuldenſi id non mirum. Accedere

p. 159q.

559q.

verba Bullæ non absona, nec a stilo reliquarum Bullarum abhorrentia, a quibus nec diversum sit datum, ut adeo omnes *ioðe:oc* notæ evanescant. Minime gentium vero Ottonis I demum ævo hanc Bullam a falsario conceptam, cum eo ævo tot tantaque extra teli jactum constituta privilegia Fuldæ jura satis muniverint, ut ad falsa confugere necessum non fuerit. Atque has libertates postmodum ad nostrum ævum usque ab omnibus Pontificibus cum Jure Diocæsano Fuldensi conservatas, atque contra Moguntinas ac Herbipolenses præteniones in tuto collocatas. Succedit *Stephani III* Bulla, quam Vir doctus A. DCCLIV datam, adeoque Illustris *Eckharti* objectiones, ab A. DCCLXIX desumptas, se non tangere demonstrat, verba etiam vitii nil alere statuit, cum de Regibus sæpius verbum *Imperare* prædicetur, imo hi quandoque Imperatores dicantur. Clar. *Eckhartum* in eo quoque fallere, quod a *Zacharia* nondum in protectionem susceptum Fuldense Monasterium doceat, sed demum a *Stephano*; cum contrarium expressis verbis commonstrent *Epistolæ Bonifacianæ*, a quarum ævo haud abludat, *Ecclesiæ Romanæ* tuitionem implorare in eamque recipi, id quod exemplis plurimis probatum it, nec *Legibus Francicis* adversum fuisse sustinet. *Gregorii IV* Bullam Protectoriam, a *Gretsero* quondam editam, male sibi obtrudi, aliam vero in *Cod. Probat. Hist. Fuldenis* a se relatam genuinam adstruit, qua occasione, quando verba *Bene Valente* in Pontificiis Bullis primum occurrant, disputat, atque ad *Hadrianum I* usque adscendi posse dicit. Post hæc *Johannis VIII* Bullam vindicat, imprimis datum, in quo pro verbo *Nomenclatoris*, quod tantopere vellicabat *Illustr. Adversarius*, sublato mendo scriptoris, *Nomencl. missi* restituit, & ad rem, hunc *Stephanum Nomenclatorem* fuisse, imo *Nomenclatoris, Missi & Apocripharii* munèribus ex antiqua *Ecclesiæ consuetudine* simul præesse potuisse, testimoniis firmat, varias *Diplomatum emendationes*, ubi similia errata calami commissa, suggerens. Pari eruditione alterum argumentum diluit, *Romæ* etiam durante *Imperatoris regimine* nonnunquam annos *Pontificum* numeratos, aut *regnante Domino nostro Jesu Christo* additum contendens, nec ultimo loco obstare vocem *Papæ*, hanc enim sæpius *Episcopis*

pis attributam. *Marini II* Bullam, ex qua confictam Zacharia-  
 nam Vir Illustris existimaverat, tangit, atque falli eundem,  
 pluribus demonstrare nititur. *Agapeti II* Privilegium itidem  
 defendit, argumentis ad Ecclesiasticam quoque Jurisdictionem  
 extensis, dato, ubi dies binis vicibus positus occurrebat, per  
 exempla plurima adstructo, indeque digressionem ad Gandershei-  
 mensia duce *Eckharto* instituta, ut quam recte & illic Vir Illustris  
 versatus sit, cognoscatur. Succedit *Johannis XIII* Bulla, cujus  
 datum vitiosum concedit, nec id novum esse Cancellariæ Pontifi-  
 ciæ in Imperatoriis annis, exemplis & doctorum querelis pluri-  
 mis illustrat. Contra in indictionis aliunde quam a Kal. Septemb.  
 computatione vitii nil latere monet, cum inde deducendam esse  
 eam, multis, imo hujus Pontif. pro Trevirensibus Bulla, obstanti-  
 bus, nondum sit in expedito. Circa *Johannem XV* ejusque Bul-  
 lam occupatus, Hattonem ejus ævi Abbatem Fuldensem, nulli an-  
 tehac memoratum, detegit, tum Indictionem a Kal. Januar. in-  
 choatam signat, Ottonem III quoque Imperialem coronam co-  
 gitasse, probat. Ad *Sylvestrum II* delatus, diem emortualem præ-  
 decessoris ejus *Gregorii V* 2 Id. Febr. fuisse, contra communem sen-  
 tentiam, eique 2 Apr. *Sylvestrum* successorem datum, explicat, &  
*Eckharto* suspectas locutiones Bullæ pluribus ejusmodi aliunde  
 allatis tuetur. Primatum vero & Proedriam Historiæ Fulden-  
 si, quam parat, reservat. *Benedictus VIII* ὡς ἐν παρόδῳ obiisse  
 monetur 1024 VIII Id. Apr. ubi & de more exaltandi privilegia  
 differitur. Circa ipsius Diplomatis ἀντιγραφῶν adstruendam labo-  
 rans, duplices notas Chronologicas, alteram scripti, dati alteram,  
 non semper necessario adesse, indictionem heic loci a Kal. Ja-  
 nuarii auspiciari Cancellarium, imprimis vero Archi-Cancellaria-  
 tum Romanæ Ecclesiæ Coloniensem ab his temporibus & a Be-  
 nedicto VIII repetendum esse, edisserit. Hic licet in desuetudi-  
 nem abierit, inde tamen originem Vice-Cancellarii Rom. Eccle-  
 siæ deducendam, pergit, multas eruditas observationes addens de  
 origine & nomine Archi-Cancellarii, quem eundem cum Primice-  
 rio Notariorum esse, adeoque antiquissimam dignitatem tenuisse,  
 suspicatur. *Clementis II* Bullarum bigam simul vindicat, alteram  
 more scribentium, & Exajalonem, ignotum Sanctum, pluribus  
 nunc

p. 18 sq.

25 sqq.

51.

35 sqq.



nunc ignotorum exemplis tuendo; alteram docendo, sæpius numerum rotundum, ex. gr. CC, in medio ævo adhibitum, eo, quod numerum rotundum excurreret, reciso; annos Christi etiam ante Leonem ex Bullis Pontificiis nonnunquam additos, verbis quoque, *scriptum hoc Privilegium per manus*, pluribus exemplis defensis. Obiter, an *Clemens II*, ut Pontifex, Episcopatum Bambergensis retinuerit, disquiritur, & ab Illustri Adversario id quidem parum firmis argumentis probari, ostenditur. *Leonis IX* Bullam adducit, qua Fuldentibus concessa firmat, notatque in transitu, hunc Pontificem primum verba *Bene Valet* in Monogramma redigisse, ejusque Bullam, in Probat. H. F. edendam, non amplius Longobardico, sed Romano caractere minuto, si pauca demas, scriptam esse, observat. *Victoris II* Bullæ recensum, & æri incisam ipsam Bullam plumbeam nitidam admodum, *Alexandri II* Bulla Protectoria, *Calixti II* itidem amplissima, *Innocentii II* tria insignia Rescripta Protectoria, *Eugenii III* Privilegium de A. 1151, tandemque insignis ac præstantissimum *Anastasi IV* 1154 beneficium, summam relata, sequuntur, proxime in Probat. Hist. Fuld. edenda.

Pontificias Bullas excipiunt Regia Diplomata, ubi Autor paucis de exordio anni in Germania media præfatus, cum nonnunquam a Kal. Jan. nonnunquam a natali Domini, & demum a Paschate computatum eum retulisset, *Pipinum Regem* in arenam producit, cujus Cancellarium fuisse Baddilonem, fortassis etiam Franconem, indicat, vitamque Regis breviter perstringit: inde primo loco sigillum, ab Illustri Censore oppugnatum, tuetur, atque omnino dari sigilla Pipini cum inscriptione asserit, qualia genuina non oculis suis usurpaverit Mabillonius. Annos regni Pipini ab A. DCCLIV ut plurimum, nonnunquam autem diversimode numeratos, evincit, idque turbis adscribit. Beatæ Memorix Carolomannum ut Diplomati suo non officere ostendat, eum intra A. DCCLIV & LV exordium animum exhalasse, Bonifacii autem subscriptionem nec ipsam sine exemplo esse, probat. S. Burchardum Herbipolitanum DCCXCI demum satis concessisse, latius deducit, aut si alius mortis annus retinendus, hunc Burchardum in Diplomate diversum a Sancto illo esse posse patat, ubi etiam obiter *Willibaldus* Eichstetensis Episcopus contra opinio-

nem

nem communem adhuc DCCLXXXVI in vivis fuisse, & quæ E-  
gilwardi, scriptoris vitæ S. Burchardi, in rebus Herbipolensibus  
fides & autoritas, uberius demonstratur. His exantlatis, ex Jure  
Publico ævi medii Præfecti dignitas & honos illustratur, Can-  
cellarii subscriptio, nec non præposita ei invocatio *in Dei nomine*  
exemplis muniuntur, Chrisma vero Notarii rem esse ignotam  
probat, cui explicandæ tempus perdere necesse sit. Succedit  
*Carolus M.* cujus vita, gesta, conjuges, notæ Chronicæ, altera ab  
A. 768 regni Francorum, altera ab A. 774 regni Longobardorum,  
tertia ab A. 800 Imperii, quarta & quinta privata, illa ab A. 877,  
hæc ab A. 802, Archi-Cancellarii porro, Cancellarii seu Notarii li-  
beri, &c. recensentur. Dubium *Eckharti* de titulo *Caroli M.* solvi-  
tur, Holtzkircha Monasterio Fuldensi vindicatur, Episcopum  
vero Herbipolensem tantum honoris causa ad eum locum fuis-  
se invitatum, conjicitur, imo ex ejus Epistola demonstratur, nil  
sibi eum Juris in Fuldam arrogasse, nec posteris ejus Holtzkir-  
cham celsisse unquam, probatur. Binis absolutis, tertium Diplo-  
ma *Caroli* pro Fulda dilucidat, ejusque ductu de Ecclesia S. Jo-  
annis in Hamelburg nonnihil disputat. Sextum Diploma iisdem  
implicitum dubiis eximit, atque non parvum territorium, sed  
amplissimum inde eruit. Septimum Diploma *Eckharto* ereptum  
it, ostendens, *Patricii Romanorum* titulum nonnunquam in Diplo-  
matis *Caroli M.* post indeptum Imperium occurrere, decimasque  
ab omni ævo Ecclesiæ Fuldensi competiisse, docet, nullam fassus  
Burchardi Wurtzib. liberalitatem. *Ludovici Pii* chartis præmit-  
tuntur vita, conjuges, liberi, Cancellarii, Notarii, quorum plures  
numerantur, quam vel *Mabillonius* vel reliqui docti unquam  
observarunt. Diducit postea Vir doctus latius, nihil in Diocesi  
a se commissum, quod cum Buchonia vetere pugnet, chartas ad-  
ductas diversas a se invicem, imo Instrumentum Legatorum  
*Ludovici Pii*, a se in Probat. Hist. Fuld. producendum, probatu-  
rum latius, eo imperante Herbipolenses Fuldensibus decimas re-  
stituere coactos, idque *Ludovicum Imperatorem* insigni Diploma-  
te protectorio confirmasse. Reverfus ex hoc non ingrato Lectori  
diverticulo, foresta Bramvorst & Saltzvorst Fuldensibus asserit,  
Monasteriorum Regalium conditionem illustrat, atque alterum

p. 52 sqq

55.

56 sqq.

63.

Ludovici Diploma, immunitatem a teloniis indulgens, recenset. Apographum suam Diplomatis cujusdam Ludoviciani corroborat, *gratia Dei* se dixisse Ludovicum subinde, probat, verum significatum vocis Secretarii, nec non Ludovici A. DCCCXL Fuldæ præsentiam eruit, reliqua paucis refellit. *Lotbarii Imp.* vitam, conjuges, liberos, computationes annorum regiminis diversas, in Bajoaria præsertim, quæ ab omnibus aliis discrepant, mortem, Cancellarios & Notarios, excipiunt Diplomata, ubi velut singulare notatur, vigentibus inter Ludovici Pii filios litibus nonnullos Notarios a morte Ludovici Pii computatione in suis scriptis usos. Diplomatum comparet trias, unum in Traditionibus relatum, bina in Cod. Probat. H. F. comparitura, dat. 841 & 853, quæ non nullius momenti fuisse in Germania ipse contendit, quandoquidem non plane nulla in fratrum regnis fuerit Lothario, sicut nec sequioribus Imperatoribus in reliquis Francicis regnis autoritas, uade ad *Chartam Huttonis*, nec non autoritatem Pontificum & Imperatorum in rebus Ecclesiarum spiritualibus & temporalibus transitus sit, & utraque latius declaratur. Diplomatum *Ludovici Germaniæ Regis* vita, conjuges, liberi, Archi-Cancellarii, Notarii &c. præfiguntur, Epochis, altera regni Bajoariorum DCCCXXVI, altera Francorum DCCCXXXIV, tertia revindicatæ Franciæ orientalis DCCCXXXIX, quarta ab obitu Patris DCCCXL, ab obtrectationibus defensis. Primum Diploma Protectorium est, secundum decimas nonnullas per Thuringiam S. Bonifacio addicit, in quo insoliti nihil, nec aut formulam Ludovici Imperatoris filii, aut binos ternosve Archi-Cancellarios vel Archi-Capellanos eodem tempore a receptis moribus abhorere, nomen Heburhardi diverse scriptum esse, datum nil monstri alere, utpote ab Illustri Viro adducto ubique simile; fortassis etiam distinguendum inter datum & actum, cum alibi datum, alibi actum passim invenire sit, adstruitur. *Ludovici III* tempora attingens Noster, inter fratres summam celebrans concordiam, hujus vitam, acta, conjugem, liberos, Archi-Capellanum & Notarios, per transennam refert, binaque ejus Diplomata, propediem edenda summam perstringit, eum non primum Regum Francorum annos Christi Dipl. subjunxisse, sigillum vero caput galeatum

tum ostendere, edifferens. *Caroli Crassi* vita, conjux, Archi-Cancellarii, Notarii &c. comparent, mors in A. DCCCCXXX VIII Id. Jan. rejicitur, cujus primum pro Fuldeasibus Diploma, dato, ut plura, deslitutum, proxime promittitur, inierim ex specimine ejus, tremulam scripturam jam Sec. IX in majoribus minimum literis apud Germanos cepisse, contra Mabillonium adstruitur. Occasione secundi hujus Imp. Diplomatis inquiri erudite in Canones Chronicos regiminis Carolini, quorum primum depromit a regimine Alemanniæ, vivente patre, alterum a Patris obitu DCCCLXXVI, tertium ab Italico regno DCCCLXXXI, quartum ab indepto Burgundico regno DCCCLXXX, quintum a Ludovici fratris obitu DCCCLXXXII, sextum ab obitu Carolomanni Gallorum Regis DCCCLXXXV; cum Mabillonius tantum III Epochas commemorarit. *Arnolphi Imp.* vitam more suo Pl. Rev. Autor erudite percenset, tres ejus Archi-Cancellarios primus eruit, Notarios non paucos, Diplomata ejus edita pariter ac propediem edenda bina affert, circa titulos ejus versatur, data examinat atque exordium regni Arnolphum A. DCCCLXXXVII statuisse, dubio carere putat, Italici vero Imperii Epocham ad A. DCCCXCVI pertinere concedit. Observat præterea alium ab hoc calculum in Romanis ei usu tritum, ab anno nimirum DCCCXCIV, quo primam expeditionem in Italiam susceperit, ad varias postmodum observationes circa Monogramma, sigilla & Diploma Hervordienste progressus. *Ludovici Pueri* vita, Archi-Cancellarii, Cancellarii &c. Diplomata præcedunt, in quibus hunc diversis & titulorum & invocationum formulis usum commemorat, variaque circa Diploma Fuldense, ejus scripturam ac sigillum observat. *Conradi I Regis* vitam dum Vir doctissimus cum uxore, Archi-Cancellario Cancellariisque propinat, circa mortem ejus observat, obiisse Regem DCCCXVIII X Kl. Januarii, Fuldæque sepulturam invenisse, reliquos verò, qui diversum ab hoc tradant, Patrem cum filio confundere. Ante Regnum Hassiæ & Angariæ Pro-Rex, Fuldæ vicinus, inde Rex tria ei clarigitus est Diplomata, quorum primo quædam tradit, secundo vetera firmat, tertio Triburiam Monasterio ad dies vitæ matris suæ in concambium cedit. Ad *Henricum I* conversus Noster, de con-

p.77 149

83.

juge, vita, Archi-Cancellariis & Cancellariis, liberis denique & Epocha agit, quam ad A. DCCCCXIX referendam, ex binis Fuldenfibus ejus Diplomatis demonstrat, unde subjectis quibusdam circa sigillum observatis, ad *Ottonem I* se transfert. Hæc vita, obitu, conjugibus, liberis, Archi-Cancellariis & Cancellariis tam Germanicis quam Italis memoratis, Epocham duplicem, alteram Regni DCCCCXXXVI, Imperii alterum DCCCCLXII, ei adscribit, duoque Præcepta autographa ex Archivo profert; unde de titulis & invocationum formulis constat expeditius. In secundo diutius subsistens, diluit inde Zachariani, quibus falsi poscitur, notas aut simplici negatione, aut uberiori demonstratione, quæ cuncta variis observationibus Historico-Diplomaticis resperfa sunt. Ordine ad *Ottonem II* deductus, de vita, obitu, conjugibus, liberis, Archi-Cancellariis & Cancellariis quædam delibat, hinc ejus in Fuldenses beneficentia deprædicata, titulum & invocationes sub examen vocat. Amplissimum Ottonis hujus Diploma, propediem comparaturum, recenset, contenta ac sigillum illustrans; mox pari diligentia circa secundum versatur, unde etiam Hurfillam, parvum Thuringiæ rivum, quondam navigabilem, constat. Paucis inde de Diplomate quodam jam publicato adjunctis, *Ottonis III Regis* fata & obitum in luce ponit, eum X Kal. Febr. contigisse probans, quo factò Archi-Cancellarios & Cancellarios Germanicos & Italos percenset. Hujus unicum Diploma memoratur; quod Branthoo Abbati, Browero ignoto, is elargitus, in Cod. Probat. Fuld. publicandum. *Henrici II* natales, facta, obitum, conjugem, regni Epocham ab A. MII deductam, Archi-Cancellarios Germanicos & Italos propinans, ab hoc varia in Fuldenses dimanasse gloriatur. Primo MXIX monetam, mereatum & telogium, qua occasione de titulo & invocationis formula; deinde confirmationem Jurium; tertio præceptum de navigatione in Hurfilla; cuncta magni momenti. *Conradi II* & conjugis gesta fataque, nec non illius Archi-Cancellarios & Cancellarios Italiæ & Germaniæ describit. Quibus absolutis, unica ejus anecdota adhuc Fuldenfis charta examini subjicitur, atque observatis circa titulum & inscriptionem, nec non locum dati necessariis, Epocha regni a VI Id. Sept. MXXIV derivatur, de Imperiali vero accurata

p. 93.

98.

accurata disquisitione habita, tandem concluditur, licet contra sententiam communem, non MXXVII sed MXXVIII demum Romæ coronatum Conradum fere constet, ab utroque tamen anno Epochas hic illic decurrere. Sequuntur *Henrici III Imp.* acta illustra, conjuges, liberi, Archi-Cancellarii, Cancellarii Germanici & Italici regni, nec non designatio duorum Præceptorum pro Fuldensibus, ejusdem ferme tenoris, sed diversorum annorum. Hic Noster ternas Epochas Henrici designat, unam ordinationis MXXVIII, alteram regni MXXXIX, tertiam Imperii MXLVI, quibus nonnunquam accesserit quarta regni Burgundici MXLIII. Sic vero hac etiam parte absoluta ad notitias chartasque privatas festinat; ibique discrimine inter chartas ac notitias privatas curate enodato, simul de *ἀντεροδία* paucis adjectis, I notitiam pro *Monasterio S. Andreae prope Fuldam Eckharto* purgat, testes ut præsentem tum commemoratos scriptorum ætate supparium fide extra teli jactum collocat, multis de eorum vita, nec non de Ducis & Comitis in medio ævo nomine erudite inspersis; occasione alterius Diplomatis, sigilli, tam Monasterialis quam Abbatialis, usum Fuldæ jam ab antiquo fuisse observat. II *Monasterium Dionysii in Banz* reliquave cuncta tam virginum quam virorum, his vel illis, ut visum, attributa, Fuldensibus iterum vindicat, de Mundiburdio, Nobilibus &c. eruditis ubique observationibus insertis. Opus ipsum excipit Index, cum erratis nonnullis, circa quæ hic monendum, cum Autori non semper præsentem esse liceat, Bibliopolarum incuria quædam alia irrepsisse, quæ lectoris dexteritati corrigenda permittit. Ceterum cum P. R. Autor in hoc opere sæpius Historiæ Fuldensis suæ mentionem injiciat, eamque intra X plus minus menses integram III Volum. proditaram, aliunde cognoverimus, id Lectores nostros ignorare nolumus.

p. 103

**JOH. CASPARI SVICERI, SS. LINGUARUM**  
*in schola Tigurina Professoris publici, Thesaurus Ecclesiasticus, ex Patribus Græcis ordine alphabetico concinnatus.*  
*Editio secunda, priori emendator, elegantior &*  
*longe auctior.*

Rrr 3

Amstæ

Amstelodami, apud R. & J. Wetstenios & Guil. Smith, 1728, fol.  
Alph. 18.

**Q**UI A. MDCLXXXII primum Amstelodami apud Henr. Wetstenium in lucem publicam exiit, & ab eruditis Viris nocturna diurnaque manu adhuc versatus est, is jam iterum emendatior, elegantior & auctior exhibetur, Thesaurus Suicerianus. Nos quidem in præfenti hujus ad Cleanthis lucernam elucubrati operis recensione, utpete jam olim a nobis primo hœrum Actorum Tomo, nempe A. 1682 p. 171 iſq. adornata, ne actum agamus, jure ac merito superfedemus, ea tantummodo, quæ hanc alteram editionem imprimis commendant, breviter enarraturi. Præterquam igitur, quod charta paullo melior & augustior est, hanc quoque editionem a mendis, quæ in priorem irreperant, typographicis, omni navata opera repurgandam curarunt editores. Cum vero etiam Doctilimus Autor, tanquam bonus Homerus, in tam præstanti monumento nonnunquam dormitaverit, voces ac phrasæ rectiores interdum substitutz, & allegatorum Græcorum versiones vitiosæ, quas *Suicerus* inconsulto secutus est, emendatz nunc inveniuntur. Præcipuum denique, & quod utramque hic paginam facit, illud est, quod in fine subjectæ sunt non contemnendæ Additiones *Job. Henr. Suiceri*, Linguar. Hebr. & Græcæ in Gymnasio Tigurino quondam Professoris & Canonici Tigur. Autoris Filii, opera *Job. Jac. Breifingeri*, verbi divini ministri Tigurini, ex Thesauro *Suiceri* Patris, quem Filius quondam possedit, & manuscriptis observationibus adauxit, diligenter excerptæ. Hunc nimirum Codicem ex Bibliotheca sua cum ipso communicavit *D. Job. Casp. Escherus*, Proconsul Tigurinus, qui nonnullas etiam notulas sua manu adjecit, in hisce supplementis asterisco a Suicerianis distinctas. Magno itaque suo commodo iterum nunc opus hætenus desideratum nanciscuntur studii Ecclesiastici cultores.

**FRANCISCI WOKENII, S. THEOL. LIC. ET**  
*Lingg. Orient. Prof. Witteberg. Selecta*  
*sacra.*

Lipsiæ

Lipsiæ &amp; Wittebergæ, apud Gerdesiam, 1728, 4.

Pl. 18.

**D**UAS in Partes distribuere Cl. Autori placuit hoc suum opusculum. Et priore quidem Parte tres exhibet Dissertationes, quarum *prima*, *Compendium Theologiæ Epistola ad Titum* inscripta, sub titulos Systematis Theologici recepto ordine redigit doctrinas Apostoli in illa epistola prolatas. Nec ullus est titulus, excepto illo de S. Coena, ad quem non aliquid retulerit ex illa epistola. Hujus igitur tractationis lectio cum non inutilis futura sit Theologiæ Studiofis, etiam eruditiores hic jucunde legent, quæ Cl. Autor profert de varia interpretatione particulæ *κατὰ Tit. I, 1*, quæque alia interserit subinde ad verum Pauli sensum a falso discernendum. *Dissertatio secunda* est *declinatio Theologiæ moralis ex eadem Pauli epistola*, & quidem perbrevis. *Tertia* illustrando tertio versui *Psalmi CX* destinata est. Hic initio aliorum expositiones Cl. Autor profert in medium, & ad accentuationis leges examinat, observans, non solum Chaldaicum Paraphrasten, LXXviralem, vulgatam Latinam, & Syriacam versiones contra accentuationem peccare, verum etiam recentiores interpretes, Wilcockium, Grotium, Calovium, Bootium, Schudtium, Cappelium, & Seb. Schmidium. Hinc suam exhibet & illustrat interpretationem, quæ hæc est: *Populus tuus (ô Messia) sunt oblationes spontaneæ in die roboris tui: populus tuus est in decoribus sanctitatis e misericordia auroræ: populus tuus est tibi ros juventæ tuæ.*

p. 2 sq.

Posterioris Partis *prima* Dissertatione Cl. Autor disserit de *albis Judæorum vestibus*, speciatim e sacro Codice & e Rabbino-  
rum (quorum in lectione ipsum esse versatissimum, hoc opus satis manifestum facit) testimoniis probans, virgines & sponfas Judæorum albis ornari consuevisse vestibus. *Alter*a Dissertatione *excelsa Israelitarum* considerat, & quidem ita, ut primo de ipso nomine *עֲלֵצָה* diversæ Rabbino-  
rum & etymologiæ & interpretationes recensentur; deinde sententiæ illæ quatuor Talmudis, 1) quod *Excelsa* concessa fuerint ante erectum tabernaculum, 2) quod primogeniti tunc temporis officium sacerdotale administrant, 3) quod post erectum tabernaculum non licuerit sacra facere

in



in excelsis, & 4) quod tum publica sacra fuerint per sacerdotes administrata, examinentur & comprobentur; denique celebriora fidelium Veteris Testamenti Excelsa enumerentur. *Tertia* Differt. Cl. Autor exhibet *Observationes* breviores in aliquot Geneleos loca, e quibus sequentes excerpere libuit. *Genes. IV, 22*, dictum Lamechi ad uxores ita exponit, ut is dicat, duplicem se commisisse eadem, & ob id anxias uxores solaturus, e speciali Caini casu consequentiam ad se deducat. Verba *Gen. V, 29*, utpote ἐμοιτέλει-  
 ται ex antiquo quopiam carmine deprompta esse, infirme admodum probasse docet Witterum: cujus & interpretationem תָּעַלְתָּ *Gen. VI, 3* rejicit, & istam vocem habet pro infinitivo *Piel* radice שָׁגָה *erravit*, ut sensus sit, *in errare eos. Gen. XI, 2*, ita vertit: *Et filius derelictionis domus mea* (hoc est, cui relinquam totam domum,) *est Damesek, Elieseris filius. Genes. XVI, 4*, quod vulgo sic vertitur: *Injuria mea sit super te*, ita reddi jubet: *Injuria mea est propter te*, hoc est, ex amore in te hanc mihi attraxi injuriam. *Gen. XX, 16*, ita interpretatur: *En ipse est velamen oculorum*, id est, si modo illum pro marito tuo publice declares, sique ejus te uxorem profiteris, nemo nostra in regione adeo est impius, ut te cupiat: sed maritus quasi teget pulchram tuam faciem, ne illa alios incitet ad stuprum. Ultima ejusdem versus verba: *כל נוכחתי* ita vertit: *Et quod omne attinet, etiam sit rectum. Genes. XXXVI, 24*, suspicatur, Anam invenisse non *mulos, nec herbas magicas, nec thermas, nec populos Emim*, (quæ aliorum sunt hariolationes) sed ingentem multitudinem *turturum*, quibus ipse vesci potuerit. Novas has esse interpretationes, vix quisquam negaverit. Quod si quis, falsas esse aliquas, sibi persuaserit, illud certe concedet, fundamentis fidei haudquaquam eas repugnare.

DISCOURS SUR LES LOIS DE LA COMMUNICATION du mouvement &c.

hoc est,

DISCURSUS DE LEGIBUS COMMUNICATIONIS motus, qui elogia Academiæ Regiæ Scientiarum A.

1724

MENSIS NOVEMBRIS A.MDCCXXVIII. 505

1724 & 1726 meruit & exhibitus fuit occasione præmiorum istis annis distributorum; Autore JOANNE BERNOULLI, Professore Matheseos Basileensi & Membræ Academiarum Regiarum Scientiarum Gallie, Angliæ & Borussie.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1727, 4 ch. aug.

Plag. 14 Tabb. æn. 5.

CUM Academia Regia Scientiarum Parisina A. 1723 proposuisset quæstionem Geometris: *Quanam sint leges communicationis motus corporum absolute durorum?* Vir celeberrimus, *Joannes Bernoulli*, eidem satisfactorius, discursum hunc conscripsit & censuræ illius subjecit. Quoniam ipsius judicio notio duritiei absolutæ communis legibus naturæ contraria, aliam iisdem consentaneam ei substituebat, adeoque leges communicationis motus corporum perfectæ elasticitatis exhibebat, qua partes omnes a facta compressione ita restituuntur, ut perinde sit, ac si nulla facta fuisset. Neque enim sibi, quemadmodum in Additione candidè fatetur, persuadere poterat, Academiam Regiam velle, ut problema in hypothesi a natura rerum aliena solvatur. Hanc tamen rationem allegavit Academia Scientiarum, cum A. 1724 Cl. *Mac-Laurino* præmium conferret, utut publice fateri cogeretur, Virum in hoc studiorum genere eminentem se virum in discursu suo præstitisse, reconditæ scientiæ ac sagacitatis in solvendis problematis difficillimis hæud vulgaris documentis editis. Postquam pro A. 1726 propositum fuerat problema *de legibus motus corporum perfecte elasticorum*; discursus *Bernoullianus* altera vice subiit judicium censuram, sed eodem quo ante, eventu, ut scilicet Cel. *Bernoullius* laudem, Cl. *Mazierius* præmium obtineret: etenim cum dissertatio *Mazieriana* luci publicæ exponeretur, Academia Scientiarum publice confitebatur, discursum *Bernoullianum* pulcherrimum esse ac disquisitionibus excellentibus refertum, nec *Mazierianam* dissertationem eidem æquiparare ausa, pronuntiabat, eam inter ceteras de eodem argumento oblatas ad istum proxime accedere. Mireris forsân, qui factum fuerit, ut elogia *Bernoullio*, præmia aliis tributa fuerint: antequam

igitur Viri ingeniosissimi discursum recenseamus, pauca adhuc commemoranda nobis sunt. Constat ex Actis A. 1725 p. III, esse inter Mathematicos Academiæ Regiæ Scientiarum, qui abjecte de mensura virium vivarum a *Leibnitio* reperta sentientes eadem modo impugnaverant, cum problemata ista de communicatione motus proponerentur, easque tanquam ex præjudicio autoritatis a nonnullis adoptatas rejecerant. *Bernoullius* vero in discursu suo totus in eo est, ut virium vivarum theoriam firmet, ac inde leges communicationis motus deduxit. *Crofa*, qui primo præmio condecoratus fuit, quemadmodum in Actis anni hujus p. 293 commemoravimus, vires vivas exagitavit. Cl. *Mac-Laurin*, cui præmium secundum tributum, easdem vires optimæ refutasse Academiæ Scientiarum visus est. Cl. *Mazierius*, qui præmium tertium obtinuit, in easdem calamum stringit. Equidem *Bernoullius* non ignorabat, eos, quos judices experturus erat, a viribus vivis esse alieniores; sed argumentorum suorum robore confusus & memor moniti Academiæ Scientiarum, quod Autorum hypothese suas non faciat, luculento exemplo *Crofa* (quod superius loco citato adduximus) confirmati, discursum suum illorum censuræ submittere nullus dubitabat. Et quoniam Academia Scientiarum provide adjecerat altera vice hæc conditionem, se desiderare solutionem ex probabili notione elasticitatis deductam; ideo in Additione eidem quoque satisfacere studebat, ne hoc prætextu præmio denuo excideret. Hisce præmissis progredimur ad discursum ipsum, ea in medium prolaturi, quæ ad pulchritudinem ejus ab Academia Scientiarum tantopere de prædicatam agnoscendam sufficere existimamus.

Monuimus jam ante, Virum perspicacissimum communem duritiæ notionem deprehendisse legibus naturæ adversam. Corpus vulgo creditur durum, quod ejus partes ob quietem a se invicem separari nequeant, & quidem nulla vi finita separari possint, si corpus fuerit absolute durum. Eam legi continuitatis, quam vocat, adversam judicat notionem, quæ velit, ut omnia per gradus infinite parvos succedant, ne ab uno extremo ad alterum perveniatur nisi per gradus omnes intermedios, cum alias status primus annihilaretur, antequam natura ad novum sese determi-

nare

mare posset. Huic igitur convenientem duritiei notionem formaturus, supponit materiam perfecte fluidam, ut minimæ particulae non cohæreant, sint tamen istiusmodi, quæ in corpuscula seu moleculas elementares redigi potuerint. Ex his corpusculis per fluida ambientia compressis & per interlabentia hinc inde a contactu prohibitis, formata fuisse corpora sensibilia, quæ vulgus secundum sensus judicans dura appellet pro ratione resistentiæ, quam opponunt vi ad eorum separationem tendenti. Quodsi concipiamus in pila aere plena densitatem aeris augeri, donec vis ingens ad compressionem requiratur; corpus habebimus, quod a duro non differt. Quodsi jam porro concipiamus infinita corpuscula isti similia communi involucro conclusa; corpus habebimus durum. Pilæ exiguæ repræsentant moleculas elementares; involucrum vero commune fluidum ambiens eas in unum cogens. Hinc corpus durum, si partes sensibiles difficulter situm mutant: rigidum vero dicitur, quod perfecte elasticum, ut omnes partes a compressione restituantur, atque hoc ipsum illud est, quod in præsentia considerat. Notione duritiei perfectæ explicata, ad principia digreditur, quibus utitur & quæ non differunt a receptis, nisi quod eadem clarius explicentur. Supponit igitur primum, corpus in motu in vacuo eadem celeritate & directione motum suum continuare, donec obstaculum quoddam occurrat. Deinde probat, corpus durum directe impingens celeritate determinata in elaterem perfectum, cujus alterum extremum plano immoto fulcitur, secundum eandem directionem & eadem celeritate repelli. Etenim vi legis continuitatis successive transfert celeritatem omnem in corpus elasticum & hujus restitutione eandem ordine inverso recipit, ita ut primo momento recuperetur, quod ultimo fuerat deperditum. Et in hoc ipso consistere arbitratur actionis & reactionis æqualitatem: omnem enim actionem successive fieri per elementa. Ut hæc rectius intelligantur, cylindrum concipi jubet cavum *ABNM* in *AB* clausum, in *MN* vero apertum. Pars *ABDE* sit aere condensato repleta, cujus dilatationem impedit diaphragma *DE*, dum quodam obstaculo retinetur, ne versus *MN* protrudi possit. Globus *G* incurrat in diaphragma *DE* celeritate ut *E* *G* idemque tradat in *de*; evidens









TAB. V.

Fig. I.

est, celeritatem continuo minui, dum densitas aeris augetur, donec tota fuerit destructa. Nec minus patet, aerem sese restituentem diaphragma una cum globo versus MN repellere acceleratione retardationi anteriori prorsus æquali, donec diaphragma in DE retractum quiescat celeritate omni in globum translata, qui adeo celeritate ut EG versus MN regreditur. Determinat deinde sagacissimus Autor per calculum legem retardationis globi G & accelerationis repulsi, huncque calculum ad usum transfert in determinanda longitudine tormentorum bellicorum ope methodi de maximis & minimis, nec non sclopetorum, etiam pneumaticorum. Explicata notione actionis & reactionis, ulterius docet, quomodo motus producat. Vocat hic *celeritatem virtualem* elementum celeritatis, quod corpus acquirit vel perdit de celeritate data in tempore infinite parvo secundum directionem suam. *Vim vivam* cum *Leibnitio* appellat, quæ corpori in motu uniformi cohæret; *vim mortuam* vero, quam recipit corpus sine motu, dum premitur & ad motum sollicitatur, aut, si jam in motu constitutum sit, ad movendum se celerius, vel tardius. Virium illarum mensuram determinaturus, sumit commune principium staticum, scilicet quod duo corpora sint in æquilibrio, seu momenta æqualia habeant, si vires absolutæ sint in ratione reciproca celeritatum virtualium. Ponamus jam duo corpora A & B perfecte rigida in quiete, inter quæ interjacet lamina elastica, quæ dum restituitur, globos A & B propellit. Quoniam unusquisque in ratione massæ resistit, cum vires contra eos agentes utrinque æquales sint; celeritates virtuales erunt vi principii statici communis in ratione reciproca massarum & consequenter earum summæ seu celeritates acquisitæ in eadem ratione existunt, ut adeo, si elater dividatur in C in ratione massarum reciproca, in C fit centrum gravitatis commune, quod in tota actione & in motu globorum celeritate jam acquisita quiescit. Sit porro globi A celeritas acquisita  $a$ , globi vero B celeritas  $b$ ; erit  $A : B = b : a$  & hinc  $Bb = aA$ , h. e. quantitates motuum æquales sunt. Enimvero cum vis elateris viva A translata fuerit in globum A & vis elateris CB in globum B; erunt vires vivæ  $f$  &  $F$  corporum A & B ut  $a$  &  $b$ , nempe ut celeritates acquisitæ, consequenter ob  $Bb = aA$ , erit  $f :$

$$F =$$

TAB. V.  
Fig. 2.



$F = a^2 A : b^2 B$ . Atque hæc est prima demonstratio mensuræ viriarum virium *Leibnitiana*, quam Noster tradit. Sequentur deinceps adhuc alix. Ex iisdem vero principiis deducuntur præterea alia. Cum centrum gravitatis sit instar plani immobilis, quod elateribus A C & C B resistit; Noster inde infert, quod globi propulsi elateres successive denuo tendere debeant, ut ante erant tensi, si eadem celeritate in ipsos incurrant, quæ in eos ab elateribus sese restituentibus fuerat translata. Quoniam longitudo elateris arbitraria est, eam tamen exiguam assumi posse monet, ut corpora in C se mutuo tangere videantur: id quod perinde esse existimat ac vim elasticam corporibus intrinsicam assumere. Inde concludit, si duo corpora elastica rigiditatis sive finitæ, sive infinitæ directe concurrant celeritatibus massis reciproce proportionalibus, fore 1) post conflictum celeritates, quibus in se mutuo incurrerant, æquales & quantitates motuum easdem, 2) celeritates respectivas ante & post conflictum easdem, 3) centrum gravitatis commune post conflictum immobile, ut ante eundem. Ex his principiis motuum regulas deducit, in subsidium vocata hypothesi inter Mathematicos recepta, motus corporum ex percussione eosdem esse, sive in plano quiescente, sive in moto uniformiter & secundum eandem directionem fiant. Unde infert corollarium, si planum istud initio quiescat perinde ac centrum gravitatis corporum commune in motu constitutorum, postea vero moveatur motu uniformi secundum directionem datam; centrum istud gravitatis motum iri eadem cum plano celeritate & secundum eandem directionem. Quod si jam supponas duo corpora A & B perfecte rigida, quæ moventur secundum eandem directionem in eadem recta, præcedens quidem B celeritate  $b$ , sequens vero A celeritate majore  $a$ ; celeritatem post conflictum ita determinat. Supponit motum fieri in plano, quod in contrariam partem motu uniformi movetur, celeritate eadem, quæ est communis centri gravitatis corporum A & B. Ita nimirum centrum gravitatis respectu corporum extra planum constitutorum quiescet & celeritates corporum A & B erunt in ratione reciproca massarum & unumquodque eorum repellitur post conflictum eadem celeritate, quam ante eundem habuerat. Erit igitur celeritas centri gravitatis

tis per principium staticum  $= \frac{aA + bB}{A + B}$ . Supponatur jam pla-  
 num moveri retro eadem celeritate; erit respectu objectorum  
 extra idem quiescentium celeritas corporis A  $= a \frac{aA - bB}{A + B}$   
 $= \frac{aB - bB}{A + B}$  antrosum, & celeritas ipsius B  $= \frac{aA + bB}{A + B} - b =$   
 $\frac{aA - bA}{A + B}$  retrorsum. Sed  $\frac{aB - bB}{A + B} : \frac{aA - bA}{A + B} = B : A$ , hoc est,  
 celeritates, quibus directe impingunt in se invicem, sunt ut massæ  
 reciproce. Ergo post conflictum corporis A retro repulsi cele-  
 ritas  $\frac{aB - bB}{A - B}$  & B antrosum progredientis  $\frac{aA - bB}{A + B}$ . Restitua-  
 tur planum quieti, hoc est, addatur celeritati uniuscujusque corpo-  
 ris communis celeritas in anteriora  $\frac{aA + bB}{A + B}$ , quæ per supposi-  
 tionem fuerat ablata; erit celeritas corporis A  $= \frac{aA + bB}{A + B} +$   
 $\frac{aB + bB}{A + B} = \frac{aA - aB + 2bB}{A + B}$  & ipsius B  $= \frac{aA + bB}{A + B} + \frac{aA - bA}{A + B} =$   
 $\frac{2aA - bA + bB}{A + B}$ . Si celeritas  $b$  supponatur negativo, ipsius  $b$   
 valore negativo substituto, prodeunt aliæ pro corporibus sibi mu-  
 tuo secundum contrarias directiones occurrentibus, nempe pro A  
 celeritas  $= \frac{aA - aB - 2bB}{A + B}$  & pro B celeritas  $= \frac{2aA + bA - bB}{A + B}$ .  
 Determinat quoque *quantitatem directionis*, quæ est factum  
 ex celeritate centri gravitatis communis in summam massarum  
 & quæ eadem semper manet ante & post conflictum. Est  
 enim semper  $\frac{aA + bB}{A + B} (A + B) = aA + bB$ , ubi signum supe-  
 rius + denotat motum secundum eandem directionem, infe-  
 rius



rius — motum secundum contrariam. Regulis motuum generalibus hoc pacto elicitis, differentiam inter vires vivas & mortuas uberius exponit. Nimirum vim mortuam imprimere effectum momentaneum, qui continuo perit dum nascitur & dum perit renascitur. In continua illa reciprocatione effectum gravitatis consistere, dum grave retinetur ab obstaculo invincibili. Effectum vis mortuæ cessare cessante actione, nec unquam ab actione superesse. Contra vim vivam successive nasci & destrui, non in instanti. Motum localem successive imprimi corpori quiescenti & per gradus infinite parvos acquiri, sicque ad celeritatem finitam ascendere ac determinatam, quæ uniformis subsistat, cessante actione corporis moventis. Vim vivam esse aliquid reale & parti causæ æquivalere, quæ consumitur, dum eam producit, cum causa efficiens sit æqualis effectui pleno. Corpora vim vivam recipientia, si nullo obstaculo retinentur, non resistere nisi inertia naturali massæ proportionali, ita ut gradus infinite parvi pressionis successive corpori impressi conserventur & accumulentur, donec motum localem producant. Vim vivam respondere superficiæ motu linearæ, vel solido motu superficiæ descripto, adeoque vi mortuæ incomparabilem esse. Elaterem in corpore, in quod agit, vim vivam producentem tantundem virium per gradus amittere, quantum producit, donec vis elateris omnis fuerit exhausta & in corpus motum translata. Vim sic productam exhausta pressione elateris esse eam, quæ viva proprie dicatur. Vim mortuam sola pressione consistentem non diminueri vim elateris, multo minus exhaurire. Exemplo esse aerem condensatum in recipiente exhausto. E contrario vim vivam tantquam effectum non produci, nisi quatenus in elatere perit. Vim adeo vivam ab elatere productam elaterem denuo ad eundem gradum tendere posse, quo tendebatur, dum illam producebat. Et in hac æqualitate virium consistere conservationem, nulla causa positiva pereunte, quin producat effectum, quo damnum reparatur. Per errorem virium mortuarum principium staticum ad vires vivas fuisse applicatum, quem *Leibnitius* primus animadverterit & correxerit sumens pro mensura effectus altitudinem projectorum. Adversarios, dum contendebant temporis habent-

- habendam esse rationem, non attendisse, quod in cycloide in vērſa eodem tempore ad altitudines inæquales mobilia ascendant. Inquiri deinde in mensuram virium vivarum. Utitur ea fini elateribus, quos ad explicandam productionem motus ac vis vivæ maxime commodos esse putat. Sit elater  $ACB$  figuræ determinatæ, angulo  $C$  30 graduum existente, sed qui sese dilatans vim omnem amisit, ubi angulus  $acb$  factus fuerit 90 graduum. Si vis quædam in  $A$  &  $B$  impedit, quo minus elater dilatetur; ea remota, extemplo dilatabitur, donec angulus  $acb$  fuerit 90 graduum. Si duo fuerint istiusmodi elateres  $DEF$  &  $LMN$ , sed prioris crurum  $ED$  nitatur adversus planum immobile, alterum vero  $EF$  adversus resistantiam activam  $P$ , posterioris vero crurum utrumque  $LM$  &  $MN$  adversus resistantias activas  $R$  &  $S$ ; resistantia  $P$  tantundem premetur, quantum premuntur resistantiæ  $R$  &  $S$ . Unde si plures fuerint elateres  $ACB$ ,  $BE d$ ,  $DGF$  &  $FIH$ , resistantia activa tantundem ab iisdem premetur, quantum premitur resistantia activa  $P$  ab uno  $BCA$  istis simili. Quod si ergo duæ fuerint series elaterum similium, quarum una  $AC$  constet duodecim, altera  $Bd$  non nisi tribus; evidens est ex dictis globos  $L$  &  $P$  æquales eadem vi premi, atque adeo eorundem vim mortuam esse æqualem. Enimvero dum sublatis resistantiis activis  $R$  &  $S$  globi  $L$  &  $P$  propelluntur, omnis vis elaterum  $AC$  transfertur in globum  $L$ , vis vero omnis elaterum  $Bd$  in globum  $P$ : unde patet, vires vivas esse inæquales, nempe ut 4 ad 1. Celeritates vero eorundem globorum sunt ut  $\sqrt{4}$  ad  $\sqrt{1}$  seu ut 2 ad 1: quod ita ostenditur. Sint duæ lineæ  $BD$  &  $AC$  ut duæ series elaterum similium & æqualium, &  $D$  ac  $C$  puncta, unde incipiunt moveri globi versus  $I$  &  $F$ , dum elateres dilatantur. Sint  $DNK$  &  $CML$  duæ lineæ curvæ, quarum semiordinatæ  $HN$  &  $GM$  exprimunt celeritates in  $H$  &  $G$  acquisitas. Sit denique  $OP$  ipsi  $NH$  &  $DE$  ipsi  $GM$  infinite propinqua. Dicatur  $BD = a$ ,  $AC = na$ ,  $DH = x$ ,  $HN = v$ ; erit  $HP = NT = dx$  &  $OT = dv$ . Fiat  $BD : AC = DH : CG = DP : CE$ , erit  $CG = nx$ ,  $GE = ndx$ . Sit vero  $GM = z$ . Ubi globi ad puncta  $H$  &  $G$  pervenerint, elateres singuli cum in intervallo  $AC$ , tum in altero  $BD$  æqualiter erunt dilatati, propterea quod sit  $AC : CG = BD : DH$ , ut adeo singuli æqualeant elasti-

elasticitatis suæ partem perdiderint & æqualem retinuerint, consequenter vires mortuæ æquales sunt per superiora. Dicatur pressio seu vis mortua  $p$ , cum celeritas elementaris in  $H$   $dv$  sit in ratione composita pressionis & tempusculi, quo percurritur

$HP$  sive  $dx$ , tempusculum vero sit  $= HP : HN = \frac{dx}{v}$ ; erit

$dv = p dx : v$  & hinc  $v dv = p dx$ , consequenter  $\frac{1}{2} v^2 = \int p dx$ .

Ex eadem ratione  $dz = p$ ,  $GE : GM = p n dx : z$ , consequenter

$z dz = n p dx$  & hinc  $\frac{1}{2} z^2 = \int n p dx$ . Hinc consequitur esse

$v^2 : z^2 = \int p dx : \int n p dx = 1 : n = a : na = BD : AC$ . Sed  $BD$

ad  $AC$  ut vis viva in  $H$  acquisita ad vim vivam in  $G$  acquisitam, vi

anteriorum. Vires igitur vivæ corporum æqualis massæ sunt ut

quadrata celeritatum & celeritates ipsæ sunt in ratione subdupli-

cata virium vivarum. Si  $p$  fuerit constans, curvæ celeritatum

$GML$  &  $CNK$  erunt parabolæ ejusdem parametri  $2p$ . In hoc

casu motus globorum eodem modo acceleratur, quo gravium

cadentium motum accelerari constat. Atque ideo ulterius hinc

justam esse probat mensuram virium *Leibnitianam* per altitudi-

nem, ad quam gravia projecta ascendunt. Laudat Noster ac pro-

bat experimenta *Cel. Poleni* atque *Gravesandii*, quibus mensura

virium *Leibnitiana* confirmatur, & duas alias adhuc subnectit

demonstrationes a motu obliquo derivatas, ubi in casu priore

globus  $A$  celeritate ut  $AB$  incurrit in globum  $C$  juxta directio-

nem  $AB$ , quæ cum  $AF$  constituit angulum semirectum, per con-

flictum vis dirimitur in duas partes, altera in globum  $C$  translata,

altera vero sibi retenta; in casu vero posteriori vires globorum

$D$  &  $E$  incurrentium in eundem  $B$  vim omnem transferunt in

unum. Supponitur nimirum globos esse perfecte elasticos: & in

eo casu isti translationi locum esse notissimum. Constat in casu

primo globum  $A$ , ubi in  $B$  pervenit, motum omnem perdere se-

condum directionem  $FB$ , sed eum retinere, qui est secundum

directionem  $AF$ . Globus igitur  $A$ , ubi in  $B$  pervenit, motum

continuat secundum directionem  $BE$  ipsi  $AF$  parallelam ce-

leritate ut  $BE = AF$ , dum globus  $C$  progreditur celeritate ut

$CD = FB = AF$  in conflictu accepta secundum directionem

Ttt

CD

TAB. VI.  
Fig. 8.

CD ipsi BF in directum sitam. Globi æquales æquali celeritate latæ eandem viam habere debent, singuli dimidiam ejus, quæ initio inerat globo A. Est igitur vis globi A ante conflictum ad viam globi æqualis C post conflictum ut 2 ad 1, consequenter ut  $AB^2$  ad  $BF^2$  seu in ratione duplicata celeritatis globi A ante conflictum ad celeritatem globi C post conflictum: quæ demonstratio mira facilitate ac evidentia sese commendat, ut miretur *Bernoullius*, eam nulli adhuc in mentem venisse. Facile hinc discent intelligentes, quomodo demonstratio in altero casu adornari debeat, ubi globus E motum omnem transfert in globum B & globus D suum itidem motum in eundem globum B. Pluribus hinc demonstrationibus præterea non modo eam jungit, quam ante plurimos annos cum Cl. *Wolffo* communicavit & quæ in hujus elementis *Mechanicæ* legitur; verum etiam plurimum tribuit indivulso nexui veræ mensuræ virium vivarum cum ceteris legibus motus. Constat nimirum 1) corpora conservare celeritatem respectivam ante & post conflictum: 2) quantitatem directionis semper æqualem esse factæ ex summa massarum per celeritatem centri gravitatis communis: 3) duobus corporibus sibi mutuo occurrentibus, id quod efficitur ducendo singulorum magnitudines in velocitatum suarum quadrata simul additum ante & post occursum corporum æquale inveniri, quemadmodum *Hugenus* in Tractatu de motu corporum ex percussione demonstravit. Etenim trium harum legum suntis duabus constanter tertia per demonstrationem prodit. Jam vero per se patere ait, eandem virium quantitatem conservari debere, ut, si quis demonstrationem moliretur, veritatem nonnisi obscuraret, cum nemo non admittat, vires causæ efficientis nullas perire, nisi effectu eidem, quod amittitur, æquali producto. Hæc vero virium conservatio obtinet, ubi per massas in quadrata celeritatum ductas easdem metiris. Enimvero cum formulæ generales communicationis motus duorum corporum perfecte elasticorum novæ non sint; Geometræ summo non suffecit eas nova quadam ratione via analytica deduxisse, tantoque apparatu virium vivarum theoriam firmasse, sed ulterius progressus nova superaddit, dum conflictum trium corporum

ram durorum secundum diversas directiones & conflictum ejusdem corporis adversus plura alia determinat: quæ inventa tanto Geometra digna huc transferri nimia prohibet prolixitas, cum in virium theoria representanda diu versati fuerimus. Quamobrem quoque de theoria resistentiæ medii, quam ex iisdem principiis, quibus in theoria communicationis motuum usus est, derivat, id unice annotasse suffecerit, quod notione resistentiæ explicata in hypotesi, quæ eam facit ut quadratum celeritatis, curvam resistentiæ determinet, demonstrans eandem esse logarithmicam ordinariam. Non possumus tamen non representare novam Autoris methodum determinandi centrum oscillationis in pendulis compositis per theoriam virium vivarum; tum quod id paucis verbis fieri possit, tum quod ea præstantissimum theoriæ istius usum loquatur. Sit pendulum compositum trium

TAB. VI.  
Fig. 9.

ponderum C, B, A lineæ inflexili HA alligatorum & circa punctum H oscillantium, erunt celeritates per arcus A a, B b, C c, acquisitæ in ratione horum arcuum. Ponamus eadem formare totidem pendula simplicia, erunt celeritates cadendo acquisitæ in ratione subduplicata altitudinum Ha, Bb, Hc. Jam Noster sumit, virium vivarum summam eandem esse in linea verticali Ha, sive pondera singula sigillatim, sive omnia simul conjunctim descendant. Quare si  $Ha = a$ ,  $Hb = b$ ,  $Hc = c$ , HG celeritas centri gravitatis communis in G, ubi in g pervenit = x; erit summa virium vivarum conjunctim descendantium =  $a \Lambda + b b B + c c C$ , sigillatim descendantium =  $a x \Lambda + b x B + c x C$ . Quamobrem  $a a \Lambda + b b B + c c C = a x \Lambda + b x B + c x C$ , consequenter  $x = (a a \Lambda + b b B + c c C) : (a \Lambda + b B + c C)$ , quemadmodum *Hugenius* reperit.

In Additione, quod supra jam monuimus, rationem elastici-

tatis physicam reddit ingeniosissimus Autor, hæcenus insuffi-

cienter a Physicis assignatam. Principium elateris sumit vim cen-

trifugam, sed in sensu intelligibili acceptam & per theorema 2 ac

3 *Hugenianum* de vi centrifuga explicatam. Nimirum particule

crassiores, quæ per poros subtiles corporum libere vagari neque-

unt, materiæ subtili innatantes, dum ab ea motu rapido abripiun-

tur, in orbem aguntur & vim centrifugam acquirunt, qua vio-

lenter agentes contra superficiem interiorum involucri, quo conclusæ comprehendantur, illud ampliari continuo cogunt, indeque vis elastica deponet. Scilicet materia subtilis libere fluit per poros corporis, particulae crassiores non item, magno numero intra porum contentæ. Hinc eadem confuse quaquaversum agitantur, unde motum circularem acquirunt, ita ut quælibet particula circulum suum describat alia majore, alia minore celeritate, unde earundem vis centrifuga resultat.

PIECE, QUI A REMPORTE' LE PRIX DE  
l'Academie Royale des Sciences pour l'Année mil sept  
cens vingt-quatre,  
hoc est,

DISSERTATIO, QUÆ PRÆMIO CONDE-  
corata fuit ab Academia Regia Scientiarum A. 1724, ex le-  
gato Rouillé de Messay, Consularii quondam in suprema  
curia Parisiensi.

Parisii, apud Claudium Jombertum, 1724. 4.


Plag. 3 Tab. æn. 1.

**P**rima hæc est dissertatio, quæ palmam Cel. *Joanni Bernoulli* præripuit. Autor ejus est *Colinus Mac-Laurin*, Matheseos in Collegio novo Abredonensi Professor, cujus Geometriam organicam sive Descriptionem Linearum curvarum universalem commendavimus in Actis A. 1722 p. 523. Continet demonstrationem legum conflictus corporum, qui elasticitate perfecta destituuntur. Dividitur in quatuor sectiones. *Seç. I* continentur principia in motuum doctrina hodie recepta. Nimirum primo loco comparent tres leges motus, quas vocat *Newtonus* in Principiis philosophiæ naturalis mathematicis; deinde additur, spatia mobilium esse in ratione composita temporum ac celeritatum; vires corporum, quorum æquales sunt celeritates, esse massis proportionales; vim in corpore productam nunquam posse esse majorem vi agentis; motus, vires & conflictus corporum in spatio, quod celeritate uniformi progreditur, eodem modo sese habere

ac

ac in spatio absolute quiescente. Terminos tamen non explicat, quibus in iisdem utitur, ita ut ne virium quidem notionem explaret, quarum tamen mensuram a *Leibnitio* constitutam impugnandam sibi sumit. *Sectione* enim *secunda*, quæ maximam dissertationis partem absolvit, demonstrare conatur, vires corporum esse in ratione composita massarum & celeritatum, non vero, quod visum fuit *Leibnitio* &, qui novissime ad castra ejus transit, *Gravesandii*, in ratione composita ex simplici massarum & duplicata celeritatum. Principium ultimum de identitate virium in spatio absolute quiescente & in spatio uniformi celeritate progrediente, quod intelligendum est de viribus mortuis seu pressionibus, a celeritate relativa dependentibus & in conflictu corporum attendendis, applicat ad vires vivas, quas ab iis non distinguit. Unde est, quod de viribus vivis contradictiones inde inferat, quas *Bernoullius*, eodem principio usus, mensuræ *Leibnitianæ* conformes probat. En unum argumentum *Mac-Laurianum* contra vires vivas, ex quo de ceteris judicare possis, quæ eodem nituntur fundamento. Sint duo corpora A & B, quæ a duobus personis æquali vi secundum directionem navis projiciantur, B nempe extra navim, A vero intra eandem. Sit celeritas corporis B 8, erit celeritas relativa ipsius A in navi itidem 8. Sed cum A participet motum navis, ejus celeritas jam ante erat ut 2, consequenter absoluta post projectionem erit ut 10. Infert hinc Noster, juxta *Leibnitium* fore vim ipsius A ut 100; sed eandem fuisse antequam projiceretur ob motum navis ut 4, & a projiciente accepisse vim ut 64, consequenter juxta mensuram *Leibnitianam* vim post projectionem esse debere ut 68. Evidens adeo esse existimat, mensuram *Leibnitianam* parere contradictiones, adeoque absurdam esse. Disputat imprimis contra *Gravesandium*, qui in Tentamine de conflictu corporum vires vivas defendit non modo rationibus, verum etiam experimentis, quæ ante dederat *Palæpus*, sed quæ ab ipso cum successu repetita fuere, ut adeo *Gravesandii* sit sua adversus *Mac-Laurinum* defendere. *Seç. III* de regulis motus ex percussione directa ea tradit, quæ conformia sunt a *Wallisio* in *Mechanica* propositis & ab aliis deinde compluribus demonstratis. *Seç. IV* denique solvitur problema de percussione

obliqua duorum corporum. Supponit nempe dari directiones, celeritates & diametros duorum corporum una cum eorum situ ante conflictum, determinari vero jubet locum, in quo sibi mutuo occurrent. Moveatur nimirum A secundum directionem



AC celeritate ut C A, moveatur B secundum directionem BC celeritate ut BD. Jungantur A & B recta AB & compleatur parallelogrammum ABHC. Jungantur puncta D & H & recta DH ex centro C interfecetur arcu LI, qui describitur radio CL summe semidiametrorum globorum A & B æquali. Agatur ex L recta LN ipsi CA & ex N recta NR ipsi CL parallela: erunt N & R loca, in quibus corporum centra constituentur, ubi concurrent. Demonstratio admodum facilis. Quoniam enim LN parallela ipsi B per constr.  $DN : DB = NL : BH = RC : CA$ , ob  $RC = NL & CA = BH$ . Ergo dividendo  $BN : BB = AR : AC$  & hinc alternando  $BN : AR = DB : CA$ . Cum adeo fit BN ad AR ut celeritas ipsius B ad celeritatem ipsius A, corpus A in R & B in N eodem tempore pervenient, cumque fit  $NR = CL$  in recta RN se mutuo contingent. Q. e. d.

**AD PETRI ANT. MICHELOTTI APOLOGIAM (de qua vide supra Act. Mense Junio p.276 sq.)**

Appendix.

In 4, plag. 2.

Recen:



**R**ecensuimus jam supra hanc *Apologiam*: ad quam cum novam deinceps addere *Appendicem* Doctiff. Autori placuerit, ad librum ipsum seponendam, de ea quoque hoc loco pauca verba adjicienda duximus. Occasionem dederunt Regiæ Scient. Academiæ Paris. Commentaria A. 1724, quibus eruditum schediasma inferuit Vir Cl. Abbas Priv. *de Molieres*: in quo schediasmate objectionibus sive difficultatibus experientissimi Anatomici B. *Winslow*, a Michelotto in Apologia commemoratis & magna ex parte dilutis, respondere satagens Nob. Abbas, fluidorum sive a nervis, sive ab arteriis, in matricis fibræ caveas supportatorum, hasque sive motus quantitate, sive effervescentia, sive elastica vi, sive quacunque demum alia ratione infantium distendentiumve, præsentiam, ad superadditam musculorum contractionem excitandam haud quaquam necessariam existere, probare conatur. Quæ sententia cum non bene convenire cum Bernoulliana hypothese Nobiliff. Michelotto videretur, id sibi is datum negotii judicavit, ut in *Appendice*, qua de nunc agimus, & quæ *duabus* saltem *plagulis* constat, novam istam sententiam libere & modeste examinaret, suamque & Bernoullianam muscularis motus explicandi rationem etiannum firmam subsistere doceret.

**JO. FRIDERICI WEIDLERI TRACTATUS**  
*de machinis hydraulicis toto terrarum orbe maximis, Marhyensi & Londinensi, & aliis rarioribus similibus, in quo mensuræ prope ipsas machinas notatæ describuntur, & de viribus earum luculenter differitur. Cum figuris æri incis.*

Vitembergæ, sumtibus viduæ Gerdesiæ, 1728, 4.

Plag. 14 Tabb. æn. 5.

**C**L. Autor hujus libri, Collega noster maxime industrius, non nihil de utilitate ex machinarum felici successu absolutarum consideratione capienda præfatus, partitur tractationem suam in quatuor capita. Primum agit de machina Marliensi haud procul Lutetia Parisiorum, jussu atque auspiciis Ludovici XIV Regis Galliarum, ab inventore & fabricatore Rannequinio fabro  
 ligna-

lignario Leodiensi erecta. Augusti hujus operis describuntur hoc tractatum tum ichnographia tum orthographia, deinde antliarum, quæ ibidem aquas trudent hauriuntve, conditio & compositio, nec non aquarum in altum provectarum copia, & vires, quibus rotæ motrices gaudent, figillatim commemorantur, eaque occasione totum argumentum de ruentium aquarum impetu variis observationibus, quæ magnam partem ex laudatæ machinæ effectibus petitæ sunt, illustratur. Excerptemus ex copiosa tractatione saltem numeros sequentes. Rotæ quatuordecim, diametro 36 pedum, super flumine Sequanæ firmatæ sunt, hæ manubriis suis agitant antlias aspirantes & prementes sexaginta quatuor, quæ aquas ex flumine haustas per fistulas in monte vicino jacentes intra castella sive receptacula egerunt, & ex castellis hisce, ope antliarum prementium inversarum 161, quæ catenis prælongis a manubriis rotarum continuatis animantur, aquæ tandem in aquæductum, qui in summo montis exstructus est, ad altitudinem perpendiculararem 500 pedum Parisinorum ascendunt. Intra horas 24 in aquæductum effunduntur 18102 cadi, sive modii aquæ, qui singuli 280 cantharos Parisinos capiunt. Ponderus a rotis Marliensibus superandum est 325710 librarum, impetus autem, quo flumen rotas movet, valet 1000594 libras.

*Caput secundum* dicatum est duabus machinis hydraulicis Parisiensibus, quæ super ponte B. Virginis, & novo, collocatæ sunt, explicandis. In priore memorabilis admodum est constructio antliarum. Siquidem una eademque pertica ferrea gestat tum embolum inversum, tum aspirantem; atque ita eodem motu & hauriuntur aquæ Sequanæ in receptaculum inferius, & inde in castellum summum, quod 95 pedum perpendiculari a priore abest, extolluntur. Fit autem motus aquarum embolis inversis duodecim, & intra 24 horas 2286720 canthari in summum receptaculum perveniunt. Vis rotas & antlias movens æquipollet 37551 libris. Altera machina super ponte novo, quæ etiam Samaritana nominatur, vel ob simplicitatem commendabilis est. Nam unius rotæ amplioris, diam. 20 pedum, circumactione emboli quinque inversi intra diem naturalem 1078320 cantharos in receptaculum, quod flumine 71 pedibus altius est, evehunt, & vires fluminis 54573 libris æstimantur.

*Capite*

*Capite tertio* de usu ventorum, pro machinis hydraulicis motu instruendis, agitur. Præmissaque descriptione molarum hydraulicarum Belgicarum, de duabus aliis, quæ in Gallia prope arcem regiam Meldonum insigni artificio erectæ sunt, differitur. In altera moletrina truncus ferreus ex axe recurvo alis instructo pendens quatuor ligna librantia (*Balanciers*) cum annexis embolis prementibus in motum ciet, quibus intra diurnum temporis spatium 1831 modii aquarum ex subjecto puteo elevantur. Et hujus machinæ ea virtus est, ut possit etiam spirantibus ventis vehementioribus officium suum continuare. Interim tamen huic præfertur mola altera, prope idem stagnum posita, in qua axis perpendicularis, rota dentata & tympano in orbem actus, manubrio ferreo, quod infimo extremo adhæret, quatuor normas ligneas, quæ extremis suis totidem embolos inversos gestant, motu quodam oscillationis instruit, atque ita magnam aquarum copiam in altum tollit. Hæc moletrina quolibet vento facile movetur, & motus embolorum non tantum, quantum in priore acceleratur, quod ad conservandam machinæ integritatem conducit.

*Capite quarto* late describitur machina hydraulica Londinensis, in qua vis ignis aquas in vapores resolventis conspicua est. Primus ignem machinis hydraulicis animandis adhibere docuit *Thomas Saverius*, Anglus, edito A 1699 libro sub tit. Fossoris metallorum amicus. Ut igitur Cl. Autor initia & progressum hujus inventi traderet, ~~verum~~ illam machinæ Saverianæ formam exhibet p. 8. & 4. eidemque subjungit, quæ a Dionysio Papino & Amantonio pro simili opere construendo vulgata sunt. De nova autem machina Londinensi, quæ ante paucos annos eo usque perfecta fuit, ut igni agitata se ipsam nunc admirandum in modum moderari, & sine ullo periculo noctu diuque aquas ex Tamesi haurire & elevare possit, profertur in lucem descriptio Anglico sermone Londini ante biennium edita, & in Latinum translata, atque adjiciuntur eidem observationes uberiores, quæ tum ad machinæ illius virtutes rectius noscendas, tum ad ejus vires æstimandas spectant. Desumemus ex tractatione uberiore orthographiam stupendi operis, & repetemus potiora momenta, ex quibus fa-


TAB. VI.  
Fig. I.


brica illius intelligi clarius queat. Scilicet machinæ Londinensis facultas proficiscitur ab aquis in aheno amplissimo B ebullientibus, & in vaporem resolutis, quæ vaporem in cylindrum impositum C C exeunte, embolus in eodem mobilis L attollitur, & cum hic ex robusto librili ligneo h 1, h 2 pendeat, cujus alteri extremo antliæ aspirantes K K applicitæ sunt, evenit, ut orificio D, unde vapor proruperat, occluso & alio M statim aperto, per quod aqua frigida in cylindrum C C vaporem calido repletum profiliat, hæc simul ac in eandem diffusa est, vaporem refrigeratum coactum in angustius spatium redigat, & embolo imminenti, atque aeris externi pondere ingenti prægravato, libertatem descendendi, & antliæ aspirantes connexas secum in altum adducendi, largiatur. Et cum interim ligni Q ex librili antea commemorato pendentis beneficio ostia D & M, per quæ vapor & aqua frigida in cylindrum super aheno firmatum perveniunt, alternis vicibus referentur & claudantur, (quod artificium plenus hic exponitur) ita tandem motus & librilis & embolorum ipsi copulatorum præstatur. Cl. Interpres censet satius fore, si in locum embolorum aspirantium sufficerentur inversi, qui antliam in siphonem mutant, & aquas multo altius propellunt, uti in Marliensibus hic effectus cernitur. Vis autem qua hæc machinæ aquas elevat, a pondere columnæ aeris, quæ in embolum circularem L L diametri 2½ pedum, incumbit, derivatur, & 9599 libris æstimatur. Intra 24 horas ex Tamese hauriuntur 14400 modii sive dolia aquarum Parisiensia.

Differitur etiam de alia machina hydraulica prope Londinum fabricata, quæ aquis Tamesis maris æstu in acclivem alveum propulsis, & mox cessante æstu in mare refluxis rotatur; nec non de imitatione machinæ Londinensis, quam Architectus quidam Gallus Lutetis Parisiorum suscepit. Et sub finem additamentum occurrit observationis auroræ borealis, quæ A. 1727 d. 19 & 20 Octobris noctem illuminavit. Ceterum non dubitamus, hanc tantorum operum luculentam & solidam descriptionem gratam acceptamque fore iis, qui intelligunt, quantum referat in doctrina machinali experientia testimoniis & documentis indubis profecisse.

• PRO-

TAB. VI ad A. 1728 M. Nov. pag. 522.





**PROBLEMA GEOMETRIS PROPOSITUM.**

**C**Um in vacuo corpus ex quacunque altitudine delapsum & in quacunque curva incedens semper ad pristinam redeat altitudinem, ita ut descensus & ascensus verticales sint inter se æquales; peto jam *constructionem geometricam* curvarum plurium, aut etiam unius *curvæ, ut corpus fluido immersum super ea motum semper arcus descensus æquales describat arcubus ascensus, ex quocunque loco corpus descensum incipiat.* Ne vero huic questioni aliquid æquivoci sublit, dicam me ponere fluidum perfectum legemque resistantiarum veram, non fictitiam, proportionalium scilicet quadratis velocitatum, atque pro tali medio me petere curvam ABC talem, ut, si corpus descensum suum incipiat in quocunque puncto D, ut semper arcus descensu descriptus, & interceptus intra punctum D & punctum infimum B, nimirum arcus DB, sit æqualis arcui BE.

TAB. VI.  
Fig. 2.

**MEDITATIONES MORALES DE ACTIONIBUS** humanis ad promovendam felicitatem generis humani editæ a **CHRISTIANO WOLFIO**, Consiliario aulico Hassiaco, Mathematicum, nec non Philosophiæ Professore primario in Academia Marburgensi, Professore Petropolitano honorario, Societatum Regiarum Britannicæ ac Borussicæ Sodali. Editio tertia.

Francofurti & Lipsiæ, sumptibus Rengerianis, 1728. 8.

Alph. 2 pl. 3.

**C**Um harum meditationum, quibus universa theoria & praxis Philosophiæ moralis demonstrativa methodo pertractata continetur, A. 1720 primum prodiiisset; eam prolixè recensuimus in Actis A. 1721 p. 36 & sqq. Quoniam vero doctrinam solidam appetentes scripta *Wolfiana* avidè expetunt; nova jam editione opus erat A. 1722, quæ tamen nihil mutationis subiit, nisi quod nova eidem præfigeretur præfatio. Tertiæ autem, quæ hoc ipso anno prodit, editioni accessit discursus præliminaris, in quo Autor ea imprimis exponit, quæ ipsius opera ad Philosophiam moralem

ralem accedere & frustra alibi quaruntur. Quamvis enim desiderio nonnullorum satisfactorius, A. 1726 idiomate Germanico Commentarios edidit de scriptis propriis, quæ de singulis Philosophiæ partibus idiomate Germanico prostant, cumque hi Commentarii introductionis loco sint ad scripta Autoris, utpote philosophandi methodum, principia, usum & fata Philosophiæ *Wolffiana* atque methodum eam discendi tradentes, in iisdem quoque principia Philosophiæ suæ moralis delineavit; non tamen id obtinere putavit, quo minus in discursu præliminari novæ editioni præmissio lectorem moneret, quæ ante operis lectionem proficua esse poterant. Quoniam ex iis clarissime perspicere licet, quid ab Autore sperandum sit in opere morali, quod sermone Latino eodem habitu indutum, quo nuperrime Philosophia rationalis comparuit, suo ordine comparebit; non ingratum fore præsertim exteris existimavimus, si discursum istum præliminare in his Actis recenseremus. Primus itaque honestatem intrinsicam actionum distincte explicavit per earum cum naturalibus, quæ per essentiam animæ & corporis a sapientissimo conditore determinatæ sunt, & hinc constantem quoque inter se consensum, contraria directione continuo interrumpendum. Hoc ipso consensu hominem fieri creaturam perfectam sive bonam, quales necessitate naturali sint creaturæ ceteræ, hominem autem recto arbitrii liberi usu evadat. Unde alias jam observavimus, principium Juris naturalis Nostro tandem redire ad determinationem actionum liberarum per easdem rationes finales, per quas a Deo naturales vi essentia fuerunt determinatæ. Deinde obligationem naturalem, quam a naturis rerum derivandam esse agnoverunt & Theologi, & Philosophi, distincta notione explicavit ostendendo, quomodo motiva actionum, per quæ mens voluntatem determinare valet, ex ipsa honestate ac turpitudine illarum intrinsicæ deriventur, ut hac ratione in ruborem detheos, atheismum ob vivendi licentiam affectantes, quos præcticos proprie dixeris. Eadem etiam utitur ad evellendam noquam ex animis hominum opinionem, quasi durum servitutis jugum sit vivere sub Deo. Altius tamen mox originem obligationis naturalis repetiit, dum Deum essentia ac naturæ rerum autorem

rem



rem ejusdem quoque autorem esse, ex principiis theologiæ naturalis demonstravit, & præterea arbitrariam obligationem divinam ex tali factorum humanorum cum actionibus connexionem derivavit, ut illa harum motiva singulari quadam & individuis appropriata ratione esse possint, summæ bonitatis divinæ argumento. Neque in his sublitit, sed ulterius progressus docuit, quomodo attributa divina fiant actionum singularum motiva, ut omnibus in universum actionibus gloria Numinis continuo illustretur, sicque homo non sibi vivat, sed Deo. Etsi autem philosophus ad ea digredi non potuit, quæ divinis oraculis continentur; monuit tamen non absumili ratione Christianum ab opere redemptionis singularum actionum liberarum motiva & desumere posse, & debere, ut sic Deum in Christo singulis actionibus veneremur: quo ipso non modo Theologiæ moralis ideam distinctam effecit, cujus a Philosophia morali differentia clarissime nunc patet, sed & oratoribus sacris opus suum utilissimum præstitit, quos docuit, quomodo agenda auditoribus inculcantes motiva ab intrinseca eorum bonitate, Dei jubentis autoritate, ab attributis divinis, a dogmatis revelatis seu œconomia salutis & statu denique conscientiæ desumere debeant. Præterea accuratius quam alibi Autor pertractat doctrinam de conscientia, de arte conjectandi hominum mores, de usu præclaro & inexpectato syllogismorum in praxi morali, de officiis hominis erga Deum, de forma & usu formularum precum, de limitibus virtutum & vitiorum, de officiis erga inimicos. Decori quoque certa tradidit principia, dum actiones illuc spectantes per easdem determinari docuit, per quas determinantur quæ sunt virtutis. Id imprimis egit, ut ostenderet, quomodo homo recto voluntatis liberæ usu non nisi prælucente ratione actiones suas determinare debeat, quæ per essentiam ac naturam determinatæ non sunt, sed ipsius arbitrio relinquuntur, omni vi extrinseca procul seposita, cum omnis praxis ex notione libertatis fuerit deducta. Quemadmodum vero Nostro propositum est solidam tradere doctrinam, ingenia autem solida effici nequeant nisi fiant systematica, ideo singula ita inter se connectit, ut ratio posteriorum pateat per priora & notiones compositæ continuo resolvantur in alias simpliciores, moralibus

ex metaphysicis ultimo derivatis : id quod unicum medium esse censet sensim sensimque perveniendi ad notiones adæquatas, quibus & claritas, & evidentia in omni cognitione conservatur, quantum per naturam hominis conservari datur. Rationem ex iis, quæ recensuimus, reddit iudicii Theologi cujusdam pii & eruditi, quod in Commentariis de scriptis propriis adduxit, præclare de Metaphysica & Philosophia morali Cl. Autoris sentientis, cum integrum annum libris istis legendis singulisque, quæ in iis continentur, expendendis impendisset, ne temerario iudicio conscientiz maculam inureret. Voto denique finit discursum, ut novæ hujus editionis lectores instar apum mel prægustatum inde exsugant, adversarii vero tales evadant, quales desiderat opus hoc morale.

Nachricht von der erneuerten Deutschen Gesellschaft  
in Leipzig und ihre jetzige  
Verfassung.

h. c.

RELATIO DE SOCIETATE GERMANICA  
*Lipsiensi renovata ejusque ratione, a Sociis publicæ  
luci exposita.*

Lipsiz, sumptibus Societatis, typis Breitkopfianis, 1727, 8 maj.


Plag. 47.

**J**Am triginta anni abierunt, ex quo (anno scilicet 1697) Juvenes quidam Poeseos vernaculæ studiosissimi, e Gorlicensi Gymnasio prodeuntes, sub ductu *Jo. Burchardi Menckenii* nostri in eadem exerceri cœperunt, qui deinde, succedentibus paulatim aliis, institutum hoc, nullo quidem duce, usque ad A. 1717 continuarunt sub nomine Societatis Gorlicensis. Tum vero majus quippiam moliri, Bibliothecam Poetarum Germanicorum colligere, quæ dudum ultra millenarium numerum excrevit, pristinum ductorem suum iterum adire, eique præsidium


dium Societatis deferre, præter Gorlicenses etiam alios quoscunque in Poesi probe exercitatos adsciscere, & Societatis Poesin Germanicam excolentis, Deutsch. übende Poetische Gesellschaft, nomen sibi sumere. Cumque viginti quinque annis præterlapsis, A. 1722 Jubilæum quoddam celebraret Societas, edidit ipsa, interprete M. *Christiano Clodio*, Latinum Schediasma de Instituto Societatis Philo - Teutonico - Poeticæ &c. quod biennio post secutus est Catalogus Bibliothecæ, quam tum collegerat, Poeticæ; jamque spem faciebat, primo de edendis Poematibus suis, quibus jam aliquot Volumina oppleverant, 2) de Neumeisteriana collectione de Poetis & Poetastis Germanicis multum augenda, 3) de doctorum Virorum, Leibniti, Claubergii, Herzii aliorumque consiliis de evahenda lingua ac Poesi Germanica, cum notis criticis edendis, & 4) de Lexico Poetico novo concinnando. Nuper vero præter Poesin etiam prosam orationem sibi vindicans, de legibus reconcinnandis ac meliori ordine disponendis serio cogitavit, tandemque eas publici juris fecit hoc ipso, quem exhibemus, libello; unde patet, quæ in receptione cujusque membri observanda, quæ sint sociorum in genere & speciatim Senioris ac Secretarii sive officia, sive commoda, quæque jura Præsidis. Hinc exemplo Societatis Francicæ, *Societas Germanica* posthac, procul ambitione, dici maluit, & quo magis præmiolo aliquo proposito excitarentur Socii, ii qui proposita singulis annis a Præfide themata sive prosa sive versa ita elaboraverint, ut ceteros Sociorum calculo vicisse judicentur, moneta argentea, & Poetæ quidem ab una parte laurea, Oratores caduceo, utrique ab altera parte voce, dem Würdigsten, *dignissimo*, decorata, donantur, quod præmium augendum posthac sperant, ubi Mæcenatis cujusdam liberalitatem industria sua provocaverint. Annectuntur huic libello brevia quædam specimina utriusque orationis, in quibus estat etiam erudita Cl. M. *Jo. Christoph. Gottsched*, Societatis Senioris, disquisitio, qua vocem Germanicam Deutsch, non per T sed D scribendam contendit. Ceterum edidit nuperrime Societas Odarum Germanicarum fasciculum non inelegantem, de quo brevibus dicemus Mense proximo.

## NOVA LITTERARIA.

**H**Agæ Comitum Typographus maxime industrius, Petrus de Hondt, opus admodum elegans ac fere regium, Historiam nempe Vet. & Novi Testamenti per Tabulas æneas splendidissimas CCXIV, quibus brevis exegesis historica subjungetur, tribus in folio Voluminibus, sub titulo: *Tafrelen der voornaamste Geschiedenissen van het Oude en Nieuwe Testament*, subscriptionis lege edere parat. Id vero habet commodi hoc institutum, quod, cum jam triginta fere annis in colligendo hoc opere laboratum fuerit, Tabulæ omnes a præstantissimis Artificibus Hoet, Houbraken & Picarto inventæ & ab optimis Cælatoribus æri incisæ jam sunt paratæ, nec quicquam præter exegeses, quæ & ipsæ novo ac majori typo imprimendæ, nitidis picturis sub initium & finem cujusque exornabuntur, desideratur. Itaque qui Calendis Augusti hujus anni primo numeraverit, primum statim Volumen, qui d. 2 Januarii 1729 secundo, secundum, & qui Cal. Maji 1729, tertium Volumen nanciscatur; neque adeo metuendum cuiquam sit, ne editio per annos aliquot protrahatur. Fidem enim facit Typographus, se, nisi Cal. Maji anni sequentis opus absolutum fuerit, quadruplum numeratæ pecuniæ subscribentibus multæ loco soluturum. Cum vero chartæ quadruplici imprimere opus constituerit, solvent subscriptores pro exemplo in *media* charta, quæ tamen satis splendida, 54, in *Regia* 66, in alia quæ dicitur *supra regiam* 78, & in *Imperiali* 90 florenos Belgicos; quæ summæ non una sed partitim, ut jam ex superioribus intelligitur, tribus illis terminis, assignata cuique triente, penduntur. Si quis neglexerit primam solutionem nuperis Calendis Augusti faciendam (quanquam autumamus, pro rogatum adhuc esse hunc terminum) ei pro exemplari primæ chartæ 65, secundæ 76, tertiz 90 & quartæ 100 floreni numerandi erunt. Memorantur in programme edito 94 utriusque Belgii typographi, qui pecuniam ad se recipient, quos hic enarrare omnes non licet: miramur tamen nullam hic Hagienfium, Lugdunenfium, Amstelodamensium & Roterodamensium mentionem factam, ut itaque nostri optime facturi sint, si vel apud Ultrajectinos, qui omnes, ni fallimur, hic nominati sunt, vel apud ipsum editorem nomina sua profiteantur.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART  
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

ACTA ERUDITORUM  
LEIPZIG 1728

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT  
DAS ORIGINAL DER STADTBIBLIOTHEK  
BRAUNSCHWEIG ZUGRUNDE

SIGNATUR: M 612 y 4<sup>0</sup>

# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Decembris Anno MDCCXXVIII.*

JO. GOTTLÖB CARPZOVII, S. THEOL. D.  
*Prof. Publ. & Archidiaconi Lips. Critica sacra  
Veteris Testamenti.*

Lipsiæ, apud Jo. Christ. Martini, 1728, 4.

Alph. 5 pl. 12½.

**U**tilissimam Theologiæ cultoribus navavit operam Summe Reverendus Autor, in medium proferens *Criticam* hanc *sacram V. T.* & accuratissimo studio perfequens, quæcunque ad hanc disciplinam pertinent. In *Proæmio* differit de natura Criticæ, ac speciatim de natura & indole Criticæ Biblicæ, ejus non solum historiam paucis exponens, verum etiam scriptores ejus, addito de singulis judicio suo, recensens. Ac inter hos quidem principem locum tribuit Celeb. Wolfio, conditori *Bibliothecæ Hebrææ*, ac Aug. Pfeifferi *Criticam sacram* præ ceteris commendat Theologiæ consecratis. Ipsum Opus tribus absolvitur Partibus, quarum prima *de Critica textus originalis* inscripta est, & novem Capita exhibet. Horum primo de codicis Hebræi origine divina agitur, præmissisque variis divinæ revelationis modis, necessitas ostenditur revelationis per Scripturam factæ, hujusque indoles ita describitur, ut scriptores sacri præter externæ scriptionis ministerium nihil præstiterint, resque non solum, sed etiam verba Spiritum S. habeant autorem. Docetur etiam, quem in modum post Mosem Prophetæ suos libros addiderint, (explosa simul Rich. Simonii opinione de scribis publicis,) & tandem Esdras cum assessoribus Synagogæ magis corpus librorum sacrorum in ordinem redegerit. *Cap. II de*

p. 83 sq.

*αὐθεντία* & autoritate codicis Hebræi agit Autor doctissimus. Ad eam evincendam duplicis generis argumenta expromit, alia *inductiva ad credendum*, quæ fidem generant tantum humanam, alia *convictiva*, quæ divinam fidem gignunt. Prioris generis argumenta dividit in interna & externa. Et *interna* quidem hocce complectitur syllogismo: Quicumque Codex, religionis normalis & originarius, 1) intemeratæ veritatis est, qua divinitatis suæ testimonium sibi perhibet, 2) sanctissimas complectitur doctrinas, & tales, quæ non nisi ex sanctissima Dei mente promanare potuerunt, 3) sublimissima tradit mysteria, omnem humanæ rationis captum longe excedentia, 4) tam efficaces & solidas præbet consolationes, quales nulla mortalium suada ægris mentibus adhibere queat, 5) incredibilis prorsus est efficaciam & virtutis in movendis non modo & flectendis, sed novis plane ingenerandis quoque animis, 6) vaticinia complura prodit, perspicua, definita, & nulla hominum sagacitate investiganda, eventu tamen comprobata, 7) stilo ipso plusquam humanam *δενόητα* spirat, 8) diversissima tam volumina, quam argumenta, perpetuo harmoniæ per omnia sibi constantis nexu scite connectit; ille humanæ esse nequit fœturæ, sed divinæ prorsus originis est & autoritatis. *Externa* huic includit syllogismo: Quicumque Codex, religionis normalis & originarius, 1) & conformationis & argumenti antiquitate, non alios modo Codices omnes, verum etiam omnem hominum memoriam superat, 2) ab *ἀρχαίων* divinæ inspirationis testibus est consignatus, 3) perpetuum & non interruptum omnium seculorum fert testimonium divinitatis, 4) martyrum sanguine & morte ceu divinus obsignatus fuit, 5) contra omnes totius mundi & diabolorum cum insidias, tum persecutiones, non sine miraculo tot seculis fuit servatus integer; is originis est & autoritatis divinæ. *Convictivum* argumentum unum statuit, nempe operationem Spiritus S. per verbum corda rapientem in assensum & confirmantem. *Cap. III* puritatem & integritatem sacri Codicis propugnat 1) ex canonis Scripturæ indole ac dignitate, 2) ex evidentissimis Scripturæ oraculis, *Matth. V, 18, Joan. V, 39, & Rom. III, 2*, (quæ dicta clarissime tueri Hebræi Codicis integritatem, contendit contra Celeb. Pfaffium,) 3) ex divinæ pro-



providentiæ cura, 4) ex humana circa sacrum codicem solertia, 5) ab impossibili. Hinc, quæ Critici in medium proferunt ad evincendum, sacrum codicem non carere mendis, diligenter diluit, non tamen dissimulans, etiam inter nostros Theologos fuisse, qui nonnullis locis emendandum statuerent sacrum codicem. *Cap. IV* partitiones Hebræi codicis doctissime persequitur. Dividitur enim is in legem, Prophetas, & hagiographa: singuli libri rursus dividuntur in *Paraschas* & *Haphtaras*, itemque in capita & versus. *Caput V* octo Sectiones habet, quarum *prima est de lingua Hebrææ appellationibus*. Hic initio statim pugnat, linguam Hebræam nomen traxisse ab Hebero Patriarcha, secusque sentientibus Criticis diligenter & copiose respondet. *Sec. II* contendit, linguam istam esse primam omnium & antiquissimam. *Tertia* Neumanni, Lœscheri, & Zieroldi singularem opinionem de radicibus Hebræarum vocum biliteris, deque literarum Hebraicarum valore intrinseco, proponit dilucide, adjectis causis, cur huic sententiæ non possit subscribere. *Quarta* linguæ Hebræicæ dignitatem describit & excellentiam, puritatem, opulentiam, sanctitatem, elegantiam: hasque ejus virtutes defendit contra Celeb. Clericum, admodum tenuiter de hac lingua sententem. *Quinta* quatuor ætates & vicissitudines hujus linguæ persequitur. *Sexta* contendit, literas Hebraicas, ut hodie pinguntur, esse primævas, &, quæ a Criticis quibusdam huic sententiæ opponuntur, refellit. *Septima* contra eos disputat, qui negant, puncta vocalia & accentus literis ætate pares esse, & ab ipsis sacris scriptoribus fuisse adhibitos. *Octava* denique *Sectione* agit de Chaldaismo Biblico. *Cap. VI* Masoræ, hoc est, Criticæ Judæorum Biblicæ, historiam exponit, & insignem utilitatem describit, cumque Masoræ contemptoribus fortiter congredditur. *Cap. VII* *Keri* & *Cbetibb* arcessendum existimat a variante diversorum Codicum scriptura. Accessisse deinceps judicat honestiorum probæ vocabilis lectionem, unamque vel alteram magistrorum interpretationem. Quod si quæris, utrum *Keri* an *Cbetibb* sit scriptura authentica, Noster ab eorum stat partibus, qui *Cbetibb* tamdiu habent pro vera scriptura, donec evidentibus indiciis evicta fuerit *ὡς δευτέρα τῆς Κερί*. *Cap. VIII* præfatus, autogra-

pha sacrorum scriptorum non superesse, imo & percelebres illos Codices, Hillelianum, Ægyptiacum, Babylonium, & Hierichuntinum, periisse; de superstitiis codicibus Hebræis Sacræ Scripturæ MSS. tam Synagogarum, tum aliis, verba facit. Antiquitatis etiam & bonitatis eorum criteria exponit, & speciatim Dresdensem regium codicem describit copiosius. *Cap. IX* de variis Bibliorum Hebraicorum editionibus agit, tum de Polyglottis, tum de Rabbinaicis, tum de Hebræo - Latinis, tum denique de simplicibus. *Pars secunda* hujus operis dicata est versionibus Hebræi sacri codicis. Ac primo quidem loco de *Targumim* sive versionibus vel potius paraphrasibus Chaldaicis differit. Hic de earum ætate disputat contra Celeb. Wolfium: Autores earum recenset: de singulorum laboribus suum exponit judicium: denique usum earum laudat exegeticum, polemnicum, & historicum. Considerat etiam hac occasione vocem מִן נִרְמָס, quæ a multis pro appellatione Messie habetur, ac τῶν λόγων Joannis Evangelistæ respondere creditur. At Noster hanc sententiam non putat inniti firmo fundamento, neque adeo vult, hoc argumentum urgeri in disputatione cum Judæis suscepta. *Cap. II* versionem Græcam LXXviralem ob oculos ponit. Ptolemæum Philadelphum eam adornandam curasse, cum Criticis negat, & pro autoribus habet Alexandrinos quosdam Judæos. Nec universam Scripturam simul conversam esse credit, sed alium librum alio tempore. Observat hinc, istos interpretes usos esse codice non punctato. Recenset etiam vitia & nævos hujus versionis, eosque redigit certa sub capita. Tum contemplatus editiones hujus versionis tum veteres, tum recentiores, ultimo loco utilitates edisserit ex hac interpretatione capiendas. *Cap. III* de Græcis V. T. versionibus Aquilæ, Theodotionis, Symmachi scitu digna doctissime tradit, annexa luculenta tractatione de opere Origeniano. *Cap. IV* de Pentateucho Samaritano acturus, præmittit narrationem de gente & religione Samaritana, contra Basnagium probans, Samaritanos solum Pentateuchum e libris sacris recepisse, ejusque rei causas adducens admodum probabiles. De ætate & origine Samaritani hujus Pentateuchi sex producit sententias, &, quinque refutatis, in communiore acquiescit, qua statui-

statuitur, sacerdotem illum, a Rege Assyrio in terram sanctam missum, (2 Reg. XVI, 24) Hebræum Codicem descripsisse elementis Samaritanis sive Cuthæis: idque a Basnagio ad oculum demonstratum esse, pronuntiat. Hinc nævos hujus Samaritani codicis & ab Hebræo diversitates sub certos titulos solerter digerit. Tum eos confutat, qui codicem Samaritanum Hebræo auteponunt, allatisque lucidis argumentis contendit, primas deberi Hebræo Codici, ex eoque corrigendum esse Samaritanum. Nichilominus concedit, & pluribus ostendit, insignes fructus capi posse e Samaritano illo Pentateucho. *Cap. V* versiones V. T. Syriacam, Arabicam, & Æthiopicam sub examen vocat. Et Syriacam quidem ultimæ antiquitatis esse concedens, parum tamen accuratam esse docet, sæpeque ab Hebræo Codice diversam, adeoque gravibus scatere nævis. Pari diligentia ubi ceteras duas versiones pertractavit, *Cap. VI* confert se ad versionem Latinam vulgatam. Errare hic docet Pontificios, eam auctori tribuentes Hieronymo, statuitque, eam esse mixtam ex vetere Itala & ex Hieronymiana versione. Hinc ejus nævos haud sane leves sub certas revocat classes, agens etiam de ejus emendationibus & castigationibus subinde susceptis. *Cap. VII* de Latinis recentioribus versionibus agit, Lutheri, Seb. Schmidii, Xantis Pagnini, Seb. Munsteri, Leonis Judæ, Sebast. Castalionis, Tremellii & Junii, debitis quamque laudibus pariter ac vituperationibus ingenue persequens. *Cap. VIII* de duabus differit Judæorum versionibus Hebræo - Germanicis: e quarum posteriore longum exhibet exemplum Judaicæ adversus Christianos disputationis, ea proferens sedecim paginis, quibus Judæus ille auctor eripere Christianis conatur Jesaiæ oraculum de nativitate Messiae e virgine. Si quis forte miratur, omissam esse tractationem de Germanica Lutheri, de Belgica, ceterisque recentioribus exoticis versionibus V. T. is ex Proœmio discat, Autorem alio tempore & hoc argumentum esse persecuturum.

Progrediamur ad *Partem tertiam*, quæ disputationem continet Anti-Whistonianam. Edidit videlicet Guil. Whistonus A. 1722 lingua patria *Tentamen, tradens modum restituendi genuinum V. T. textum, & vindicandi citationes inde in N. T. factas.*

1782. *Etas.* Quo viro cum nocentiorum & ab amplissimo ingenii & eruditionis apparatu instructiorem hostem Scriptura S. non obrigisse S. R. Autor censet, nec tamen quisquam singula ejus argumenta discutienda susceperit ac profliganda, ipse desungi hoc labore non est gravatus. In principio Whistoni integrum Systema exhibet tribus veluti verbis. Hinc refutationem ejus decem concludit Capitibus, quorum primo singula refellit argumenta, quibus usus fuerat Whistonus ad probandum, nostra V. T. exemplaria multis in locis differre ab iis, quae tempore Christi & Apostolorum legebantur. Hac occasione non solum multa loca V. T. illustrat accurateque interpretatur, e. g. *Genes. IV, 8: dixit Cain ad Abel*; *Psal. XXII, 17, יָדוֹ*, sed etiam observat, Whistonum multa tela sumisse ex armamentariis Cappelli, Morini, aliorumque. *Cap. II* refutat argumentum Whistoni, ab allegationibus V. T. in N. factis petitum & ab earum discrepantia. Hic primo Autor sub certostitulos redigit, idque singulari diligentia, loca V. T. in N. T. repetita, ac viam sibi hoc pacto munit ad diluendas Whistoni cavillationes. Tum singula loca expendens, ita respondet adversario, ut simul fontes indicet, e quibus ille objectiones suas hausit. *Cap. III* aggreditur Whistoni sententiam de corrupta inde a Christi & Apostolorum ætate versione LXXvirali, & argumentorum ejus imbecillitatem omnium conspectui exponit. *Cap. IV* contra eum asserit divinam originem & autoritatem canonicam Cantici Canticorum, quod is nec in canone sacro haberi oportere censet, nec unquam vel a Judaica vel a vetere Christiana Ecclesia habitum fuisse contendit. *Cap. V* absurditatis convincit sententiam Whistoni, statuentis, illam veteris Samaritani cum recentiore Chaldaeo caractere permutationem in Bibliis Hebraeis factam a Judæis esse proximo a nativitate Christi seculo. *Cap. VI* labefactat argumenta illa, quibus Whistonus efficere studuerat, Pentateuchum Samaritanum esse sincerum exemplar quinque librorum Mosis. *Cap. VII* errorem ejus coarguit, docentis, scriptores N. T. ac Philonem & Patres apostolicos, itemque scriptores quatuor priorum seculorum, non produxisse dicta V. T. ex Codice Hebræo, sed e versione LXXvirali. *Cap. VIII* contra Whistonum, ideo contenden-

tendentem, Josephum exacte secutum fuisse sui Codicis Hebræi lectionem, ut inde probet, nostrum Codicem Hebræum esse depravatissimum, præclare docet, Josephum haud incorrupta fide referre V. T. historias, eundemque Hebræi sermonis non admodum peritum fuisse, nec accuratum in rationibus Chronologicis. *Cap. IX* ostendit, quam inepte Whistonus demonstrat, Judæos seculo secundo exemplaria V. T. corrupisse, idque ne potuisse quidem fieri, satis manifestum facit. Denique *Cap. X* Whistonianum consilium, secundum quod genuinus V. T. textus sit restituendus, breviter exhibet, ac breviter (nec enim opus hic erat longa disputatione,) exagitat & refutat.

Ceterum cum S. R. Autor in *Proæmio* velit, etiam *Introductionem* suam ad libros V. T. haberi pro parte *Criticæ* hujus *sacrae*, nobis liceat hoc voto concludere nostram recensionem præstantissimi operis, ut Theologiæ cultoribus etiam exhibeat *Introductionem in libros N. T. & Criticam sacram N. T.*

p. 18.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB  
A. D. ad A. MD. LUDOVICUS ANTONIUS  
MURATORIUS collegit, ordinavit & Præ-  
fationibus auxit.

*Tomus X.*

Mediolani, ex typogr. Societ. Palatinæ, 1727, fol.

Alph. 8 pl. 8 cum Tab. æn. 2 & una Tabula majori Geogr.  
Italix mediæ ævi.

**E**T si Tomus IX nondum ad nos pervenerit, Supplementis reservandus, attamen cum & decimus & duo sequentes Tomi jam prodierint, lubet interea decimum producere. Enimvero Tomus hic, quem Mediolanenses Palatini Socii LEOPOLDO I, Lotharingæ Duci, consecrarunt, præ ceteris commendari meretur, quod præmissam habet *Tabulam Italiae mediæ ævi Græco-Longobardico-Francici*, in quam commentatus est *Anonymus Mediolanensis*, ut dicitur in Elencho præmissio, *Regius Ticini Lector; Vir, judice Muratorio, non minus antiqua eruditione,*  
quam

quam iudicio Critico summe commendandus, summe accuratus, Et cui bene sanguis calet in venis. Nominatur vero Autor, ut ab aliis accepimus, *Caspar Berettus*, Monachus Benedictinus e Congregatione Casinensi, Lector publicus in Universitate Ticinensi & Patricius Mediolanensis, qui cum latere voluerit in ipso opere, nomen suum a nobis hic prodi, indigne haud feret. Equidem ipse Cl. Autor in subijuncta Protestatione, quam vocat, nimis parum otii ad hanc operam sibi relictum fuisse queritur a Sociis Palatinis, qui quam primum promissa olim data solvere cupiebant, speratque, se olim castigatiora hæc editurum, informem quippe hunc factum modeste appellans; nec diffitetur, se contra receptas non raro sententias severum iudicem insurrexisse, nullius quippe auctoritati addictum. Quod vero præterea parum expoliti & nonnunquam etiam involuti styli invenustatem agnoscit, non est quod multum excuset, cum vix fieri possit, ut, qui tantopere in scriptoribus mediæ ævi versati sunt, styli venustatem servent, maxime cum rebus magis, ut Noster, quam verbis intenti sint. Præmisit Autor Prolegomena satis prolixa, per 96 scilicet paginas excurrentia, quæ si vel sola recensere pro dignitate velimus, operosus admodum labor nobis suscipiendus esset. Ut præcipua attingamus, Autor Sect. I fines utriusque Imperii describit, quales fuere Seculo IV. Sect. II Anonymum Ravennatem, quem *Guidonem* nominat, minime integrum a Porgeronio editum probat, sed ejus tantum compendium, ad Ant. Galateum maxime in libro de situ Japygiæ provocans. Sect. III Paulum Warnefridi Diaconum, etsi Longobardum, nec Longobardorum tamen aut Græcorum in Chorographia Italiæ rationem sequi docet, sed cum libello *Provinciarum Romanarum*, sæpe olim edito, in plerisque consentire. Sect. IV de Cellarii nostri Geographia mediæ ævi, etsi nunquam edita vel edenda, ex tabula ejus Italiæ prodroma sequius judicat, eam medio ævo non satis accommodatam, asserens, cum tantum ad Seculum IV & V respexerit, ubi omnia satis liquida; at turbatam demum fuisse Italiæ topographiam Seculo VI vergente, atque hic desiderari testes fide dignos contendit. Sect. V Hieroclis Grammatici *notitiam*, cui titulus: *Συβένδημος* sive *Comes peregrinationis*, pro-

via-

vincias & urbes Imperatori CP. subjectas continentem, mutilam esse demonstrat; simul & sequi eruditos omnium provinciarum jubet exemplum Chr. Junckeri, qui Geographiam medii ævi patriæ, h. e. Germaniæ, vernacula dedit, a Nostro per errorem Bibliothecarius Regis Prussiæ dictus, cum potius dici deberet Bibliothec. Ifenacensis & Societatis Prussicæ Socius. Dum Sect. VI fontes indicat Chorographiæ Italiæ, diplomata maxime Longobardorum & Carolingorum; Desiderii Regis Edictum, quantum ab Holstenio pro genuino habitum, adhuc tamen suspectum habet, eum Autor, quisquis sit, Viterbii antiquitati eo consulere præcipue voluisse videatur, & quæ sunt alia a Nostro indicata. Inter falsarios vero codicum Alf. Ciccarellum, ideo ultimo supplicio addictum, & nostro tempore Carolum Gallutium nominat. Ludovici Pii tabulam, qua donationes Pipini & Caroli M. confirmat, genuinam asserit; contra Constitutionem Ottonis III adversus Ecclesiam in suspensionem vocat. In reliquis de aliis quibusdam argumentis agit, de quibus commode agi in Chorographia ipsa non poterat, ut de jurisdictione Longobardorum ævo Sect. VII; de partibus Regni Longob. cis Tiberim Sect. VIII; de divisione Italiæ ævo Francico in Ducatus, Comitatus & Marchas Sect. X; de testamento Attonis falso, e quo quidem Cl. Imhofius stemma Desiderianum conlasse Nostro creditur, Sect. XI. Ipsam Chorographiam non est ut latius recensamus, cum seorsim etiam cum Tabula, Prolegomenis & duplici Indice, Chorographico altero, altero nominum & materiarum, excusa profert, sufficietque adeo, nos de opere profunde erudito salivam movisse. Sequitur II *Albertini Mussati*, Historici Patavini, de *gestis Henrici VII Cas. Historia Augusta*, & III ejusdem de *gestis Italorum post mortem Henrici VII Cas. Historia*, ad A. 1429 producta, quibus etiam accedunt ejusdem *Ludovicus Bavarus* & *Tragœdia Eccerinis* dicta & vario Carminis genere composita. Quantæ sint raritatis, quantoque pretio hactenus venerint hæc Mussati Opera, quæ cum Laur. Pignorii, Felicis Osii & Nic. Villani notis, aliisque veterum monumentis & Chronicis, quæ vel inserta jam sunt huic collectioni commodis locis, vel posthac inferentur, Venetiis prostant 1635 in fol. ma-

xime si exemplum lituris haud deformatum, ut sunt pleraque, haberi posset, nemo ignorat. Quare laudandum est consilium Celeb. *Muratorii*, qui non modo Historiam Henrici VII cum reliquis iterum typis subjecit, verum & doctorum Triumvirorum notas, in priori editione ad calcem rejectas, suis locis subjecit, quanquam plerasque tam prolixas, ut per aliquot folia excurrant. Observat vero idem, in Codice MS. antiquo prope coævo Bibliothecæ Estensis autorem perpetuo *Muxatum* dici, adeo ut vix Scardeonio, de claris Patavinis agenti, subscribere possit, qui eum e familia Mussa primo procreatum, postea ex Poetices laude *Musati* (quasi Musis grati) cognomen accepisse putat. Natus is Patavii circa A. 1260, A. 1329 vel 1330 exul obiit; de quo Scardeonius de Antiqu. Patav. L. II Classe X & Vossius de Hist. Lat. L. III C. 7 latius commentati. Sed Lectore ad hos remisso, Noster ex opere magno inedito, quod *Xicco* seu *Sicco Polentonus* altero post mortem Mussati seculo *de Scriptoribus Latinis* seu iis, qui vel ipsi linguam Latinam suis libris illustrarunt, vel Commentariis juverunt, summo labore & multa eloquentia conscripsit, vitam Mussati dedit lectu dignam. Ceterum idem, præter editionem Venetam, consuluit Codicem illum Estensem, e quo Prologos duos, in editis non exstantes, addidit & lacunas in Ludovico Bavaro deprehensas supplevit, impetravitque a Cl. Phil. Argelato, ut Ambrosianum Codicem membraneum diligenter conferret, nihil adeo, quod ad exornandum opus faceret, omittens. Succedit IV Anonymi *Chronicon Sicilia ab anno circiter 820 ad A. 1328*, antea a Monachis Benedictinis, Martene & Durando, Thesauri novi Tomo III p. 5 sq. vulgatum; etsi enim docti isti Viri, Chronicon hoc ad mortem Friderici II Regis Sic. quæ in A. 1340 incidit, pertingere diserte scribant, ipsa tamen inspectio docet, illud haud ultra A. 1328 excurrere. Plura de eo non memoramus, nisi quod multa Autor hic congefferit monumenta, quæ alibi frustra quæras. Denique V clauditur hic *Tomus Nicolai Specialis Historia Sicula ab A. 1282 ad A. 1337*, quam Petri de Marca operi posthumo de Marca Hispanica in Appendice adjecerat Steph. Baluzius, ideo quod Regum Aragonensium res ultra seculum in Sicilia gestas contineret. Quem autorem

non



non infimæ dignationis fuisse, patet ex eo, quod ad A. 1334 de se ipso testatur, se una cum aliis a Friderico Rege ad novum Pontificem Benedictum XII legatum fuisse. Quod vero idem fuerit Prorex Siciliae, demumque 1444 diem obierit, ut Rocchus Pirrus in Notitia secunda Ecclesiae Syracusanæ prodidit, in eo Pirrum magnopere falli, Noster diserte docet.

**JOH. SCHILTERI INSTITUTIONES JURIS Feudalis Germanici & Longobardici, notis illustratae; accedunt Constitutio de Expeditione Romana, cum M. FREHERI & aliorum notis; LUD. CANT. FABRI de eadem Commentatio; CONR. SAM. SCHURTZ-FLEISCHII de Conrado Imp. & de eadem Constitutione Dissertatio, opera & cura D. GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI, Jur. Feud. in Academ.**  
Lips. P. P.

Lips. apud Joh. Frid. Gleditschii B. Fil. 1728, 8.

Alph. I.

**D**Eauro in lucem prodierunt B. Schilteri Institutiones Juris Feudalis, quæ cum abunde præstantes sint atque utiles, laudis nostræ haud videntur indigæ. Operæ autem pretium esse existimamus, quid præcipuum sit quod in nupera hac Editione accesserit, paucis exponere. Prima Consultissimi Editoris cura fuit, Autoris textum in antea vulgatis libelli exemplis sphalmatibus inquinatissimum restituere, proxima, Schilterianæ brevitati observationibus & annotationibus quibusdam succurrere, tertia nonnulla adjicere, & ea quoque præfando, recensendo & annotando ornare, quo libello aliquid magnitudinis forte & pretii accederet. Ipsæ autem hæ annotationes satis loquuntur, qua diligentia V. Cl. Clientelaris Juris scientiam perlustraverit planeque excusserit, tantoque majorem eæ merentur attentionem, quanto magis in illis vel varia Juris Feudalis capita accuratius exposita sunt, vel ad optimos Longobardici æque ac patrii Juris textus, aut ad præstantissimos autores remissum est. Certo igitur augu-

ramur, novam isthanc editionem omnibus Juris Feudalis studiosis gratissimam fore pariter ac utilissimam.

Accessionum autem vel potius ornamenti loco Vir Cl. celeberrimam de Expeditione Romana Constitutionem huic libello adjecit, eique Præfationem lectu dignissimam præmisit. In illa enim a p. 196 usque ad p. 203 hujus Constitutionis Editiones, si ab una discesseris, omnes oculis usurpatas, accurate recenset, deinde a p. 203 usque ad p. 227 de Autore illius Constitutionis, & quam diversa Viri docti de ea teneant, agit, eorum rationes & dubia solide examinat, atque hac occasione varias observationes ex ultima Germanicæ antiquitate petitas inspergit. Speciminis loco conferant modo, qui volent, quæ p. 216 de Roncaliarum situ, p. 217 de nominis hujus origine erudite commentatur, nec non quæ p. 229 de Conrado III habet, quem post susceptum Germanicæ regnum Italiam A. 1143 omnino attigisse, ex Diplomate apud Campum Histor. Eccles. Placent. T. I n. 134 extante demonstrat, quod egregium historicæ Germanicæ momentum peritissimos etiam hæctenus latuisse videtur. Tandem Vir Cl. p. 227 sententiam suam de modo laudata Constitutione proponit, eamque Conrado II tribuendam esse existimat, illiusque firmandæ gratia a p. 232 usque ad 234 egregia plane in medium profert. Præfationem excipit ipse Constitutionis textus, qui editionis omnium primæ Rittershusianæ est, cum qua alterum authenticum, editionem Freherianam, tum etiam reliquas editiones, quæ ad manus fuerunt, contulit. Inde illæ varix lectiones ad marginem notatæ. Commentarius quoque Freherianus ex editione prima descriptus est, ita tamen ut eum Fabri & Brusselii notis locupletaverit, præterea etiam cum Clutenii editione contulerit, ejus glossæ uncinulis inclusit, mantissam quoque, ne quid desit, in fine addiderit. Calcem vero ornant L. Cant. Fabri Commentatio ex Lib. I c. 6 p. 33 Tr. de Feudis deprompta, & Schurtzschiana de Constitutione illa Dissertatio, pereximia equidem, hæctenus autem raro obvia. Quod reliquum est V. Cl. publico nomine rogamus, ut quam primum paginæ 235 fidem liberet, quippe quæ plura exornando Juri Feudali idonea harum literarum cupidis amice spondet.

HUGONIS

MENSIS DECEMBRIS A.MDCCXXVIII. 541

**HUGONIS GROTII FLORUM SPARSIO**  
*ad Jus Justinianum; cum Præfatione D. GEORGII*  
**CHRISTIANI GEBAUERI, Jur. Feud. in Acad.**

*Lips. P. P. cum Indicibus tribus.*

Halæ, impensis E. G. Crugii, 1729, 8.

Alph. 1 pl. II.

**Q**ua diligentia Vir Cl. Jurisprudentiam Feudalem exorner, modo intelleximus, quam sollicitè vero curam suam elegantiori quoque Jurisprudentiæ civili admoveat, præter alia quæ jamjam extant, Præfatio huic libello præmissa documento esse potest. Ipso equidem libello recensendo supersedere possumus, quippe qui sat celebritatis habet, illud tamen de hac nova editione monendum esse duximus, quod ea juxta editiones Belgicas nonnullis erroribus inquinatas expressa sit. Annotavit illud jamjam V. Cl. in præfatione, atque nævos quosdam, & nonnulla, quæ ipsi Grotio, ut homini, exciderunt, eleganter emendavit, ut omnino harum literarum studiosi libellum isthunc rarum æque ac pro mole alias nimis carum, non modo pro justiori pretio, sed etiam novis observationibus atque emendationibus locupletiores habituri sint. Ceterum in Præfatione eadem ut vera ita eleganti prædicatione divina ingenii Grotiani monumenta in majus extollit, variaque de eo singularia annotat, quæ legisse nominis Grotiani amatores forte non pœnitebit.

**CONR. SAM. SCHURTZFLEISCHII** *FUNDAMENTA HISTORIÆ GERMANICÆ MEDIÆ; ex MS. eruit & Dissertationem de pietate CAROLI M. qua in conversione Saxonum ad Christianorum sacra usus est, præmisit*

**M. CAROLUS GOTTLOB**  
**HOFMANNUS.**

Sneebergæ, apud Car. Wilh. Fulda, 1728, 8.

Alph. 1 pl. 5.

**Q**uam magna sit *Schurtzfleischiorum* in orbe literato dignitas, luculenta horum monumenta æque ac summorum vi-

- rorum testimonia dudum confirmarunt. Beate defunctus *Conradus Samuel* historiam ornavit imprimis, gesta que antiquissimi pariter & medii ævi adeo tenuit, ut pauci ipsi æquiparari possint, nemo pene anteferri. Qua re factum est, ut Cl. *Hofmannus*, Lipsiæ degens atque docens, historiam Carolingorum & sequentium temporum ab isto contextam, & ab *Henr. Leonbarde*, fratre, olim promissam, in vulgus ederet: ac præfaminis loco de pietate *Caroli M.* in convertenda Saxonum gente differeret. Nimirum, quum pietatem *Caroli* ubivis terrarum decantatam æstimaret, ac sollicite ponderaret, multa ipsi occurrebant, quæ Lydiæ lapidei vix ferre videbantur. Quare pleraque hic scripta, quæ ad eum pertinent, ceu partium studio, vel rerum ignorantia, vel opinionum amore contaminata, a Cl. *Hofmanno* notantur, ne *Eginhardo* quidem excepto. Tria verò potissimum sunt, quibus horum autorum fidem sollicitavit: I) testes esse monachos, qui vel summa ignorantia rerum oppressi, vel perverso studio capti, veritatem ubique haud sequebantur; II) *Carolum* immodica regnandi cupiditate flagrasse, & amplissimis regionibus Saxonici, ut & maxima gentis gloria allectum, feroces Saxones invasisse, verasque causas pallio religionis & pietatis texisse; III) ipsum modum conversionis fuisse justo negligentiore, ac luculentissime docere, religionem *Carolo* haud fuisse cordi, cum satis habuerit, victos succubuisse, debitamque obedientiam victori præstitisse. Hæc singula pluribus autorum testimoniis confirmavit, deque *Alcuino* p. 14, *Eginhardo* p. 21, carminibus *Bartholomæi* p. 8, deque aliis scriptoribus vitæ *Caroli M.* p. 11, & passim varia notatu digna in animadversionibus subjunctis adjecit. Quod ipsum *Schurtzschii* opus attinet, genus scripturæ elegans est, fluitque pure ad exemplar veterum historicorum. Annales composuit Autor, annorum seriem magis, quam ordinem rerum secutus. Principium ducit a *Carolo M.* cujus vitam prolixè a p. 1 ad p. 75 commemorans, plurimum laborem in enarranda Saxonum conversione consumit. *Rolandi* habitum corporis maximum negat, existimans statuas *Rolandinas* fuisse signa fori tantum. Cum mentio injiceretur clientum regionum, seu vassorum, in sanctionibus *Caroli M.* ostendit, horum potissimum
- p. 13.
- 18.
- 23.
- 17.
- 19.

finum munus fuisse, valvas, id est, fines, regni Francorum defendere. De ortu scholarum Francicarum & Saxonicarum egregie differit, harumque divisionem in episcopales & monasticas solite exponit. Celebrem Hamburgi urbem, nullius Principis aut Comitum, sed providentia & sumtu Caroli M. conditam, refert, studiose monens, Hammaburgum a silva propinqua, non ab Hammonis simulacro, neque a Gambriviis, multo minus ab Hama quodam pugile, nomen duxisse. Tandem Carolus, postquam fatis A. C. 814 concefferat, anno ætatis sexagesimo septimo, Aquisgrani solemniter & crimonis sepultus est. Successit *Ludovicus* cognomine *pius*, quem a patris prudentia & fortitudine nimium quantum deflexisse, præsulumque consiliis, ut & filiorum ingeniis nimis indulgisse, Noster perhibet. Vitam ejus a p. 75 ad p. 106 enarrat, deque ritu se purgandi per duellum p. 55, de titulo, *Gratia Dei*, p. 89, de innocentia Judithæ p. 99, aliisque memoratu dignis tradit. Ita in reliquorum quoque Regum & Imperatorum vitis versatus est, ad A. 1200 in vita Philippi tandem filium abruptens. Ceterum accessere & passim notula, quæ ipsæ uni *Schurtzschio* debentur: nec dissimulandum, errata typographica aliquando non minimi momenti irrepsisse, quæ tamen Cl. Editori, qui per absentiam aliis impressionis curam relinquere debuit, minime imputaveris.

p. 36.

66.

73.

76.

## AMOENITATES LITERARIÆ.

### Tomus VII & VIII.

Francos. & Lipsiæ, apud Dan. Bartholomæi, T. VII 1727;

T. VIII 1728, 8.

Alph. 1 pl. 21.

**R**ECENSITIS superiori tempore *Cl. Schelbornii Amœnitatibus literariis* nunc merito adjungimus Tomum earum septimum & octavum, utriusque Capita, quam fieri potest, brevissime exponentes. *Tomus* igitur *septimus* primo loco exhibet acceptam ex *Uffenbachiana* bibliotheca *Commentationem in antiqua monum-*

*numen-*

*numenta, in agro Tigurino nuper eruta.* Repertæ scilicet sunt in pago *Kloten* aliquot egregiæ antiquitatis reliquiæ, pavementum marmore cæsiu diminuto stratum, varii generis instrumenta sacra, nummi, inscriptionesque, quæ nunc universa in Cimeliarchio publico civitatis Tigurinæ asservantur. Hæc singula eruditissimis oculis contemplatur Autor noster ἀνάγνωμος, copiose differens de origine pavementorum, de variis eorum generibus, de opere musivo, de lithostrotis. Hæret etiam circa Romanas legiones, easque enumerat, quarum sub Imperio Romano statio fuit in Helvetia. Ad ultimum ex hisce monumentis concludit, castra Romana quondam juxta pagum illum *Kloten* fuisse posita: eaque occasione de castris Romanis agit diligentissime. *Dissertatione II*, quæ Cl. *Schelhornium* habet autorem, commemorantur Bibliothecæ incendio absumptæ; libri jussu publico Vulcano traditi, maxime hæretici; libri denique ab ipsis autoribus suis vel sponte vel coactis in ignem coniecti. *Diss. III*, Cl. *Jac. Brukerum* habens autorem, persequitur convenientiam numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis, harumque originem ex illis deducit. Hic multum illustratur historia Pythagoræ & Platonis, eorumque philosophia, simulque ostenditur pluribus exemplis, Platonem frequenter secutum esse dogmata Pythagorica. Hanc Dissertationem Cl. Autor haberi vult pro Supplemento suæ *Historie idearum*, quam & ipsi recensuimus *A. 1723 p. 392.* *Diss. IV* Cl. *Schelhornius* exhibet Papæ Pauli III Bullam prorogationis Concilii, Mantuam antea indicti: subjunctis nonnullis, Tridentini Concilii historiam illustrantibus. *Diss. V* idem varias profert observationes minutiores, e. g. de Trithemio & ejus *Sermonibus ad monachos A. 1516 excusis.*

*Tomi octavi prima Dissertatio* continet modo laudati Brukeri secundum Supplementum historię de ideis philosophicæ, constans varii generis accessionibus, libro ipsi inferendis. *Diss. II* Cl. *Schelhornius* varias pœnas recenset in libros statutas. Refert hic ex literaria historia, multos libros proscriptos & stigmatate notatos, non paucos ad æternam captivitatem damnatos, alios mutilatos, vel patibulo affixos, vel discerptos, vel aquis cloacisve injectos, vel ignis supplicium passos fuisse. *Diss. III* Anonymus quidam

quidam librum *de imitatione Christi* Thomæ Kempensi vindicat pererudite, primo novissima argumenta exhibens eorum, qui hoc opus Thomæ isti abjudicant; deinde ea diluens; tandem duobus argumentis demonstrari confidens, Thomam Kempensem recte haberi pro ejus autore. Ac primum quidem argumentum hic exponit, quod scilicet Codices MSS. & autores Thomæ illi coævi plus quam sexaginta ei librum hunc tribuant. Secundum argumentum, quod nimirum collectio propemodum infinita proprietatum & accidentium in autore libri *de imitatione Christi* & in Thoma Kempensi sit eadem, alio tempore se debita diligentia persecuturum promittit: ac facile credimus, & hanc Dissertationem maximo applausu acceptum iri, ubi Autor ad eam elaborandam se accinxerit. *Diff. IV* Cl. Brukerus docet, & ex loco quodam M. Antonini Imp. probare conatur pluribus, Stoicos necessitati cuidam absolutæ, id est, fato cæco tribuisse omnia, & per *providentiam Dei* nihil aliud intellexisse, quam obsequium Dei isti necessitati præstitum, vel potius constantem universi hujus tenorem, & imperturbatam omnium rerum, & materiæ tum crassioris, tum subtilioris, id est, Dei, seriem & concatenata vincula. *Diff. V* continet Dan. Everhardi Dolpii *Observationes de Joanne Aventino & ejus Annalibus Bojorum*. *Differt. VI* Cl. Schelhornius de libris publica autoritate combustis disserit, inter hæc p. 475-489, multa exempla afferens combustorum a Pontificiis Bibliorum in vernaculum sermonem conversorum. *Diff. VII* memoratur quidam testis veritatis, *Joannes Munsingerus*, Seculo XIV Rector Scholæ Ulmenfis, adversus quem lata a Pragenfi Academia sententia hic primum profertur in publicum. *Octavum caput* exhibet aliquot Julii Cæsaris Scaligeri epistolas, a MS. Uffenbachiano nunc primum editas. In his Scaliger, quicquid iræ contra Erasmum collegerat, evomit, & vel invitus suæ impotentis superbis que scholasticæ monumentum relinquit posteritati. Lectu quoque dignæ sunt, quæ *nunc loco* proferuntur epistolæ Baluzii, Schilteri, Mabillonii, & Ruinarti, e latebris suis nunc productæ. *Dccima Differt.* continet Cl. Brukeri *Additamenta ad suam de vita & scriptis Eliæ Ebingeri* Commentationem.

**C. W. MONITUM DE SUA PHILOSOPHAN-**  
*di ratione, inserviens loco responsionis ad ea, quæ occasione*  
*operis sui Logici Nonnemo monuit in Actis Erudito-*  
*rum anni præsentis p. 474.*

**C**L. *Hanschius*, a quo *Hipparchum Kepleri*, in Actis Eruditorum A. 1709 p. 142 Astronomis promissum, & omnia *Kepleriana* opera ex MSC. edenda per ea, quæ in Actis A. 1714 p. 242 significantur, expectamus, Logicæ quoddam ac Hygienes compendium sub titulo Medicinæ Mentis & Corporis hoc ipso anno edidit. Titulum a *Tschirnhusio* mutuatus est, in Logicæ autem compendio conscribendo ducem sibi elegit Logicam meam Germanicam, quinquies recusam, fatetur enim me primum praxin regularum artis inveniendi distinctius ostendisse. Etsi autem sæpissime verba Germanica nonnisi in Latina vertat; sunt tamen etiam nonnulla, quæ probare non possum, v. gr. dum omnem demonstrationem resolvablem esse ait in Soritem, ex meris propositionibus conditionalibus constantem, quarum primæ consequens est antecedens secundæ &c. quod non semper succedere, cum ex opere meo Logico manifestum est, ob allegatam ibidem rationem, tum re ipsa experimur, cum frequentiores sint casus, ubi resolutio ista non succedit, quam ubi eidem locus est. Ego in Logica Germanica tyronibus figuram primam sufficere judicaveram: in eo autem in diversa abit Cl. *Hanschius*, qui abstractam de figuris & modis possibilibus syllogismorum contemplationem compendio suo inseruit, propterea quod *Leibnitius* ipsi asseverasset, se in demonstrationibus *Euclidis* observasse, quod Geometra omnibus figuris quatuor & omnibus sex modis in singulis figuris usus sit. Vid. Medic. Ment. p. 62 & Acta Erudit. hujus anni loc. cit. Eandem doctrinam denuo proposuit in Actis Eruditorum hujus anni p. 468 & seqq. novis accessionibus auctam, ad quas ipsi profuere lumina, quæ ex opere Latino Logico hausit. Dedit autem eam ex *Leibnitii* Arte combinatoria probl. 2 num. VI p. m. 13 & seqq. quam is valde juvenis composuerat, ægerrime ferens in Actis Eruditorum A. 1691 p. 63, 64, quod se inscio fuisset recusa, cum eam nec maturioribus suis cogitatis,  
 nec



nec personæ suæ respondere judicaret. Neque etiam *Leibnitius* singularia ista de modis figurarum utilibus primus repererat; sed ea jam integro sæculo ante docuerat *Joannes Hospinianus Steinanus*, Professor Organi Basileensis, in peculiari libello Basileæ A. 1560 edito, & in controversiis dialecticis A. 1576 post mortem ejus publicatis defensa. Ipse *Leibnitius* eum inventorem laudat modorum novorum *Barbari, Celaront, Cesaro, Camestros, ab Aristotele*, meo quidem judicio, recte neglectorum, cum sint compendia ratiocinandi, duobus syllogismis v. gr. in *Barbara & Darii* in unum contractis, quando quis in *Barbari* argumentatur, sponte sese offerentia in praxi, etsi non doceantur, nec inter syllogismorum simplicium modos referenda, si quidem ii ex genuino fonte, non vero ex combinatoria arte eruantur, quemadmodum fecit *Aristoteles*. Dum vero *Hanschius Leibnitii* de figuris & modis syllogismorum meditationem juvenilem Actis Eruditor. insertam reperit, p. 474 ægerrime fert, quod non eandem quoque operi meo Logico inferverim & neglectæ abstractæ illius de figuris & modis syllogismorum possibilibus doctrinæ meditationi profundiori tribuit, quod non agnoverim cum *Jungio*, dari casus in quibus magis naturaliter concludatur in ceteris figuris, quam in prima, nec cum *Leibnitio* observaverim, *Euclidem* in demonstrationibus omnibus quatuor figuris & omnibus modis etiam utilibus in singulis figuris pro re nata usum. Ego mihi proposui exemplo *Euclidis* in Mathesi philosophiam omnem reducere ad notiones communes & claritatem conservare maximam, quantum fieri potest. Quid sibi velit ista ad notiones communes reductio, in philosophia prima proxime clarius docebo. Non igitur meum fuit in constituendis syllogismorum modis ad artem combinatoriam confugere; sed ad notionem communem, vi cujus in Logica naturali ratiocinamur & unde jam olim *Aristoteles* in Analyticorum libro primo modos syllogismorum atque figuras deduxit. Soli illi syllogismi, qui immediata dicti de omni & nullo applicatione constant, per se sunt evidentes, ceteri ab iisdem suam mutuuntur evidentiam, nec admittuntur, nisi quatenus iisdem æquipollent. Illi autem sunt syllogismi primæ figuræ; ceteri sunt ceterarum. Atque eo sensu syllogismos in qua-

rior modis *Aristotelicis* primæ figuræ maxime naturales voco, quod §. 380 Logicæ per id explico, quod proxime accedant ad dictum de omni & nullo. Syllogismos secundæ & tertiæ figuræ in numero crypticorum esse ostendi, & in *Psychologia* rationem ostensurus sum a priori, cur in hos syllogismos crypticos nunquam incidamus juxta dictum de omni & nullo ratiocinaturi, tanquam unicam ratiocinandi legem. *Jungius* nullibi dicit, nos magis naturaliter aliquid concludere in ceteris figuris, quam in prima; sed in secunda & tertia figura sæpe *naturali prædicatione* concludi ait, quod *præternaturali* in prima colligatur. Ostendi autem in illis ipsis exemplis, quæ dedit, id posse evitari, & monstravi, unde sit, quod syllogismum ad primam figuram reducenti nascantur propositiones formam contortam habentes, quæ tandem huc redeunt, quod minus naturaliter argumentemur, hoc est, a lege illa ratiocinationis universali, cujus ex natura hominis rationem redditurus sum a priori in *Psychologia*, recedamus. Ego nullibi negavi, Logica naturali utentes subinde incidere in syllogismos secundæ & tertiæ figuræ; sed rationem prorsus reddidi a priori ex ipsa hominis natura §. 399 sub finem, cur id fieri debeat. Quod tamen hoc non obstante iis carere possumus evidentiam amantes, docui §. 401. Si aliqua conclusio in secunda & tertia figura inferri posset, quam in prima inferri absolute impossibile fuerat; eam ego absolute necessariam pronuntiarem: sed cum talis nulla detur, sola omnino figura prima contentos esse posse etiamnum affirmo, qui unius rationis ope ejusque communis maximam in ratiocinando evidentiam conservare velint. In scientiis imprimis non multum esse posse usum figuræ secundæ & tertiæ, rationibus stabilivi (§. 40), quod etiam concedere tenetur ipse *Hanschius* num. 71. Dum vero asserit, auctoritate *Leibnitii* fretus, *Euclidem* omnibus quatuor figuris & omnibus modis etiam utilibus in singulis usum esse; vellem ut exemplis idem docuisset: valde enim vereor, ne *Leibnitius*, idearum juveniliū non satis tenax, Cl. *Hanschio* dixerit ea, in quibus memoria eum sefellit. Ego non modo Geometriæ, sed alias quoque Matheseos demonstrationes, singulas vel centies ea ratione resolvi, quam docueram in ratione prælectionum, & in opere Logico

gico

gico Latino exemplis illustravi §. 551 & seqq. cum in docenda Mathesi analyfin juxta naturalem cogitandi modum ita observem, ut ex conditione theorematis auditores veluti ipsimet prædicatum eruere sibi videantur; nunquam tamen mihi recurrendum fuit ad syllogismos secundæ vel tertæ figuræ, nec syllogismis primæ contentus ad incitas redactus fui, ut admittere cogerer propositiones formam contortam habentes, quales præternaturales vocat *Jungius*. Ego de rebus practicis ex notionibus statuo, quas propria mihi praxis suggerit, & quas autoritati cuicumque præfero. Ego in philosophia, quam paro, non admitto propositiones nisi determinatas, in quibus prædicatum determinatur per notionem subjecti, atque istiusmodi inferendis destinari primam figuram, jam agnovit *Aristoteles* sub finem c. 4 lib. 4 *Analyt.* Immo plerumque sufficiunt modi universales Barbara & Celarent. Ego non ad ostentationem philosophor, sed ad utilitatem vitæ. Propositiones autem determinatæ in vita applicantur per modum Darii & Ferio, sumtis propositionibus singularibus, in quibus de subjecto prædicatur prædicatum commune pro particularibus, quemadmodum vulgo receptum & notioni dicti de omni & nullo, genuino doctrinæ de ratiocinatione lapidi Lydio, conforme est. Etiam autem Cl. *Hanschius*, secutus *Leibnitium* juvenem in Arte combinatoria, propositiones singulares promiscue omnes pro universalibus habeat; ego tamen nonnisi eo in casu propositiones proprias, in quibus prædicatum proprium est, pro universalibus agnosco, quo definitiones locum tuentur: cum in hoc casu resolutio propositionis propriæ in universalem dicto de omni & nullo conformiter fiat; §. 350 in ceteris, eodem invito, immo reclamante; in singularibus, quæ prædicatum commune habent, prorsus nugatoria evadet & id incommodi habet, quod propositio particularis ex duabus vel pluribus universalibus componatur, universalis autem ex universalibus infinitis, id quod ex mea propositionum analysi, quam in Philosophia prima exposui, ipsis oculis manifestum est. Ceterum ego parum moveor, si *Leibnitiana* cogitata meis consentanea, siue disformia fuerint. Neque enim mihi propositum est *Leibnitiana* philosophiæ Systema condere, cum ea, quæ dedit *Leibnitius*, tanto, quod mo-

lior, operi de philosophia universa in Systema ordinatum & ad notiones communes reducenda, ut evidens & ad vitam utilis evadat, minime sufficiant: de Logica enim dedit perpaucam in schediasmate Actorum Eruditorum; in Metaphysicis ea, quæ nondum mea facio omnia, & quorum nonnulla ex iis, quæ notionibus meis consona deprehendo, non nisi ultra hypotheseos limites colloco penes me admodum arctos (v. §. 127, 128 *Discursus præliminaris*); in Physicis vel nulla, quæ alicujus momenti sunt, vel quæ tanquam juveniles ausus ad maturiorem ætatem proventus ipse rejecit; in Philosophia denique practica vix quicquam, quod usui esse possit, nisi forsitan una vel altera notio in præfatione ad Jus Gentium Diplomaticum occurrat. Ego magna *Leibnitii* in scientiam merita veneror, non tamen inflar idoli colo, cum nulla penes me sit dicentis autoritas, qui nihil admitto, nisi quod notionibus meis conforme deprehendo, ita ut nec verbis *Leibnitianis* alium sensum tribuam, nisi quem notionibus meis congruum observo, de mente ejus genuina parum sollicitus, modo sum certus de veritate. Cumque non ad ostentationem, sed utilitatem philosophari me jam monuerim; non invideo aliis, quod perspicillis meis usi in iis, quæ obscurius dicuntur a *Leibnitio*, videant, quæ absque iis videre nequeunt, ut non agnoscetes, mihi magis profuisse mea ad mentem *Leibnitii*, cum quo de philosophicis rebus me nunquam contulisse sub finem vitæ in epistola aliqua ad *Reimondum* ipse fatetur, perspicendam, quam dicta a *Leibnitio* ad mea invenienda. Quamobrem me parum moveat, quod Vir quidam doctus in his Actis asseruerit, *Leibnitium* fuisse confessum, quemadmodum ipsi videtur, serio, omnia, quæ de rebus Metaphysicis in Theodicæa tradidit, esse lusum ingenii. Sint enim *Leibnitio* lusum ingenii verba, quæ ab eodem adopto: aut igitur alium eisdem tribuit, quam ego, sensum, aut, si eundem tribuit, ludendo dicit verum. Cum ego rationibus meis stare soleam, id me parum anxium tenet, num alter iisdem verbis sensum tribuerit a veritate abhorrentem, aut num ludendo dixerit verum, quod ego rationibus meis convectus tanquam verum admitto. Nec invideo aliis, quod alta videant, adeoque in superficie hæreant; sufficit mihi, si profunda videam

videam atque adeo ad intimas rerum rationes penetrem. Quem argumentis extrinsecis tribuam locum, in opere logico demonstravi §. 1007 : mihi in intrinsicis acquiescere placet. Neque ego litem alii unquam intendam, quod diversa a meis defendat, ita ut nec Cl. *Hanschius* respondiſſem, niſi iudicis auctoritatem ſibi fuſiſſet in mea, & Collectoribus Actorum Eruditorum viſum fuiſſet ejus monita recenſioni operis mei ſubjungere. Quod denique attinet ad perfectionem figurarum ; neminem latet, *Aristotelem* non contemnendis rationibus uſum, ſolam figuram primam perfectam ſtatuiſſe, ceteras imperfectas lib. 1 Analyt. c. 4 & 5. Ego non invita notione perfectionis generali, quam in *Metaphyſicis* dedi, definitione nominali figuram perfectam dico §. 400 *Log.* in qua omnes propoſitiones inferri poſſunt ; imperfectam vero, in qua non omnes inferuntur, neque enim eodem modo illam applico, quo *Hanschius* in ſuo ſchediasmate, ubi de plurium entium inter ſe collatorum perfectione contenditur. Naturalem cogitandi modum, cujus ego primus notionem diſtinctam dedi, æque in figuris ceteris, ac in prima non obſervari, in *Psychologia* oſtendam, ubi omnium ratiocinandi modorum rationem a priori ex facultatibus mentis daturus ſum, rigide obſervato diſcrimine, quod inter cognitionem intuitivam & ſymbolicam intercedit. Nolo igitur proferre, quæ nimis concife dicta ſufficienter intelligi nequeunt, cum non minus claritatem, quam ordinem & evidentiam conſervare ſoleam in philoſophando. Id unice addo, me non capere, quod aſſerat Cl. *Hanschius*, quomodo prodeſſe debeat ad agnoſcendum factum *Euclidis* abstracta de figuris ſyllogiſmorum eorumque modis doſtrina, per quam modorum vi artis combinatoriæ factam determinationem intelligit, cum ſufficiat noſſe ſyllogiſmorum modos, ſive eos quis mecum ex notione communi dicti de omni & nullo, ſive cum *Hospiniano*, *Leibnitio* juvene & Autore Artis cogitandi vi artis combinatoriæ eruat, ſive eos ſaltem ex libello aliquo logico non attempta eorum ratione nude ſibi cognitos reddat. Sed meum non eſt litigare de lana caprina, nec conveniens hic litigiis iſtiusmodi locus eſt.

CHRIST.

CHRIST. GOTTL. SCHWARZII, IN ACADE-  
mia Altorfina Prof. Publ. Carmina, collecta & edita studio  
M. SIGISM. JACOBI APINI, P. P. N. &  
Acad. Nat. Cur. Socii.

Francofurti & Lipsiæ, impensis Jul. Arn. Engelbrechti & W. M.  
Eudteri filiarum, 1728, 8 maj.

Alph. 1. pl. 3 fig. 7n. Tabb. 2,

præter plures passim ornatus gratia insertas.

**D**igna erant, quæ in unum fasciculum solícite collecta & ni-  
tidissime impressa, in lucem prodirent Celeb. Schwarzii,  
ut Oratoris hodie inter Germanos facile summi, ita & Poetæ felici-  
cissimi, Carmina. Vere enim Cl. Editor, cui singulares hoc no-  
mine gratias agimus, in Præfatione, qua Poesin a nonnullorum  
cenfuris liberat, *cum nulli Poetarum cedere, judicavit, sive nitorem  
eloquii, verborumque vim cum mira perspicuitate junctam, sive  
acumen inventionis & sententiarum gravitatem spectes;* & Cel.  
Jac. Facciolatus, arbiter omni exceptione major, cum unum ejus  
carmen honori S. R. Jo. Fabricii scriptum, quod exstat p. 169,  
vidisset, literis ad hunc testatus est, *id sibi mirum in modum pla-  
cuisset, ita latine, pergens, ita graviter, ita eleganter scriptum  
est, ut nihil in hoc quidem genere in hanc diem Germania dede-  
rit, quod comparari cum eo possit.* Applausit etiam optimo Viro  
sub initium Poematum Cel. Godefridus Thomafius bellissima  
elegia, unde, qui nescit (quis vero nesciat?) intelliget, non modo  
profa & vorfa Nostrum excellere, verum & in eruendis Historiis  
ac Anriquitatibus, & Naturæ legibus explicandis totum esse. Ubi-  
que vero sibi constantem in his Carminibus deprehendas, sive  
Lyrica, in quibus sunt longe suavissima in Christum, mundi Ser-  
vatore, in victorias Cæsarum, &c. sive Elegias in obitus aut nu-  
ptias Virorum præstantissimorum, sive carmen epicum Religio-  
nis divinitus vindicatæ memoriam secularem A. 1717 celebrans,  
sive Eclogas & Miscellanea legas, inter quæ passim exstant, quæ  
Lipsiam & Lipsienses nostros, in quibus diu versatus est, spectant.  
Accessere postremo etiam Græca, Anacreontica maxime, & ver-  
nacula, pauciora quidem, sed tam eleganter composita, ut cum  
Latinis

Latinis certare suavitate videantur. Ceterum cum Cl. Editor ipem etiam fecerit Orationum & Programmatum *Schwarziariorum*, quæ avide haud dubie excipiet orbis eruditus, optamus etiam reliquas Viri tanti Dissertationes, Antiquarias præsertim & in his elegantissimas illas, quas de ornamentis librorum & Codicum apud Veteres non uno tempore composuit, singulari fasciculo in lucem proferri.

### Oden der Deutschen Gesellschaft in Leipzig.

hoc est,

ODÆ SOCIETATIS GERMANICÆ LIPSIENSIS, IV Libris distributæ. Accessit Introductionis loco DE LA MOTTE de Poesi in genere & speciatim de Oda.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii B. Fil. 1728, 8 maj.  
Alph. 1 plag. 6.

UT staret promissis Societas, jam Carmina producit Lyrico tantum genere, & quidem intra unius fere anni spatium, conscripta, ac IV Libris disposita, quorum primus eas Odas, quæ in honorem summorum Principum, secundus Nobilium, tertius aliorum compositz sunt, quartus denique miscellaneas, morales, amatorias, satyricas complectitur. Quæ ut omnes sua venustate coruscant, acri quippe Societatis cenlura limatz, ita non possumus, quin Cl. *Sam. Seidelii*, qui ad lyram plane natus videtur, Odas passim interspersas, & imprimis eam, quæ prima comparet, Academiz nostræ nomine in adventum Regis nostri potentissimi Lipsiæ mense Majo anni superioris composita, præ aliis Lectori commendemus. Ceterum Cl. *Gottsched* in præfatione spem facit, quovis semestri Miscellaneorum utriusque orationis Partem aliquam prodituram. Nec illud tacere possumus, societatem hanc velut in tutelam summi Status in Aula nostra Ministri, Illustrissimi *Ernesti Christophori* Com. Imp. de *Manteufel* concessisse, cui non modo Relationem superiori Mense memoratam, sed & has ipsas Odas humillime sacravit.

A a a

CHRI-

CHRISTIANI SCHOETTGENII, RECTORIS  
 & Prof. P. in Collegio Grœningiano Stargardienſi,  
 Antiquitates triturae & fulloniae.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. Kroon, 1727, 8.

Pl. 12 fig. 2n. 4.

CL. Autor, cujus jam alibi *Historiam Wurcena, & de ſecta flagellantium* libellum recensuimus, antiquitatum ſtudium non ſapientius tractari ratus, quàm ſi ad illuſtrandum ſacrum Codicem adhibeatur, hoc ipſo conſilio triturae & fulloniae antiquitates hic ſolertiſſime eruit e quovis ſcriptorum genere. De *tritura* quidem, primo locum triturae, *aream*, deſcribit accurate; deinde de more veterum Romanorum diſſerit, ariſtas a ſtramine reſectas in aream congerendi, cum Judæi, ut ex *Matth. III, 12* colligit, integra ſtramina, hoc eſt, culmos una cum ſpicis in aream injicerent; tum de tribus triturae generibus fide digna profert veterum teſtimonia, de jumentis inactis ſcilicet, de tribulo ſive tribula, (quod vehiculi genus erat,) & de baculo ariſtas excutienti; hinc de more veterum agit excuſſum frumentum ſeparandi a paleis & gluma; denique de triturae tempore. Hæc ſingula illuſtrat non ſolum ex Græcis, Romanis & Hebræis ſcriptoribus, verum etiam ex Itinerariis ſimiles hodiernarum gentium ritus exponentibus. Hac occasione explicat illud *Deut. XXV, 4*: *Non obturabis os bovi trituranti*, & ejus legis applicationem ad eccleſiæ doctores factam a Paulo 1 *Corinth. IX, 9*; item verba Joannis Baptiſtæ *Matth. III, 12*, ubi per ἀγρεων intelligi docet non *ſtramen*, quæ Keuchenii & Raphelii ſententia eſt, ſed *paleam*. Pari modo illuſtrat locum *Jefa. XXI, 10*, ubi populum Iſraeliticum Deus vocat *triturationem ſuam & filium areæ ſuæ*; & *Jefaia XXVIII, 23–29*, itemque *Hoſea X, 11*. Ultimo loco ex 2 *Sam. XII, 31*, probare ſtudet, Davidem omnino Ammonitas areæ impoſuiſſe, & tribulis crudeliſſime dilacerari, diverſamque Celeb. Danzii ſententiam, ſingulari Diſſertatione deſenſam, copioſe reſellit.

Accedimus ad *Antiquitates fulloniarum*, quarum initio Cl. Autor vocabulum *fullo* criticis conſiderat oculis, aliasque fullo-

rum



num appellationes profert Latinas, Græcas, Hebraicas, Chaldaicas, Arabicas. Hinc fullonis munus in eo constitisse docet, ut vestes sordidas purgaret, poliret, & candidas faceret. Qua occasione ostendit, olim tam Judæos, quam ethnicos, lautiores scilicet ac ditiores, semper usos esse albis vestibus. Fullones deinceps dividit in liberos (qui in collegium quoddam coierant,) & servos: simul demonstrans, eos opificium suum extra moenia exercuisse ob ingratum odorem. Tum debita cura persequitur singulas actiones, quibus functi sunt fullones in reparandis ac dealbandis pannis: describens etiam usum urinæ, cretæ, nitri & sulphuris in officinis fulloniis. Cunque propheta de fullonibus loquens etiam *berith* commemoret, de quo singulari Disputatione disseruit S. R. Jo. Mich. Langius, *herbam* quandam *saponariam* significari censens; Noster *cardui* quoddam genus, cujus imaginem æri incisam exhibet, describi arbitratur, hujusque sententiæ suæ socium laudat Alphonsum Tostatium. Inter hæc multa sacrarum tabularum loca interpretatur, quibus fulloniæ artis sive diserta sive obscurior sit mentio. Unum seorsim considerat & ad fullonum lotionem refert, cum scilicet *Psal. LI, 9* David exclamat: *Lava me, & plus, quam nix, albus ero.*

## INDEX AUTORUM, quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

### *I Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

<b>A</b> Nonymi Religio Jesu Christi Servatoris delineata.	66
Fortuita sacra.	74
Baunhamii (Hartwici) Apparatus sacri Enthymematico-Exegetici Pars II.	332
Buddei (Jo. Franc.) Miscellanea sacra.	343
A a a a 2	Bug-

- Burnetii (Thom.) *de Statu moriuorum & resurgentium liber.* 82  
*de Fide & officiis Christianorum liber.* 82
- Carpzovii (Jo. Gottlob) *Critica Sacra V. T.* 529
- Dart (J.) *Historia & Antiquitates Ecclesie cathedralis Cantuariensis.* 241
- Ab Eckhart (Jo. Ge.) *Animadv. historica & critica ad J. F. Schannat Diocesim & Hierarchiam Fuldensem.* 486
- Frickii (Jo.) *de cura Ecclesie veteris circa Canonem S. Scripturae Comm.* 426
- Georgii (Dominici) *Diff. bist. de Cathedra Episcopali Setia civitatis in Latio.* 252
- Gerdesii (Dan.) *Vespera Vadenses, seu Diatriba de Hyperbolis ex Scriptura S. eliminandis.* 72
- Holdsworth (Vinc.) *Vindicia doctrinae de ejusdem corporis resurrectione.* 395
- Jungendres (Seb. Jac.) *Specimen Phil. de veterum gentiliū & Judaeorum Theologia Mythica. ratio, qua Filii Aaronis diebus festis e suggestu plebi benedicere solent.* 307
- Lampii (Frid. Adolphi) *Historia Ecclesie Reformatae in Hungaria & Transylvania.* 223
- Langii (Joach.) *Oeconomia salutis evangelica.* 382
- Marangoni (Jo.) *Thesaurus Parochorum, seu vita Parochorum, qui sanctitate &c. Catholicam Eccl. illustrarunt.* 199
- Morgan (Th.) *Sylloge tractatum ad jus privati Judicii, sufficientiam Scripturae S. & terminos communionis Ecclesiasticae spectantium.* 197
- Paris (Job.) *Miscellanea ad fidem & mores spectantia.* 174
- Schannat (Jo. Frid.) *Diocesis Fuldensis cum annexa Hierarchia. Vindicia contra J. G. ab Eckhart Animadv. in Diocesi Fuldensi.* 492
- Snabelii (Hier. Guil.) *Anianitates Theologiae Emblematica & Typica.* 13  
*Oratio de gloria novi Seculi.* 13
- Spenceri (Jo.) *de Legibus Hebraeorum ritualibus Libri IV, ex ed. Leonb. Chappelow.* 204
- Strubberg (Jo. Ant.) *Index Theologorum Evang. Lutheranorum chronologicus.* 380
- Suiceri (Jo. Casp.) *Thesaurus Ecclesiasticus.* 501
- Taylor (Abr.) *Vera Scripturae doctrina de SS. Trinitate contra Arianos defensa.* 390
- Van Til (Salom.) *Commentarius in quatuor Pauli Epistolas.* 282
- Wal-

INDEX AUCTORUM.

557

Walchii (Jo. Ge.) <i>Observationes in Libros N. T. Pars I ex Historia philosophica.</i>	23
<i>Commentatio de Concilio Lateranensi a Benedicto XIII celebrato.</i>	306
Wats (Jo.) <i>Defensio adversus tentationem mortis voluntaria.</i>	234
Whistonii (Guil.) <i>Tr. de Prophetiis S. Scripturae ad literam implentis.</i>	116
<i>Supplementum Tr. de Prophetiis &amp;c.</i>	119
Wokenii (Francisci) <i>Selecta sacra.</i>	502

II Libri Juridici.

Ciceronis (M. Tullii) <i>de Legibus liber, ex ed. Jo. Davisii.</i>	345
Eltor (Jo. Ge.) <i>Analec̃ta ad J. F. Schannati Clientelam Fuldensem.</i>	77
Fabri (Lud. Cant.) <i>Nota in Constitut. de expedit. Romana.</i>	539
Freheri (Marci) <i>Nota in Constitut. de expedit. Romana.</i>	539
Grotii (Hug.) <i>Florum sparso ad Jus Justin. cum Praef. G. C. Gebaueri.</i>	541
Justiniani (Fl.) <i>Institutionum Libri IV, ex ed. Justi Henningii Boehmeri.</i>	137
Meieri (Joach.) <i>Corpus Juris Apanagii &amp; Paragii.</i>	49
Otonis (Everardi) <i>Thesaurus Juris Romani. Tomus III.</i>	385
Schilteri (Jo.) <i>Institutiones Juris Feudalis Germ. &amp; Longob. ex ed. Ge. Chr. Gebaueri.</i>	539
Speideli (Jo. Jac.) <i>Bibliotheca Juridica Universalis, aucta a Jo. Jac. Curtio. Tomi II.</i>	419
Spenceri (Jo.) <i>de Legibus Hebraeorum ritualibus Libri IV, ex ed. Leonh. Chappelow.</i>	204
Theophili <i>Paraphrasis, ex ed. J. H. Boehmeri.</i>	137
Valsechii (Virginii) <i>Epistola de veteribus Pisanae civitatis Constitutionibus.</i>	312

III Libri Medici & Physici.

Albini (Bern. Siegesfrid.) <i>de ossibus corporis humani.</i>	39
Alexandri (Jac.) <i>Tr. de Fluxu &amp; Refluxu maris.</i>	127
Anon. <i>Dissertationes praemii duobus ab Academia Regia Scient. pro A. 1720 propositis condecoratae.</i>	291
Aretzi Cappadocis <i>Opera Medica, Graec. cum vers. &amp; notis Jo. Wigan.</i>	97
Blackmore (Rich.) <i>Dissertat. de hydrope, tympanitide, ictero, calculo &amp; diabete.</i>	278

De Croufaz (J.P.) <i>Quaestio, quodnam sit principium &amp; quenam natura motus, nec non causa communicationis motuum, resoluta.</i>	291
De Gorter (Joh.) <i>de secretionibus humorum &amp; sanguinis.</i>	63
<i>Or. de dirigendo studio in Medicinae praxi.</i>	63
Heisteri (Laur.) <i>Compendii Anatomici Editio III.</i>	133
Hoffmannii (Frid.) <i>Medicinae rationalis Systematica Tomus III.</i>	369
Maffy <i>Quaestio, quodnam sit optimus modus in mari conservandi aequalitatem motus penduli, resoluta.</i>	291
Middleton (Conyers) <i>de Medicorum Romae degentium conditione ignobili.</i>	182
Morgagni (Jo. Bapt.) <i>Epistola Anatomica duae.</i>	216
Morgani (Thomae) <i>Medicinae Principia Philosophica.</i>	53
Petiti (Petri) <i>in tres priores libros Aretaei Commentarii.</i>	106
Rufi Ephepsi <i>Opera Medica, Graece &amp; Lat. ex ed. Guil. Clinch.</i>	152
Strotheri (Eduardi) <i>Materia Medica, seu descriptio virtutum omnium simplicium officinalium.</i>	421
Thunamigii (Lud. Phil.) <i>Meletemata rarioris argumenti.</i>	179
Trilleri (Dan. Wilh.) <i>Conjecturae &amp; emendationes in Aretaeum.</i>	101
Weidleri (Jo. Frid.) <i>Observatio Aurorae borealis A. 1728.</i>	375

#### IV Libri Mathematici.

Anonymi <i>Problema Geometris propositum.</i>	523
Bernoulli (Jo.) <i>Discursus de legibus communicationis motus.</i>	504
Borromini (Franc.) <i>Opus architectonicum.</i>	52
Le Croufaz (J. P.) <i>Tractatus de Algebra.</i>	287
<i>Quaestio, quodnam sit principium &amp; quenam natura motus &amp;c. resoluta.</i>	291
Dittoni (Hunfredi) <i>Institutio Fluxionum, aucta a Jo. Clarkio.</i>	212
Hafii (Jo. Matthiae) <i>Pithometriae Theoria &amp; Praxis nova.</i>	214
Hawney (Guil.) <i>Doctrina Trigonometriae planae &amp; sphaericae.</i>	235
Hermanni (Jac.) <i>Arithmetica, Geometria &amp; Trigonometriae compendium.</i>	289
De l'Isle <i>Astronomia &amp; Geographiae compendium.</i>	289
Laurin <i>vide Mac-Laurin.</i>	
Mac-Laurin (Collini) <i>Dissertatio, quae praemio condecorata fuit ab Academia Scientiarum. A. 1724.</i>	516
Maffy <i>Quaestio, quodnam sit optimus modus in mari conservandi aequalitatem motus penduli &amp;c. resoluta.</i>	291
Michelotti (Petri Ant.) <i>Apologia, in qua Jo. Bernoullium motricis fibrae in muscutorum motu inflatae curvaturam rectissime suppresse defenditur, contra Rich. Mead.</i>	276
<i>ad Apologiam hanc Appendix.</i>	518

- Motte (Andr.) *Tr. de potentiis Mechanicis, in quo leges motus &c.* 377  
 Weidleri (Jo. Frid.) *Observatio Eclipsis Solaris Wittebergæ A. 1687 d.*  
   15 Sept. instituta. 40  
   *Observatio conjunctionis Lunæ & Saturni.* 375  
   *Tractatus de Machinis hydraulicis toto orbe maximis.* 519  
 Wilson (Henr.) *Planimetria & Longimetria promotæ.* 336

### V Libri Historici, Geographici &c.

- Anonymi *Lexicon Universalis Franciæ vet. & modernæ. Tomi III.* 444  
   *Relatio de Societate Germanica Lipsiensis.* 526  
   *Novum iter circum Orbem institutum.* 142  
   *Elogium Jo. Phil. Slevogetti.* 235  
   *Tabula Genealogicæ familiarum illustrium.* 318  
 Bianchini (Franc.) *Conditorium & Inscriptiones sepulcr. libertorum*  
   *& servorum Imp. Augusti.* 331  
 Celtis (Conradi) *Descriptio Norimbergæ.* 409  
 De Choisy *Comment. ad Historiam Ludovici XIV pertinentes.* 217  
 Collini (Arthur.) *Baronatus Angliæ. Tomus I.* 397  
 Crullii (Theod.) *Miscellanea Silesiaca continuata.* 408  
 Dempsteri (Th.) *de Etruria Regali Libri VII, ex ed. Th. Coke.* 145  
 Duellii (Raym.) *Historia Ordinis Equitum Teuton. Hospitalis S.*  
   *Mariæ. Hieros.* 110  
 Eckhardi (Tob.) *Vita Jo. Ge. Leuckfeldii.* 431  
 Eltestii (Fr. Gottfr.) *Relatio de Sorbigo.* 178  
 Eitor (Jo. Ge.) *Analecta Fuldensia ad J. F. Schannati Clientelam*  
   *Fuldensem.* 77  
 Le Gendre (Lud.) *Vita Cardinalis de Amboisa.* 245  
 Gorii (Ant. Franc.) *Inscriptiones antiquæ in Etruria urbibus exstan-*  
   *tes, cum notis Ant. Mariæ Salvini. Pars I.* 1  
 Hofmanni (Car. Gottlob) *de pietate Caroli M. qua in conversione*  
   *Saxonum usus est, Diss.* 541  
 L. B. de Hoheneck (Jo. Ge. Adami) *Status Provinciales Archi-Duca-*  
   *tus Austriæ ultra Anisum.* 113  
 Hornii (Jo. Gottlieb) *Analecta Bibliothecæ portatilis historia Saxo-*  
   *nica. Tomus I.* 411  
 Hübneri (Jo.) *Tabula Genealogicæ. Tomi III.* 367  
   *Quæstiones succinctæ Geneal.* 367  
 Ireniei (Franc.) *Exegetis Historia Germ. ex ed. Jo. Ad. Bernhard.* 409  
 König (Val.) *Historia nobilium familiarum Saxoniae Et.* 112  
 Langenmantel (Dav.) *Historia regiminis in urbe Augusta Vindel.*  
   176  
 Lavaur *Neronis Caesaris Historia secreta, ex Petronio.* 169  
 Madox

Madox (Thoma) <i>Firma Burgi, seu de civitatibus, urbibus &amp; Burgis Anglie.</i>	115
Martini (Jac.) <i>Religio Gallorum veterum.</i>	242
Mascovii (Jo. Jac.) <i>Gesta Germanorum ad initia Monarchiae Francicae.</i>	355
Menckenii (Jo. Burch.) <i>Scriptores rerum Germ. &amp; Saxon.</i>	
<i>Tomus I.</i>	254
<i>Tomus II.</i>	321, 347
Middleton (Conyers) <i>Defensio Diss. de Medicorum Romae degentium conditione ignobili.</i>	182
March. de Monglat (Franc. de Paulo Clermontii) <i>Commentarii de bello Gallico-Hispanico. Tomi IV.</i>	221
Muratorii (Lud. Ant.) <i>Rerum Italicarum Scriptores. Tomus X.</i>	535
Parkeri (Sam.) <i>de rebus sui temporis Commentarii.</i>	248
Petronii Arbitri <i>Historia secreta Neronis, Gallice.</i>	169
Piovene (Petri) <i>Imperatores ex aere mediocri &amp; minimo collecti.</i>	
<i>Tomus X.</i>	415
Pufendorfii (Esaiæ) <i>Vita &amp; res gesta Georgii I R. Angl. carminice.</i>	285
Scheffellii (Christiani Steph.) <i>Vita Guntheri Christoph. Schelhammeri.</i>	185
Ad Schelhammerum (Guntb. Christoph.) <i>Variarum Epistola.</i>	185
Schilteri (Jo.) <i>Thesaurus Antiquitatum Teutonicarum ex ed. J. G. Scherzii &amp; J. Frickii. Tomus II.</i>	337
Schræderi (Jo. Frid.) <i>Imperium Babylonis &amp; Nini.</i>	44
Schurtzfleischii (Conr. Sam.) <i>de Conrado Imp. &amp; Constit. de expeditione Romana Diss.</i>	539
<i>Fundamenta historiae Germanicae mediae, ex ed. Car. Gottl. Hoffmanni.</i>	541
De Sem (Deodati) <i>Memorabilia cujusque Seculi, historica &amp; geographica, geneal. &amp; dogmatica.</i>	403
Shelvoeckii (Georgii) <i>Iter circum orbem ab A. 1719 ad 1722 institutum.</i>	149
Stollii (Gottlieb) <i>Introductio in Historiam Litterariam ex vers. Car. Henr. Langii.</i>	335

### VI Libri Miscellanei.

<i>Anonymi Sardonius triumpho Bacchi representando a novo Artifice aptatus.</i>	6
<i>Commentarius de Cymbalis.</i>	74
<i>Titi Flavii Clementis tumulus illustratus.</i>	273
De Aquil-	

INDEX AUTORUM.

561

De Aquino (Car.) <i>Lexicon militare. Tomi II.</i>	437
Augusti Imp. <i>Opera varia, ex ed. Jo. Alb. Fabricii.</i>	139
Bayley (N.) <i>Dictionary Etymologicum Anglicum. Tomi II.</i>	446
Bianchini (Franc.) <i>Conditorium &amp; Inscriptiones sepulcr. libertorum &amp; servorum Imp. Augusti.</i>	331
Burmanni (Petri) <i>Sylogae Epistolarum a viris illustribus scripta- rum. Tomi V.</i>	155
Burnetii (Thoma) <i>Epistola due circa librum de Archaeologiis Philo- sophicis.</i>	82
Calpurnii <i>Bucolica.</i>	342
L. B. de Caniz (Frid. Rud. Lud.) <i>Poemata Germanica, ex ed. J. Utr. Koenigii.</i>	296
Chambers (E.) <i>Lexicon Universale Artium &amp; Scientiarum. Tomi II.</i>	433
Ciceronis (M. Tull.) <i>de Legibus liber, ex ed. J. Davissii.</i>	345
Coats (Jac.) <i>Dictionary Heraldicum.</i>	448
Coleri (Jo. Christoph.) <i>Anthologia. Tomus I.</i>	135
Desmolets (P.) <i>Continuatio Relationum Salengrianarum.</i>	165
Fabricii (Jo. Alb.) <i>editio Operum Imp. Caesaris Augusti.</i>	139
<i>Bibliotheca Graeca Volumen XIV.</i>	310
Faliscus <i>vide</i> Gratius.	
Feuerlini (Jac. Wilh.) <i>Cursus Philosophiae ecclesiae per Tabular.</i>	210
Fontanini (Justi) <i>Discus argenteus votivus.</i>	140
Funcii (Jo. Nic.) <i>Tract. de virili etate Latina lingua.</i>	49
Gorii (Ant. Franc.) <i>Inscriptiones antiquae in Etruria extantes. Pars I.</i>	1
Gratii Falisci <i>Cynegeticon.</i>	341
Hanschii (Mich. Gottlieb) <i>meditatio de usu genuino omnium modor- um in IV figuris.</i>	468
Heumannii (Christoph. Aug.) <i>Pœcile. Tomi II Liber IV.</i>	37
Hollmannii (Sam. Christiani) <i>Commentatio philos. de Miraculis &amp; genuinis eorundem criteriis.</i>	28
Homeri <i>Odyssæa, Anglico carmine expressa ab Alexandro Pope.</i>	188
Kempferi (Ger.) <i>Observationes in tres priores Calpurnii Eclogas.</i>	342

König (Jo. Ulr.) <i>de gustu meliori in Poesi &amp; Oratoria.</i>	296
Langii (M.) <i>Dispositio notarum J. Vlitii.</i>	342
Mazochii (Alexii Symmachii) <i>in mutilum Campani Amphitheatri titulum aliasque Inscript. Campanas Commentarius.</i>	267
Morgani (Th.) <i>Principia Philosophica Medicinæ.</i>	53
De la Motte <i>de Poesi in genere &amp; speciatim de Oda.</i>	552
Mureti (M. Ant.) <i>Operum Tomus I.</i>	286
Nemesiani (M. Aur. Olympii) <i>Cynegeticon &amp;c.</i>	342
Neukirchii (Benj.) <i>Principis Ithacensis fata, seu Telemachus &amp;c. Poema Germ.</i>	42
Pfaffii (Christoph. Mattb.) <i>Epistole fragmentum.</i>	125
Salvirii (Ant. Mur.) <i>Nota in Inscriptiones antiquas.</i>	2
Sanderfon (Rob.) <i>Fœdera, Conventiones, Literæ &amp; Acta publica An- glia. Tomus XVII.</i>	193
Schelhornii (Jo. Ge.) <i>Amenitates Literaria. Tom. VII &amp; VIII.</i>	543
Schoettgenii (Christiani) <i>Antiquitates triturae &amp; fulloniae.</i>	554
Schwarzii (Christ. Gottl.) <i>Carmina, collecta a M. Sigism. Jac. Apino.</i>	552
A Seelen (Jo. Henr.) <i>Philocalia epistolica, seu centum Epistole Viro- rum doctorum.</i>	428
Senecz (L. Annaei) <i>Tragœdia, ex ed. Jo. Casp. Schreœderi.</i>	449
Snabelii (Hier. Guil.) <i>Carmina.</i>	13
<i>Societatis Germ. Lips. Odarum Libri IV.</i>	553
Wachterii (Jo. Ge.) <i>Glossarium Germanicum.</i>	6
Walchii (Jo. Ge.) <i>Introductio in omnes Philosophiæ disciplinas.</i>	26
Wesseling (Petri) <i>Observationum variarum Libri II.</i>	33
Whistoni (Guil.) <i>Operum Catalogus.</i>	121
Wolfii (Christiani) <i>Philosophia Rationalis sive Logica.</i>	455
<i>Meditationes morales de actionibus humanis ad promoven- dam felicitatem generis humani.</i>	523
<i>Monitum de sua philosophandi ratione &amp;c.</i>	546



# INDEX RERUM NOTABILIORUM.

<b>A</b> Bel, <i>typus Christi.</i>	18	Æquilibrium <i>circulationis sanguinis</i>	
Abellio, <i>Gallorum Sol.</i>	244	<i>ut promoveatur?</i>	63
Abichtius, ( <i>Jo. Georg.</i> ) <i>notatus.</i>	30	Era <i>Pisana.</i>	314
Abrahamus, <i>gentilium Saturnus.</i>	244	Ærarium <i>Coloniae curvis fuit propri-</i>	269
Absolutio <i>privata impugnata.</i>	92	<i>am.</i>	269
Academia <i>Aquis Sextiis fundata.</i>	445	Aeris <i>influxus in partes solidas ac flu-</i>	56
<i>Ambiani nondum confir-</i>		<i>idas corporis humani.</i>	56
<i>mata.</i>	446	Æsopi <i>editio vetustissima.</i>	308
<i>Andegavenfis Litterar. bu-</i>	446	Agni <i>Paschalis typus, scala Jacobi</i>	
<i>man.</i>	446	<i>Patriarcha.</i>	20.22
<i>Arelatensis Scientiarum.</i>	446	De <i>Agno Paschali varia.</i>	20
<i>Bononiensis laudata.</i>	217	Alaricus, <i>indolis mitioris.</i>	362
Accentus <i>Græci an Aristotelis etate</i>		Alarii <i>quinam?</i>	440
<i>fuert in usu?</i>	431	Alberici <i>Chronici lectiones emenda-</i>	
Acciajoli ( <i>Donati</i> ) <i>Vita Caroli M.</i>	260	<i>tiores.</i>	256
Accursii ( <i>Mariangeli</i> ) <i>fabula Testu-</i>		<i>atas &amp; status.</i>	257
<i>do.</i>	136	Alberti <i>D. Sax. iter in Palaſtinam.</i>	354
Actionis & <i>reactionis equalitas in</i>		<i>de ejus meritis in Burgundos</i>	
<i>quo consistat?</i>	507	<i>Tr.</i>	354
Actionum <i>liberarum determinatio.</i>	525	<i>quanta fides fuerit in Casa-</i>	
Adami <i>maclatio &amp; oblatio quid no-</i>		<i>rem?</i>	355
<i>tent?</i>	18	Albretana <i>historia illustrata.</i>	371
<i>salus asserta.</i>	18	Albis <i>vestibus Judæi &amp; gentiles ditto-</i>	
<i>peccatum an posteris impute-</i>		<i>res usi.</i>	555
<i>tur?</i>	91	De <i>Albis vestibus Judæorum Tr.</i>	503
Adamo <i>triplex Mediatoris munus af-</i>		Alemannica <i>lingua unde orta?</i>	u
<i>sertum.</i>	17	Alemannorum <i>origo.</i>	358
De <i>Adamo, Christi typo, Diff.</i>	16	Alexandri ( <i>Nat.</i> ) <i>libri prohibitis ex-</i>	
Adamitarum <i>Secta Seculo XIV.</i>	135	<i>emti.</i>	307
Adjuti ( <i>Jof.</i> ) <i>dies emortualis.</i>	431	De <i>Alis militaribus tractatio.</i>	439 sq.
Adolphi <i>Imp. dies emortualis.</i>	323	Allatii ( <i>Leon.</i> ) <i>Συμπληρωτικὸν</i>	310
Adstringens <i>sapor a partibus terre-</i>		Allegoricus <i>Scriptura S. sensus impu-</i>	
<i>stribus non oritur.</i>	426	<i>gnatus.</i>	116 sq.
Circa <i>Ædificia cura Principis.</i>	131	Amara <i>ut destillanda?</i>	426
Ælianus <i>emendatus.</i>	36	Ambianensis <i>Academia.</i>	446
Æolus <i>cur Deus ventorum?</i>	190.	Ambrosii ( <i>Ge.</i> ) <i>Card. vita.</i>	246 sq.
		In <i>Amphitheatri Campani titulum</i>	
		<i>Commentarius.</i>	267

## INDEX RERUM

Anatomica <i>inventa</i> .	217	Apocryphi <i>follicite &amp; Canonis separati</i> .	427
Anatomicæ <i>figura Vesalsane laudata</i> .	39	Apodyteria <i>quid?</i>	271
Anatomicum <i>Compendium</i> .	133	In Apographis <i>errores ferendi</i> .	490
Anchialus, <i>quis apud Martialem?</i>	210	De Apolda <i>Pincernæ illustrati</i> .	260
Ancillæ <i>examen in extremo iudicio</i> .	407	Apollo, <i>Gallorum Belenus</i> .	244
Ancyranum <i>monum. depictum</i> .	140	<i>Gnosticorum patronus</i> .	284
Andegavenfis <i>Academia human. litterarum</i> .	446	De Apostasia <i>commentationes</i> .	305
S. Andreas <i>an Pannonia Apostolus?</i>	224	De Apostolis <i>eorumque libris varia</i> .	335
Andræ (Valerii) <i>Fasti Acad. Lovan.</i>	136	Aquæ <i>mirus susurrus</i> .	144
Andræ <i>Presbyteri Chron. ineditum</i> .	257	Aquis Sextiis <i>Academia fundata</i> .	445
De Androgyno <i>fomniâ</i> .	431	Arborum <i>ex foliis educatarum historia &amp; ratio</i> .	130
Angeli <i>non sunt meri spiritus. multis seculis ante mundum conditi</i> .	85	Archidami <i>acute dictum</i> .	411
De Angelis <i>sententia singularis</i> .	405	Architectura <i>civilis ad Remp. applicata</i> .	131
Angli <i>cur piscibus certo tempore vesca iussa?</i>	196	Area <i>tritura locus</i> .	554
Angliæ <i>Baronatus descriptus</i> .	397 sq.	Arelatense <i>Regnum Philippus Imp. Ottoni IV cessit</i> .	256
Anglicæ <i>linguæ mixtura unde?</i>	448	Arelatensis <i>stirps prima Comitum Thuringia</i> .	258
Ani <i>fistula spiritu vini camphorato curata</i> .	426	<i>Academia Scientiarum</i> .	446
Animæ <i>immortalitas probata. 83. 131 a corpore separata status. 83 cum corpore unionis ratio ignota</i> .	61	Arelatum <i>translata prefectura, excicis Treviris</i> .	361
Animi <i>passionum in corpore mechanismus. causa in anima</i> .	61	Aretæi <i>editiones notatae</i> .	97. 108
Auni <i>mirabiles, libri, contenta. 249 exordium in Germania media varium</i> .	496	<i>Codices MSti</i> .	98. 108
Antichristi <i>destructionis prodromi</i> .	117	<i>editio nova a quo promotâ?</i>	97
Antoninus <i>Imp. unde Pius dictus?</i>	270	<i>atas</i> .	98. 107
Anus <i>depictus</i> .	134	<i>Setta</i> .	98. 108
Apanagii <i>Juris Corpus</i> .	49	<i>scientia anatomica</i> .	99
In Apocalypsa <i>Commentarii promiss.</i>	384	<i>curandi ratio</i> .	99
		<i>stylus &amp; dialectus</i> .	99. 108
		<i>versio nova</i> .	100
		<i>emendata</i> .	101
		<i>emendationes</i> .	101 sq. 109 sq.
		Arianismus <i>quando in Pannoniam introitus?</i>	224
		Arianorum <i>historia</i> .	391
		<i>de Trinitate error unde?</i>	391
			A 10-

NOTABILIORUM.

Ariovistus superatur.	357	Attractiva vis particularum asserta.	56
Aristas reserctas in aream conjiciendi mos apud Romanos.	554	ejus effectus.	56
Aristæ historia LXX Interpretum vindicata.	118	Attributorum notio.	459
Aristotelis de origine linguarum sententia.	8	Ex Au veteres faciunt O.	254
Arithmetice Compendium in usum Maj. Imper. Russicæ.	289	Audius ab hæresi defensus.	424
Arminio Irminisula posita.	359	De Aventino (Jo.) ejusque Annal. Boic. Diff.	545
Arnoldi (Ge.) Vita Mauritiæ El. Sax.	347	Augustæ Vindel. regiminis Historia.	176
Arnolphi Imp. vita & epochæ.	499	Augusti Cas. scripta.	139
Ars a scientia ut differat?	435	libertorum & servorum conditorium.	331
hominum mores conjectandi ubi tradatur?	525	S. Augustini biographi.	293
Arterix vertebrales.	134	Avis apparitio quale signum gentilibus?	191
oesophageæ.	134	Auræ ex arbitrio moventium exemplæ.	108
Arteriarum tunica quinque.	134	Auroræ borealis observatio.	375
Artes liberales quæ dicantur?	184	Austris ultra Anisum descriptio. 114 Nobiles descripti. 13 sq.	
Artium Lexicon universale.	433	Austriaca Ballivia descripta.	111
Ascensus vaporum causa.	56	Autochiria impugnata.	234
Alcia quid Gallis veteribus?	245	Sub Autorum celebr. nomine falso scripta venditandi mos olim selenis.	310
Sub Alcia dedicare, formula, quid notet?	245. 270	De Azyimis tractatio.	21
Assensus intrinsecæ rationes.	466	<b>B &amp; V</b> sæpius permutantur apud veteres.	254
Assur, nomen viri, non regionis.	45	De Babele extincta sententia Bosueti.	362
Assyriaci Regni fundamenta quis jecerit?	45	Babylonis Imperium.	44
tempus intra Noachum & Abrahamum.	169	Bacchus in gemma.	3. 6
Astronomiæ Compendium in usum Maj. Imp. Russicæ.	290	Sub Bacchi nomine latet Nimrodus.	45
Athenæus, Sectæ pneumaticæ princeps.	98	Balduini (Franc.) Opera promissa.	390
Atheorum contradictio.	175	Ballivia Austriaca descripta.	111
Atlantica Platonis quid?	166	Balneorum usus extimius.	374
cum statu populi Judaici comparata.	166 sq.	Baptismus, argumentum Trinitatis.	393
in America reperia.	167	Baptismi utilitas.	90
Attilæ mortis causa.	365	Baptismo infantes non regenerantur.	90
Attonis testamentum suspectum.	537		

INDEX RERUM

<i>De Baptismo infantum Diff.</i>	305	Biblia Germ. a Pontificis combusta.	545
Barba Jovi Capitol. consecrata.	171	Biblicorum librorum avographa	
BARBARA, modus, ut adhibendus?	426	nulla supersunt.	531 sq.
BARBARI, modus, cujus sit usus?	476	Bibliotheca quis dictus fuerit?	222
Barbariei imminentis causa.	187	Juridica universalis.	419
Barclaj (Guil.) Comm. in t. de reb.		Bibliotheca Lipsiens. diplom. edita.	260
cred. & de Jurejur.	388	conflagrata.	544
Bardæ, parasiti.	244	Bibliothecarium aditus ut concilian-	
BAROCO, modus descriptus.	478	dus?	161
Barometri definitio, diversi as	30	Bilis ut secernatur?	65
	435	itus reditusque.	134
Baronis (Jo. Godofr.) in insignia Pra-		in digerendis cibis usus.	60.61
tisl. Commentarius promissus.	408	Biliaris vesiculae calculi.	217
Baronatus Angliæ descriptus.	397 sq.	Ex Biso, quid nolet?	278
Barthii (Casp.) Adversar. pars inedita.	261 sq.	Blancus (Jo. Bapt.) castigatus.	216
	572	BOCARD, modus, descriptus.	479
Basnagius (Jac.) refutatus.	572	Bombardæ inventor.	441
Baudii (Domin.) uxoris mores.	159	historia.	442
<i>De Beatitudine in Regno gratie Diff.</i>		Bonarota (Phil.) laudatur.	146
	305	S. Bonifacii Legenda edita.	261
Beatorum status qualis futurus?	87	Codices Fulde.	483
Benzonis Panegyricus in Henricum		Bonomiensis Academia laudata.	217
IV.	261	Bonomienses Professores.	217
Becmannus (Nic.) vero nomine Sam.		Borith quid fuerit?	555
Pufendorfus.	187	Bos (Lambertus) notatus.	35
Belenus, Gallorum Apollo.	244	Bosueti (J. B.) de extincta Babele sen-	
Sub Belo quis lateat?	45	tentia.	362
Benedicti VII R. P. dies emortualis.	495	Brackenhoferi (Eliæ) Lexicon rei num-	
	253	maria MS. commendatum.	339-340
Benedicti XIII R. P. in Setiam meri-		Breifingeri (Jo. Jac.) merita.	502
ta.	253	Bremensia diplomata.	259
Bene valete, verba, quando primum		Brenemannii (Henr.) Lex Remmia.	
in bullis Pontificum occurrant?	494	de factis calumniato-	
De S. Bennone Scripta recusa.	351	ruus sub Imp. Tractatus.	389
Berettus (Casp.) Italiae medici avi Au-		Britannia religionis vet. Gallorum	
tor.	536	mater & filia.	243
ABerger (Jo. Aug.) editio Speculi Sue-		Bruckeri (Jac.) merita de historia	
vici.	339	Augusta Vindel.	178
Bernoullius (Job.) defensio.	236	Buchoniæ incolæ olim Franci.	80
cur premio Acad.		Bullus (Georgius) laudatus.	391
Scient. Paris. exciderit?	505. 506	Burggravii Zurbici.	181
Bernoullii (Jo.) elogia.	505	Busmannus, melancholicus.	187
Berosi fragmenta genuina.	311		
adulterina.	311		
			Byzan-

NOTABILIORUM.

Byzantini, <i>monetae</i> generis.	339	Caroli VII R.G. <i>historia</i> .	221
<b>C</b> pro G in <i>inscript.</i> ponitur.	5	Caroli Crassi <i>Imp. vita &amp; epocha</i> .	499
Cabbala continet <i>Theologiam my-</i>		Caroli M. <i>vita &amp; Scriptores suspecti</i> .	
thicam <i>Judaorum</i> .	308	<i>vita</i> .	542
<i>pura &amp; impura qua-</i>		<i>epochae</i> .	497. 542
<i>nam?</i>	308	<i>Saxonum conversio</i> .	542
CAdEmEs & CAdEmOs, <i>quales mo-</i>		<i>mors &amp; sepultura</i> .	543
<i>di?</i>	479	De Caroli M. bello contra <i>Saracenos</i>	
Caini <i>posseri quinam?</i>	121	<i>carmen German. vetus</i> .	339
<i>signum color niger</i> .	121	Carotidum <i>divisio</i> .	134
Calagii ( <i>Andr.</i> ) <i>suggestum Magdal.</i>		Casubono ( <i>México</i> ) <i>indigenatus in</i>	
<i>Vratisl. novum</i> .	408	<i>Anglia concessus</i> .	196
Calculi <i>causa &amp; cura</i> .	281	<i>ejus epitaphium</i> .	241
De Calculo <i>Diff.</i>	278	Pro Castello ( <i>Jo.</i> ) <i>Apologia, rara</i> .	136
Calendarii <i>Curatores quinam?</i>	269	Castra <i>Romana</i> .	544
Californiae <i>incolarum mores</i> .	141	Catabulum <i>quid?</i>	271
Camerarii ( <i>Joach.</i> ) <i>orationes in Mau-</i>		Catalectorum <i>Editio nova promissa</i> .	
<i>ritium</i> .	348		48
CAmEstrEs, <i>qualis modus?</i>	477	Causarum <i>occasionalium Systema im-</i>	
CAmEstrOs, <i>qualis modus?</i>	477	<i>pugnatum</i> .	294
In Campani <i>amphitheatri titulum</i>		CEIAREnt, <i>modus descriptus</i> .	476. 477
<i>Comm.</i>	268	CEIAROnt, <i>qualis sit modus?</i>	476. 477
Campus in <i>diplom.</i> quid notet?	491	Celeritas <i>virtualis quanam sit?</i>	508
Camulus, <i>Gallorum Mors</i> .	245	Cellarii ( <i>Christoph.</i> ) <i>Tabula Geogr.</i>	
Canizii ( <i>Frid. Rud. Lud.</i> ) <i>Vitu.</i> 297sq.		<i>Italiae medii aevi notata</i> .	536
<i>ultima verba</i> .	301	Cellæ in <i>Fuldensi diœcesi olim duæ</i> .	491
Canonis <i>Scripturae S. conservandi stu-</i>		Cellense <i>Chron. majus</i> .	325
<i>dium in Eccl. vet.</i>	426	<i>an cum Jo: Ty-</i>	
<i>autoritas an ab Ec-</i>		<i>lichi Chron. idem?</i>	325
<i>clesia?</i>	427	<i>minus</i> .	326
<i>constitutio necessa-</i>		Celfus <i>quando vixerit?</i>	183
<i>ria</i> .	427	Celtæ <i>quinam dicti Græcis?</i>	10
Cantaridum <i>usus</i> .	154sq.	Celto-Scythæ, <i>maiores German.</i>	10
Cantici <i>Cantic. autoritas probata</i> .		Centralium <i>virium theoria</i> .	54
	534	Centrum <i>gravitatis commune quo-</i>	
Capellendorfsense <i>monasterium</i> .	484	<i>modo in conspectu corporum movea-</i>	
Capellendorfsensia <i>diplomata</i> .	260	<i>tur?</i>	509
Capuæ <i>historia</i> .	268	<i>oscillationis nova ratione</i>	
Capuani <i>cur dicti Osci?</i>	273	<i>determinatum</i> .	515
Cardinalium <i>olim munus</i> .	201	Ceres, <i>Cybele &amp; Isis, Dea eadem</i> .	77
Carmina ( <i>C.G.</i> ) <i>Schwarzii laudata</i> .	552	CEsArE, <i>modus descriptus</i> .	477
		CEsArO, <i>modus descriptus</i> .	477
		Chal-	

## INDEX RERUM

Chaldaismus Biblicus.	531	Ad Christinam R. Su. epistola N. Hein-	
Chandlerus refutatus.	119	<i>ssi.</i>	165
Chasdim dicti Chaldei.	45	Christo regnante, formula, usus in di-	
Chetibb an Keri sit scriptura authen-		<i>plom.</i>	489
<i>tica?</i>	531	De Christo melioris fœderis sponsore	
Chirurgi Roma an diversi fuerint a		<i>Tr.</i>	305
<i>Medicis?</i>	183	Chronologia Biblica illustrata. 284 sq.	
Chomburgense monasterium ubi fi-		Chyli receptaculum.	134
<i>tum &amp; unde dictum?</i>	259	Chyliastra explosi.	22
Chomburgensia diplomata.	259	Cibi quomodo dissolvantur?	60
Chorepiscopi.	200	Cicarellus (Alf.) falsarius.	537
Chrisma Notarii, res ignota.	497	Cicero quot libros de Legibus scripse-	
Christus Patri ὁμοούσιος.	394	<i>rit?</i>	347
Christi dies natalis.	17	<i>de Legibus emendatus. 345 sq.</i>	
<i>Religio delineata.</i>	66	Ciceroni cur statua a Campanis po-	
<i>corpus post resurrectionem</i>		<i>sita?</i>	268
<i>quale?</i>	85	Cifra Arabica non ante Seculum XII	
<i>regnum millenarium asser-</i>		<i>usurpata.</i>	274
<i>tum.</i>	86	Cisterciensis ordinis statuta, rara. 136	
<i>descensus ad inferos per ejus</i>		Civilis (Claudii) contra Romanos ge-	
<i>incarnationem explicatus.</i>	87	<i>sta.</i>	359
<i>Deitas quando doceri cepta?</i>	91	De Claudiano Barthii judicium.	159
<i>descensus ad inferos qualis?</i>	175	Claudius Imp. per Trimalcionem defi-	
<i>Deitas in Hungaria impu-</i>		<i>gnatus.</i>	172
<i>gnata.</i>	228	De Clavigeris Diis Diss.	33
<i>annus vite ultimus determi-</i>		Clavium potestatis extrema.	175
<i>natus.</i>	285	Clemens II P. R. an simul fuerit Epi-	
<i>anni quando diplomatibus</i>		<i>scojus Bambergensis?</i>	496
<i>addi ceperint?</i>	498	Clementis (Titi Flavii) tumulus illu-	
<i>typi varii in V. T.</i>	18 sq.	<i>stratus.</i>	273
De Christi monogrammate tractatio.	275	Clementis XI Bulla Unigenitus exa-	
Christianæ religionis excellentia. 67.		<i>minata.</i>	304
<i>70 sq.</i>		Clericus (Jo.) refutatus. 25. 119. 531	
Christianismi primi restituendi pro-		Clerici nomen monachis olim commu-	
<i>drōmi.</i>	117	<i>ne.</i>	488
Christianorum Seculo I hostes quinam		Clodii (Jo. Chr.) Catalogus vocum Per-	
<i>fuerint?</i>	283	<i>ficarum.</i>	9
Christina R. Succ. cur ex aula Romana		Clysterum usus.	374
<i>discesserit?</i>	162	Codices, quibus usus S. Bonifacius.	483
<i>ejus dicacitas Pontifici odio</i>		Cœlestini III R. P. bulla furia. 111	
<i>sq.</i>	162	Cælum beatorum quid & ubi? 86 sq.	
		S. Cœnz utilitas.	90
		De S. Coona	

NOTABILIORUM.

<i>De S. Coena controversiarum Sylloge.</i>	304	Conradi II Imp. vita & epoche.	500
Colberti (Jo. Bapt.) character.	220	Conringii (Herm.) filia erudita.	186
Coldicente Chron. Abr. Thamisi.	328	Consecratio ut a dedicatione differat?	270
Coleri (Christoph.) carmen in lapsum turris Vratisl.	408	Consecrationis ritus.	270
<i>De Collectionibus variis tractatio.</i>	50	Consequentiarum notati.	29
<i>De Colloquiis charitativis Diff.</i>	305	Consequentiariorum praxis.	467
Colonia Julia quanam?	268	In Constitutionem de Expedis. Rom. Commentarii.	540
cur dicta Felix?	268	Contingentis notio evoluta.	132
Coloris ratio in morbis.	425	Corde saucius per 15 dies servatus.	109
Colorum Etrusca gentis duratio.	148	Cordis cavissimum magnitudo.	134
Columnentium familia illustrata.	321	tuberculum non datur.	134
Comæ habitus examinatus.	159	fibra recta.	134
Commune legis ac usus Pisis quid- nam?	316	Corelli (Jac.) verum nomen Alph. Ci- carellus.	202
Compiler quinam?	465	Chron. Pontif. & Cardin. MS. rejectionum.	202
Concilia rejecta.	92	Corinthiorum ad Paulum & hujus ad illos Epistolæ versio Latina.	21
<i>De Concilio Lateranensi Benedicti XIII Diff.</i>	306	Corpus idem an resurgat?	85
<i>De Conciliis Lateranensibus rei Chri- stiana noxiis Tr.</i>	305	humanum qualis sit machi- na?	53-54
Conciones quot per annum habere sa- vis sit Clero Anglicano?	196	rigidum quodnam dicatur?	507
Concludendi ordo in Syllogismo.	480	durum in elaterem impin- gens ut repellatur?	507-508
Conclusio in Syllogismo definita.	469	Corporis & anima unionis ratio ignota.	61
Conclusionum per varios modus in Figuris quatuor illatio.	475	<i>De Corpore humano Tr.</i>	152
Conflictus trium durorum corporum determinatus.	515	Corporum elasticorum consistens qualis sit?	509
corporum elasticorum qua- lis?	509	durorum trium consti- tus determinatus.	515
Conjectandi hominum mores ars ubi tradatur?	525	perfecta elasticitate do- stitutorum motus regula.	516
Conjugium fratris & sororis an ju- re natura incestuosum?	212	Cosinæ Chronica Bohem. recusa.	266
Connor (Bern.) notatus.	30	Pragensis, duo.	267
Conradus III Imp. in Italia commora- tus.	540	Creationis descriptio Mosaisca allego- rica.	88
Conradi March. Misn. diplomata.	260	<i>De Crepitu Deo Diff.</i>	168
I R. Germ. vita & diplom.	499	Criseos Medica fundamenta.	373
Fuldensia.	499	Critica sacra nova.	529
		Cec. c.	Critic

## INDEX RERUM

Critici munus.	160	Dedicandi munus cui olim compete-	
De Crofa (Petrus) notatus.	288	ret?	271
<i>ab Academia Reg. Scient.</i>		Dedicare quid olim fuerit?	270
<i>præmio condecoratus.</i>	291	<i>togam in funus.</i>	270
<i>consequentiarium agit</i>	294	<i>in censum.</i>	270
De Crofa (Petri) paradoxa de corpo-		<i>rudem carinam.</i>	270
<i>re &amp; motu.</i>	292sq.	<i>sub ascia.</i>	270
Crucis signum quid notet in inscripti-		Dedicatio ut a consecratione differat?	270
<i>one orbiculari?</i>	151	De Dedicationibus Tr. commendatur.	270
Curatus & Curio idem ac Parochus.	201	Definitiones quomodo condantur?	460
Curcellæus Ariani accensurus.	391	Demonstrationis forma distinctissime	
Curtii (Jo. Jac.) de Bibl. Juris meri-		<i>delineata.</i>	461
<i>ta.</i>	420	Demonstrationum analysis exemplis	
Cybele, Ceres & Isis, Dea eadem.	77	<i>confirmata.</i>	461
De Cymbalis Comment. novus.	74-77	<i>differentia.</i>	462
Cystici ductus dilatati.	217	Dempsteri (Th.) vita.	145
<b>D</b> æmon ἀνεργός quisnam di-		Densitates materia in Planetis deter-	
<i>ctus?</i>	25	<i>minata.</i>	55
Damasceni (Nic.) de institutione		Deorum statuas & templa Galli non	
<i>Augusti libellus.</i>	140	<i>habuere.</i>	145
De Danielis LXX Hebdomadibus Diff.	120	<i>statua cur per angulos dispo-</i>	
Danzius refutatus.	554	<i>sita?</i>	272
DArAptI, modus, descriptus.	478	Desiderii Regis Edictum cur suspe-	
Darici nummi unde dicti?	35	<i>ctum?</i>	537
DArII, qualis modus?	477	<i>Stemma Imbofianum suspe-</i>	
Darius Medus an successor Belsaza-		<i>ctum.</i>	537
<i>ris?</i>	46	Deus, autor natura.	67
DAtIsI, qualis modus?	479	<i>ejus intellectus notio per opera</i>	
Datum inter & Actum differentia.	498	<i>natura illustrata.</i>	133
Davidson qua pena affectus?	399	<i>quomodo colatur in Christo?</i>	525
Debrezenus (Paul.E.) autor Historia		Dei providentia quid ex mente Stoico-	
<i>Reform. in Hungaria &amp;c.</i>	224	<i>rum?</i>	545
Decalogus an norma morum univer-		<i>gloria ut promoveatur?</i>	525
<i>salis?</i>	208	Deutich, an Teutsch scribendum?	527
In Decalogo descensus a majori ad		De Diabete Diff.	278
<i>minus.</i>	176	Diabetes causa & cura.	281
Decani dicti Parochi.	201	Ad Diaconatum admissus notus.	196
Decimæ Fuldensibus vindicata.	497	Diaconus servus quis?	4
Decores, conditor Regni Media.	45	Dicti de omni & nullo præstantia.	549
Decori principia certa.	525	Difenbachii duo celebres.	430
		DigAmIs, modus syllog. descriptus.	480
		Dii	



NOTABILIORUM.

<b>Dii boni cur descendant apud Homero- rum?</b>	191	<b>Duckeri (G. A.) vindicia.</b>	452
<b>Etrusci quo ornatu distinguantur?</b>	148	<b>Ad Ductus Thoracici finem sita val- vula usus.</b>	134
<b>De Diis Clavigeris Diff.</b>	33	<b>Duditius (Andr.) Cicronem ter de- scripsit.</b>	408
<b>Diodori Siculi Epistola.</b>	311	<b>Duræ Matris sinus.</b>	234
<b>Diplomatici studii e scriptis eristicis profectus.</b>	486	<b>sinus peculiaris.</b>	135
<b>Directionis quantitas quid sit?</b>	510	<b>Durities absoluta cur absurda?</b>	505
<b>quomodo sese</b>		<b>Duritie notio evoluta.</b>	506 sq.
<b>habeat in conflictu corporum?</b>	510	<b>Durum corpus in elaterem impingens ut repellatur?</b>	507.508
<b>DisAmls, modus syllogismi descriptus</b>	478	<b>Durorum corporum trium conflictus determinatus.</b>	515
<b>Disci votivi descriptio.</b>	149		
<b>Divione Collegium Juris utriusque novum.</b>	446	<b>Ecclesia, Christi sponsa.</b>	16
<b>Docendi methodi regula.</b>	468	<b>Ecclesie Reformatae in Hung. &amp; Transylvania Historia.</b>	233 sq.
<b>Doctor Juris Canon. literarum ex- pers.</b>	246	<b>De Ecclesia Rom. cum Ruthenica irre- conciliabili Diff.</b>	304
<b>Doctores misericordia quinam Augu- stino?</b>	87	<b>judicium Lutheri.</b>	304
<b>Dogmaticorum scriptor genera.</b>	463	<b>expensum.</b>	304
<b>finis.</b>	463	<b>De Ecclesiarum Apostolicarum statu Diff.</b>	304
<b>Dolichenius, Gallorum Deus, Sol.</b>	244	<b>Ecclesiasticus Thesaurus.</b>	521
<b>Doliorum figura quanam?</b>	215	<b>Ab Eckhart (Jo. Ge.) laudatus.</b>	327
<b>Dolpii (Dan. Everb.) Diff. de Jo. Aven- tino.</b>	545	<b>Ecliptis Solaris A. 1727 observatio.</b>	40
<b>De Dominicanorum ordine singula- ria.</b>	405	<b>De Ehingeri (El.) vita &amp; scriptis Diff.</b>	545
<b>Domni quanam dicti?</b>	151	<b>Elastica vis unde oriatur?</b>	56
<b>Donationes Ecclesie factae an sacrifi- cium?</b>	152	<b>Elasticitatis ratio physica.</b>	515.516
<b>De Donis Dei, formula, quid notet?</b>	151	<b>Elasticorum corporum conflictus qua- lis?</b>	509
<b>Dorcas in marmore.</b>	3	<b>Elephas pro Rege habitus.</b>	357
<b>Dormientis status qualis?</b>	61	<b>S. Elisabethæ vita.</b>	353
<b>Drabicius (Nic.) revelationum jacta- tor.</b>	230	<b>sata predicta.</b>	354
<b>capite multatus.</b>	231	<b>Ab Elswich (Jo. Herm.) Tr. de Sanctis Pontificiorum non sanctis auctior promissus.</b>	429
<b>Druidum religio.</b>	243.244	<b>Empiricus ut a Medico rationali di- stinguatur?</b>	54
<b>De Drusi fossa &amp; monumento senten- tia.</b>	358	<b>Emseri (Hier.) vita S. Benmonis recu- sa.</b>	351
<b>In Duckerum (Car. Andr.) calumnia.</b>	451		

INDEX RERUM

<i>De Emsero (Hier.) iudicium Secken-</i>		<i>Etrusca moneta signata.</i>	147
<i>dorsii.</i>	352	<i>Etruscæ littera in statuis &amp;c.</i>	148
<i>Engelhusii (Theod.) Chron. Erforden-</i>		<i>vestes florida.</i>	147
<i>se.</i>	327	<i>Etruscorum Regum series.</i>	146
<i>Engelkenius notatus.</i>	29	<i>inventæ.</i>	147
<i>Enochus, typus Christi.</i>	19	<i>scriptura a dextra in</i>	
<i>Enthusiasmus generis humano maxi-</i>		<i>lavam.</i>	148
<i>me proprius.</i>	435	<i>Etymologi Angli celebriores.</i>	447
<i>Enthusiasmi natura.</i>	198	<i>Etymologiæ studium Græcis in deli-</i>	
<i>Entis notio evoluta.</i>	459	<i>siis.</i>	7
<i>Ephesiorum res descriptæ.</i>	284	<i>Etymologiæ regula duodecim.</i>	12
<i>Epidydimis peculiaris.</i>	134	<i>Etymologicum Lexicon Anglicum.</i>	
<i>Episcopi immediati iudicium.</i>	490		446
<i>Episcopus (Sim.) Arianis accensus.</i>		<i>Evangeliorum Codex a S. Bonifacio</i>	
	391	<i>scriptus num super sit?</i>	483
<i>Epistolæ eruditorum commendatæ 155</i>		<i>Euclides an figuris Logicis in demon-</i>	
<i>centum lectu dignæ editæ.</i>	428	<i>strationibus usus?</i>	547.548
<i>Epistylum quid?</i>	271	<i>Eugubine tabula.</i>	146.148
<i>Equitum teuton. Hospitalis S. Mariae</i>		<i>Eulogiæ quid?</i>	152
<i>Hieros. Historia.</i>	110	<i>Eusebii Philadelphi Dialogi, rari.</i>	136
<i>Rhodenfium &amp; Melitens.</i>		<i>Excelsa gentilium quænam?</i>	209
<i>Historia.</i>	110	<i>De Excellis Judæorum Tract.</i>	503
<i>Erasistratus, Medicus, notatus.</i>	153	<i>Exempla Mathematica cur Logica</i>	
<i>Erasmus (Desid.) Arianis accensus.</i>	391	<i>convenient?</i>	460sq.
	391	<i>Exorcismus in baptismo explosus.</i>	90
<i>Erfordianus Antiquitatum varilo-</i>		<i>Extrinsicarum &amp; intrinsicarum ra-</i>	
<i>quus.</i>	327	<i>tionum discrimen.</i>	466
<i>Esaiæ oraculum de natiuitate Messie</i>		<i>Ezræ liber a veteri genuino diversus.</i>	120
<i>impugnatum.</i>	533		
<i>Ab Eschelbach (Wolframus).</i>	339	<b>F</b> <i>Abroti (Car. Annib.) Opuscula re-</i>	
<i>Escheri (Jo. Casp.) merita.</i>	502	<i>cusa.</i>	388
<i>Essentialium notitia.</i>	459	<i>&amp; Salmasii lites.</i>	389
<i>Esther liber a veteri genuino diver-</i>		<i>Fabulæ Judæorum.</i>	308
<i>sus.</i>	120	<i>Falsarii Codicum &amp; Diplomatum.</i>	537
<i>an eadem cum Amestri?</i>	35	<i>Fasti Capitolini notati.</i>	356
<i>Esus, Gallorum Deus, quis?</i>	244	<i>De Fato sententia Stoicorum.</i>	545
<i>Ethica Pelagiana qualis?</i>	71	<i>Febris in quæ consistat?</i>	60
<i>Etruria an Hetruria dicendum?</i>	146	<i>Febrium ortus.</i>	59
<i>antiqua &amp; nova.</i>	147	<i>status diversus.</i>	59.60
<i>Etruriz urbium inscriptiones.</i>	1	<i>curatio ut a Medico admi-</i>	
<i>Etrusca monumenta ut a Romanis di-</i>		<i>nistranda?</i>	60
<i>stinguantur queant?</i>	148	<i>Ex Fecibus alvinis iudicium.</i>	373
			FEIA-

NOTABILIORUM.

FEIAptOn, modus syllog. descriptus.	478	Figura prima cur praestet reliquis? 483	
Felix Colonia cur dicta Julia?	268	qua sit universalis vel parti-	
Feneloni Telemachus in Poema Germ.		cularis?	472
ranslatus.	42	Figurae in Syllogismo finis.	470
Ferdinandus Catbol. quando monachis		perfectio.	470
Legatis usus.	248	non nisi quatu-	
FERI O, modus syllog. descriptus.	477	or dantur.	470
FERIS On modus syllog. descriptus.	479	ut convenient,	
FEsApO modus syllogisticus.	480	vel differant?	471
FEsIsO, modus syllog. quando obtine-		primae summa perfectio.	472
at?	479.480	quatuor syllogismorum re-	
FEsInO, modus syllog. descriptus.	478	gularium sunt perfecta.	474
Feuda Fuldensia omnia feminina.	79	syllogistica se habent indiffe-	
oblata ad feminas transeunt.		renter ad ordinem cogitandi natu-	
	80	ralem.	475
quenam feminina?	79sq.	Firma Burgi quid Anglis?	115sq.
omnia in Gallia patrimonialia.	80	Flacci unde dicti?	108
ecclesiastica non excludunt fe-		Flatus non sunt causa tympanitidis.	
minar.	80		280
Feudorum femininorum in Germa-		Fleetwoodus notatus.	30
nia ratio.	79.80	Fluidum nervorum rejectum.	57
quibus Hassia Principes		Fluxionum institutio.	212
ab Abbate Fuldensi investiantur,		arithmetica.	212sq.
ratio.	81	notio evoluta.	212.213
Feudalis Juris scriptores promissi.	540	Fluxus & refluxus maris hypotbesis	
Fibrae motricis figura in motu muscu-		nova.	128sq.
lorum.	276sq.	Foetus extra uterum.	134
Fidei effectus qualis?	70	abortivus trium mensum.	134
Figura Syllogismi.	470	De de la Fontaine conversione Epistola.	
prima in Logica sola sufficere			168
potest.	548	Foraminis ovalis usus.	134
liqua.	474	Formularum precum forma & usus.	
logica perfecta & imperfecta			525
quanam?	551	Fouqueti (Nic.) character.	220
quarta non nisi quinque mo-		Franciae vet. & moderna Lexicon.	444
dos agnoscit.	474	Francicae linguae origo.	11
prima, secunda, tertia &		De Franciscanorum ordine singula-	
quarta.	470	ria.	405
cur sit evidentissima?	475	Franckensteinius (Jac. Aug.) lauda-	
		tus.	262
		Francorum ortus & mentio prima	359
		mores iidem cum Ger-	
		manicis.	363
		Freind	

## INDEX RERUM

Freind (Jo.) promovit Aretæi editionem.	97	Gallorum vet. religio qualis fuerit? 243 sacra cum Persicis &
Freinshemius cur durius habitus Gro- novio in not. ad Tacitum?	159	Judaicis convenere. 243
Fridericus I Imp. ut submersus?	256	Dii varii. 244
Alexandro III pa- ruit.	256	De Gallorum veterum religione Tr.
Friderici I Imp. dies emortualis.	323	Gallutius (Car.) falsarius. 537
Friderici Moguntini defensio.	491	Gammodium quidnam? 209
Frizonius notatus.	246	Garzonis (Jo.) res Saxonica. 330
Fuldensis Clientela examinata.	78	Gassari (Ab. Pirminii) Annales Augu- stani editi. 264
Dioecesis & Hierarchia.	481/sq.	nativitas, vita & mori. 264
Historia nova promissa.	501	Bibliotheca & scripta. 265
Fuldentia privilegia examinata.	487/sq.	Gaudentii (Pagan.) Expos. Jurid. 387
vindicata.	492/sq.	Gausseni (Stephani) vita. 38
feuda omnia feminina.	79	Genealogicæ tabula nova. 318. 367
Fuldensium Abbatum exemptio proba- ta.	482	Genealogicum Lexicon portatile. 369
impu- gnata.	487/sq.	Genera quomodo determinentur? 459
Fuldensibus Abbat. an decima in Tu- ringia competant?	488	Gentilis (Scip. & Alberici) Opera pro- missa. 390
Fulloniæ antiquitates.	554	Geographiæ Compendium in usum Maj. Imp. Russicæ. 290
Fullonis munus quodnam?	555	Geometriæ Compendium in usum Maj. Imp. Russicæ. 289
Funebres ceremoniæ Judæorum unde orta?	206	Geometricum Problema propositum. 523
<b>G</b> Abalensium Epocha.	418	Georgii I R. Angl. vita carminice. 285
Gabatæ quid?	150	Gergefa & Gadara eadem. 75
Gadara & Gergefa eadem.	75	Germani an a M. Marcello victi? 356 a C. Mario victi. 356/sq.
Galea anca apud Cannas reperta.	3	De Germanica Societate Lips. Relatio. 526
De Galilæa Christi gestis clara Diff.	305	Germanicæ linguæ origo. 8
Gallæ non habent tantum particulas terrestres.	426	gentis gesta usque ad ini- tia Monarchia Francor. 355/sq.
Galli veteres statuas & templa Deo- rum non habuere.	143/sq.	Historia Excegestis. 409
Galliæ Belgicæ divisio.	358	Societatis Lips. historia, promissa & præmia. 527
Gallorum in Belgium, irruptio Nic. Heinsio prævisa.	164	De Germanicæ gentis & linguæ ori- gine Diff. promissa. 10
		Germanicarum rerum Script. Colle- ctio nova. 254. 321. 347
		Germanici nominis origo. 356
		De Ger-

NOTABILIORUM.

<i>De Germanorum lingua primigenia</i>	Gronovii (J.F.) & Heinsii <i>mutui joci.</i>	161
& <i>primis colonis Diss.</i>		7
<i>Gladiatorum in Campania usus.</i>	Grotius (Hugo) <i>notatus.</i>	120
<i>A Glassey (Ad. Frid.) Historia Sax. per</i>	Gruterus (Janus) <i>notatus.</i>	2
<i>figilla illustranda.</i>	Guillim (Jo.) <i>Ars Heraldica cui de-</i>	192
<i>Glandulæ molares.</i>	<i>beatatur?</i>	134
<i>A Glandulis morbi oriundi.</i>	<i>ejus accessiones quem ha-</i>	59
<i>Gleichenium Comitum diplom.</i>	<i>beant autorem?</i>	259
<i>Gloria a Christiano non expetenda.</i>	Gustus <i>in utraque oratione definitio.</i>	71
<i>Dei quomodo promoveatur?</i>		525
<i>De Gloria novi seculi Or.</i>	<i>deterior animi quid sit?</i>	22
<i>Glossarium Germanicum.</i>	<i>De Gustu in oratione vel carmine Dis-</i>	6sq.
<i>Gnostici quinam fuerint?</i>	<i>quis?</i>	283
<i>Golzium (Hub.) qua usus fuerit num-</i>	Gutherius <i>de vet. Jure Pontif. supple-</i>	409
<i>maria suppellectile?</i>	<i>tus.</i>	409
<i>Gothi militis cadaver repertum.</i>		150
<i>Gothicæ literæ a Runis Boreal. diver-</i>	<b>H</b> æmorrhoidalis <i>fluxus cur jam</i>	361
<i>sa.</i>	<i>magis familiaris, quam olim?</i>	361
<i>literaturæ autor, Ulpbila.</i>		371
<i>De Gothica lingua Diss.</i>	Hæretici <i>Seculi XVI.</i>	11
<i>Gothorum urbis palatina quanam di-</i>	<i>De Hamartigenia Diss.</i>	305
<i>cta?</i>	Hamburgum <i>a quo conditum &amp; unde</i>	362
<i>Gothofredus (Jac.) laudatus.</i>	<i>dictum?</i>	385
<i>ejus Fontes IV Juris</i>	Hanschii (Mich. Gottlieb) <i>promissa.</i>	385
<i>Civ.</i>	<i>Medicina mentis &amp; corpo-</i>	385
<i>Animadv. Juris</i>	<i>ris.</i>	387
<i>Civ.</i>	<i>sententia improbata.</i>	387
<i>de Cenotaphio dia-</i>	Harduinius (Jo.) <i>refutatus.</i>	387
<i>triba.</i>	<i>vindicatus.</i>	416
<i>Grævii (Jo. Ge.) Epistola laudata.</i>	Harmonia <i>præstabilita favet immor-</i>	162sq.
<i>Gratiani nummus explicatus.</i>	<i>talitati animæ.</i>	22
<i>Graveri (A.M.) de Deo Crepitu Diss.</i>	Hafæi (Theod.) <i>Hist. Eccl. Reform. pro-</i>	168
<i>Gravesandius impugnat.</i>	<i>missa.</i>	517
<i>Gravitas omni materiæ impressa.</i>	Hallæ <i>Principum feuda Fuldenfia</i>	55
<i>Gravitatis centrum commune quomo-</i>	<i>quam habeant rationem.</i>	55
<i>do in conflictu corporum moveatur?</i>	<i>De Hebdomadibus LXX Danielis Diss.</i>	509
<i>Gregorii V R.P. dies emortalis verus.</i>	<i>Hebræa lingua unde dicta?</i>	495
<i>Gronovii (Jo. Fr.) in edendis autori-</i>	<i>ejus præstantia vindicata.</i>	495
<i>bis ratio.</i>	<i>quatuor ætates.</i>	159
	Hebraicæ <i>literæ hodiernæ primæ.</i>	531
	<i>Hebraicæ</i>	531

## INDEX RERUM.

Hebraicæ lingue significatus Hieroglyphicus qualis? 466	S. Hieronymi versio S. Scr. notata. 119
Heinlius (Nic.) a Pontificiis sollicitatus. 160	Historia Literaria nova. 336
ejus venustas sermonis. 160	Historiæ naturalis leges Logica. 463
sq. 163	Civ. & Eccles. fines. 463
& Jo. Fr. Gronovii joci. 161	Literariæ condendæ modus duplex. 463
a femina impudica in jus vocatus. 164	Historici scripti condendi regula. 463
maritus ejus publice proclamatus. 164 sq.	Hobbesii versiones Anglica notata. 189
Henrici I R. Germ. vita & epocha. 499	Hollmanni (Sam. Christiani) elogium. 28
500	Hollstenius (Lucas) emendatus. 253
Henrici II Imp. vita & epocha. 500	De Homero judicium. 191
in Fuldenses beneficia. 500	Homo, animal entusiasticum. 435
De Henrico II R. G. rebus Epistola arcana. 348	ut sit creatura perfecta? 524
Henrici III Imp. pro Herbipol. diploma vindicatum. 490	Hominiis status corruptus. 68. 69
impugnatum. 493	corpus qualis sit machina? 53 sq.
vita & epocha. 501	Honestas intrinseca intelligibili modo explicata. 524
Hepatis anatome. 217	Honterus (Jo.) typographus in Transylvania. 227
Hepatico-Cystici ductus. 134	Horologia oscillatoria quam exacta fieri possint? 294
Heraldicum Lexicon novum. 448	Horologii motus æquabilis ut in mari conservetur? 294
Hercules, conditor Setia. 253	Horologiorum motus æqualis in diverso aeris statu ut conservetur? 295
Hermannii (Pauli) elogia & scripta. 422	Hospiniani (Jo.) de modis figurarum Logic. inventa. 517
Herminivones unde dicti? 11	Humorum secretio a sanguine. 63
Herodiani quinam dicti? 75	Hungari quando Christianismum amplexi? 224. 225
De Herodoto præ Ctesia præferendo Diff. 168. 169	Hursilla, rivus, olim navigabilis. 500
Hervordienne diploma. 499	Hussitæ in Hungaria. 226
Hesus, Gallorum Deus, quis? 244	Hydraulicæ machina Paris. potentes. 520
Heumannii & Mosbemiæ controversia. 119	Londin. descriptio. 521
Heuristica regule ex historia Literaria eruenda. 465	Marliens. descriptio. 520
Hieroglyphicus significatus vocum Hebræarum qualis? 466	Hydraulicarum molarum Belgicarum descriptio. 521
S. Hieronymus, Cardinalis. 203	Hydropis causæ. 279
scriptor hyperbolicus. 428	cura. 279. Delly-

NOTABILIORUM.

De Hydrope Diff.	278	Inscriptiones in Etruria urbibus superstitices.	1
Hydropicorum aqua ut per purgantia educantur?	279	orbiculares ubi legi ca-	
Hyperbolæ e Scriptura S. proficibende.	72	ptæ?	151
<i>descriptæ.</i>	72	De Inspirationis veræ & falsæ criticis Diff.	305
Hypothesibus philosophicis quinam in Philosophia assignandus sit locus?	457	Intellectus divini notio per opera natura illustrata.	133
		Interpretandi iniqui as.	405
		Intestinum rectum apertum depictum.	135
<b>J</b> acobus Patriarcha num Christi typus?	20	Intestinorum tunica villosa.	134
<i>ejus scala, typus agni Pa-</i>	20.21	Intrinsicarum & extrinsicarum rationum discrimen.	466
<i>schalis.</i>	20.21	S. Johannes Evangelista an oleo coctus illesus manserit?	118sq.
Jacobi I. R. A. inopia.	196.197	<i>Apostolus, primus autor</i>	
Janus bifrons Etruscus ut a Romano differat?	148	<i>Canonis N. T.</i>	427
Icteri causa & cura.	281	De S. Johanne Evangelista varia.	334
De Ictero Diff.	278	Joscelinus (Jo.) verus autor libri de Antiq. Britann. Eccl.	135
Ideæ Platonis cum numeris Pythagoræ comparatæ.	544	Josephi autoritas impugnata.	535
Idearum origo.	211	Irenicus ( Franc. ) dictus Friedlieb.	409
De Ideis historia philosophica.	544	<i>ejus vita.</i>	409sq.
Jesuitæ quousque duraturi?	22	<i>Oratio in amorem</i>	
Ignis usus in machinis hydraulicis agitandis.	521.522	<i>Germaniæ.</i>	411
Ileum, Colon & cæcum depictum.	135	Iselius (Jo. Rud.) laudatus.	138
Illmeri (Dan.) Narratio de Vratistavia.	408	Ittingii (Jo. Christ.) scripta.	450
Imperare etiam Reges dicuntur.	494	<i>Illis, Dea casta dicta.</i>	6
Imperia ante diluvium nulla.	44	<i>Cybele &amp; Ceres, Dea eadem.</i>	77
De Infalibilitate Rom. Pont. fallibili Diff.	305	Istævones unde dicti?	11
Infantis eruditi exemplum.	145	Italix Geographia quo Seculo maxime fuerit turbata?	536
Infernus an subterraneus?	87	<i>medii ævi Tabula Geogr. nova</i>	535
<i>an æternus?</i>	87	<i>Tabula Geogr. æ-</i>	
<i>ubi?</i>	175	<i>tor.</i>	536
Influxus Solis & Lunæ in sanguinem hominis.	55	<i>diviso ævo Francico.</i>	537
Ingvones unde dicti?	11	Jubilæum Lutheranum semiplenum.	437
Ingenia quomodo solida efficiantur?	525	Judæorum conversio futura asserta in Palestinam reditus prodromi.	117
		D d d d	Judæorum

## INDEX RERUM

- Judæorum *fabula*. 308  
*vasa quis Romam abstulerit*. 365  
 Judaica *historia* *Ægyptiis nota*. 166  
     *convenit cum historia Atlantica apud Platonem*. 166  
 Judicii *extremi processus*. 407  
 De *Judicio extremo tractatio*. 84 sq.  
 De *Juditha historia explorata*. 45  
 Julia *Colonia quanam?* 268  
 Julii *Cæsaris gestorum Chronologia emendata*. 35  
 Jupiter *Sabazius in Inscript.* 3  
 Juramentum *per templationantis*. 210  
 Juramenti *sanctitas ut a Barbaris denotata?* 143  
     *per taurum æneum formula*. 357  
 Juridica *Bibliotheca universalis*. 419  
 Jus *Justinianicum quando invaluerit?* 313  
     *Novellarum quando invaluerit?* 313  
 Juris *philosophia*. 456  
     *naturalis principium ultimum*. 524  
 Justificari *quid sit Tb. Burnetio?* 91
- K** *ἀπόδειξις unde dictum?* 35  
 Kedem *quid?* 44  
 Kempis (Tb.) *de Imit. Christi Tr. Germanico carmine translatus*. 367  
     *ipsi assertus*. 545  
 Keri *an Chetibb sit scriptura authentica*. 531  
 Kirchbergenses *Burggravii illustrati*. 260  
 Klingför, *phonascus, vates*. 354  
 Kœnigii (Jo. Ulr.) *de Canizii poematibus merita*. 296 sq.  
 Krafft *de Delmensingen (Raym.) laudatus*. 328
- L** *Acteorum vasorum inventores*. 134  
 Lamechi *posterii quinam?* 121  
 Landi (Constantini) *opuscula*. 389  
 Langii (Pauli) *Chron. Numburgense*. 322  
     *in Lutherum odium & amor*. 322  
 Langius (Jo. Mich.) *notatus*. 555  
 Lascars (Const.) *de Script. Græcis*. 310  
     *de gestis SS. Petri & Pauli*. 310  
 De *Latinæ linguæ etate virili Diss.* 46  
 Laurentum, *olim Lorentum*. 254  
 Lauterbergense *Chron. recusum*. 323  
 Legis *curia Pisæ*. 316  
 Leges *Natura cur ita dicta?* 67  
     *in quo a positivis differant?* 67  
     *Romana quanam comprehendant?* 313  
     *Maris Pisana*. 317  
 Legum *ritualium apud Judæos ratio*. 208  
 De *Legibus Hebræorum ritualibus liber*. 204  
     *Decemviralibus disceptatio*. 386  
 Legionibus *Romana*. 544  
 Leibnitius (G. G.) *defensus*. 437  
     *num primus modorum figur. Logic. utilitatem detexerit?* 547  
     *quid in Philosophia praestiterit?* 550  
     *an inventa sua pro lusu ingenii agnoverit?* 550  
     *cum Wolfio de rebus philosophicis nunquam contulit*. 550  
 Leibnitii (G. G.) *de demonstrationibus Euclidis judicium*. 474, 475  
 De *Leibnitii (G. G.) Theodicaa judicium*. 126, 127  
 Leibnitii (G. G.) *litteris ad C. M. Pfaffium excerptum*. 127  
 Leibnitium (G. G.) *Artis suæ combinatoriæ pudit*. 546. Len-



NOTABILIORUM.

Lengleti de Fresnoy Methodi Histor. editio nova promissa. 239	Linguae Hebrae significatus hiero- glyphicus qualis? 466
In Leodiensi arce praedam maximam fecere Angli. 399	De Linguae Latinae aetate virili Diss. 46
Lepra vestiantibus curata. 155	Linguarum authenticarum in Scri- ptura S. interpretanda quinam sit usus? 465
Leuckfeldii (Jo. Ge.) vita & scripta. 431	De Linguarum origine sententia Pla- tonis & Aristotelis. 7.8
Leunclavii (Jo.) Notatorum liber. 389	Sub-Lingualis glandulae ductus. 134.
Lex pagana illustrata. 272	Remmia sub nullo Imp. obtinuit. 389
Lexicon Geneal. portatile. 369	De Lionne (Hug.) character. 220
Angl. etymologicum. 446	Lipsiensis Bibliothecae Acad. diploma- ta. 260
orthographicum. 447	Lipsius (Justus) refutatus. 440
Heraldicum. 448	Lipsii (Justi) Epistole anecdota vul- gata. 157
Scientiarum universale. 433	manus perplexa. 157
militare. 437	Litterae Etruscae in statuis &c. 148
Franciae vet. & moderna. 444	De Litterarum decremento metuendo Or. 305
Libationis Judaicae origo. 205	Lizelii (Ge.) de Thesuro Schilter me- rita. 339
Liberales artes quae dicantur? 184	Lockius (Jo.) Socinianismi postula- tus. 395
Liberaarum actionum determinatio. 525	ejus dogmata Theologica. 395
De Libero arbitrio sententia Th. Burnetii. 92	calliditas in sententia regenda. 395 sq.
Libertas philosophandi cuisnam conce- denda? 458	Locustae in California multae. 141
Libertatis philosophandi notio evolu- ta. 458	Cum Locustis Biblicis comparati Fe- suita. 22
De Libertate cogitandi Diss. 305	Logica Wolfiana. 455
Librarum quanam dicta? 4	Logicae usus in praxi vitae. 468
Libri Latini, extra Anglica recusati, in eam non reportandi. 194	discenda methodus. 468
publice combusti. 544. 545	theoria & praxis promotae. 456
In Libros poena varie statuta. 544	Wolfianae methodus. 458. 460
Licinii (Lucii) Epistola promissa. 257	verioris Lapidis Lydii. 459
Lindaviensis controversia. 486	cur exempla Mathem. conve- niant? 460
Lindnerus (Jo.) an autor Onomasti- ci? 349	Londini augmenta cur prohibita? 194
Linguae cujusque origo duplex. 7	Londinensis pestis. 249
Germanicae origo. 8	conflagratio. 250
Francicae origo. 11	a C. Zieglero
Anglica mixtura unde? 448	praeclara. 250
quibus causis mutantur? 448	Ddd d 2
foramen caecum. 134	Lon
canales novi. 134	

## INDEX RERUM.

Longinetría <i>promota.</i>	336	Machinæ <i>hydraulica Parisiis conspi-</i>	520
Lotharii <i>Imp. vita.</i>	498	<i>cua potentes.</i>	520
<i>in Germania autori-</i>		<i>Marliensis descriptio.</i>	520
<i>tas.</i>	498	Maderæ (Greg. Lopez) <i>Animadv. Ju-</i>	387
Lucani <i>editio nova promissa.</i>	48	<i>ris Civ.</i>	387
Lucernarum <i>accenso apud Judæos</i>	206	Maffei (Scip.) <i>de Amphitheatris opus</i>	48
<i>unde?</i>	206	<i>promissum.</i>	48
Aludewig (Jo. Petr.) <i>notatus.</i>	413	Magister (Thomas) <i>notatus.</i>	34
Ludi <i>Scenici in Campania frequentes.</i>	272	Maji (Jo. Burch.) <i>obitus.</i>	185
Ludovicus <i>Saltator, Comes Tharin-</i>	38	Majoritæ <i>quid statuerint?</i>	431
<i>gia, defensus.</i>	38	Maittaire (Mich.) <i>in Aret. cum meri-</i>	89.99.100.106
Ludovici Pii <i>victoria de Normanniis</i>	340	<i>ta.</i>	109
<i>carminis Germ. celebrata.</i>	340	Malchi <i>auricula dextra singulari mi-</i>	68
<i>vita.</i>	497.543	<i>raculo restituta.</i>	109
<i>tabula, donationes</i>		Mali <i>moralis origo vera.</i>	425
<i>Pipini &amp; Caroli M. firmans, vindica-</i>	537	Malignitas <i>morbis in quo consistat?</i>	147
<i>cata.</i>	537	Manibus <i>supinis orandi mors apud</i>	79
Ludovici XIV <i>R. G. vita &amp; Commenta-</i>	217	<i>Etruscos.</i>	79
<i>rii.</i>	217	Mann-Lehn, <i>vax, an excludat fe-</i>	218
<i>apophtegmata.</i>	218	<i>minas?</i>	218
Ludovici Germanici <i>vita &amp; opusba.</i>	498	Marcomannicum <i>bellum in columnæ</i>	359
Ludovici III <i>R. Germ. vita.</i>	498	<i>Romæ.</i>	359
Lues <i>Veneræ spiritus ligni sancti non</i>	426	Marsichallus Thurius (Nic.) <i>Ge. Spa-</i>	327
<i>curatur.</i>	426	<i>latini preceptor.</i>	327
Lumina <i>Planetarum ad numeros &amp;</i>	131	B. Mariæ <i>Epistola ad Messianenses.</i>	317
<i>experimenta revocata.</i>	131	Maris <i>Breve &amp; Leges Pisana.</i>	317
Lunæ <i>influxus in sanguinem hominis.</i>	55	<i>fluxus &amp; refluxus hypotbesis</i>	128
<i>&amp; Saturni conjunctio observa-</i>	375	<i>nova.</i>	128
<i>ta.</i>	375	Marlboroughii (Jo.) <i>in patriam fi-</i>	399
Lutherus (Mart.) <i>quatenus necessita-</i>	132	<i>des.</i>	399
<i>tem rebus omnibus tribuat?</i>	132	<i>in campo dexteritas.</i>	399
Lutheri (Mart.) <i>liber contra Henri-</i>	77	Marlboroughius (Jo.) <i>cur officio mo-</i>	399
<i>cum VIII defensus.</i>	77	<i>tur.</i>	399
<i>de Eccl. Rom. judicium ex-</i>	304	Mars <i>Gallorum quis?</i>	245
<i>pensum.</i>	304	Martialis <i>illustratus.</i>	210
Lyseri (Polycarpi) <i>mors.</i>	259	Masora <i>quid sit?</i>	531
Mabillonius (Jo.) <i>notatus.</i>	499	Materia <i>Medica enucleata.</i>	421
Machina <i>versatilis Campana</i>	272	Materis <i>densitates in Planetis deter-</i>	55
<i>vetus explicata.</i>	272	<i>minata.</i>	55
<i>hydraulica Londinensis</i>	521	Mathematica <i>exempla cur Logica con-</i>	460 sq.
<i>vi ignis agitata.</i>	521	<i>veniant?</i>	460 sq.
		Matheleos <i>ignarus Medicus qualis</i>	54
		<i>sit?</i>	54
		Mauers-	

NOTABILIORUM.

Mauersbergeri (J. Andr.) de Vratislavia Diff.	408	Melanchthon (Phil.) fere puer altor docuit.	409
Mauri (M. Vertranii) de jure liberorum liber.	388	Menckenius (Jo. Burch.) autor & Praefes Societatis Germ. Lips.	526
praeceptor Jo. Geraldus.	388	Mendacium Medicis indultum.	109
Mauritii El. Sax. vita.	347	Mensa bis posita in die apud Etruscos.	147
ad S. Digerium gesta.	264	Menstruorum fontes.	134
De Mauritii El. Sax. rebus Epistola arcanæ.	348	Mercurius, Teutates Gallorum.	244
In Mauritium El. Sax. Oratt. Jouch. Camerarii.	348	Mercurii in Medicina usus commentatus.	63
Maxentii victoria in disco argenteo representata.	150	Merilli (Emundi) scripta varia.	387
Mechanicarum potentiarum demonstrationis.	377 sq.	Meroveus quis?	364
Medendi methodus qualis?	373	Metempsychosin an Judai statuerint?	25
Mediastrini interstitium.	134	Methodi philosophica ratio & leges.	437
Medica materia enucleata.	421	docendi regulae.	468
Medicæ gentis origo.	148	Methodica Medicorum secta.	99
Medicus Matheos ignarus qualis sit?	54	Migrations gentium.	360
rationalis ut ab empirico distinguendus?	54	Miles eruditus.	186
Medici an a Chirargis Romæ diversi?	183	Militis Gotbi cadaver repertum.	150
De Medici fortuna tractatio.	109	Militare Lexicon.	437
Medicina rationalis systematica.	369	Millius (Jo.) notatus.	428
Medicinæ systema promissum.	375	Miltonus (Jo.) laudatus.	191
ortus.	279	Ministeriales & liberi officiales.	412
intentiones primariæ in curandis morbis.	62	Miraculum Parisinum recens impugnatum.	32
Philosophia.	456	Miracula an hodiernum Deus faciat?	31 sq.
Medicorum Secta Methodica.	99	Miraculorum definitiones.	29, 30
Secta variæ.	279	criteria.	30
De Medicorum Romæ conditione servili Diff.	182	usus in stabilienda auctoritate S. Scriptura.	28
Medicos an mentiri liceat?	109	definitio Wolfiana vindicata.	31
Medicamenta varia commendata.	63	De Miraculis & eorum criteriis Diff.	28
specificæ dantur.	374	Misna quid?	75
Medicamentorum modus operandi.	369, 374, 423	Misnensis Terra Chron. recensum.	324
classis.	374	Mithra, Gallorum Sol.	244
Medii resistentia qualis?	515	Modus syllogismi quid sit?	471
Mediolanensium Professionum autor.	247	Modi in quarta figura inutiles.	474
		Modorum notio.	459
		Ddd d 3	Molarum

INDEX RERUM.

Molarum hydraulicarum Belgicarum descriptio.	121	verso aeris flatu ut conservetur?	205
Monachi Pirnensis verum nomen.	349	Motus natura ut promovendi?	373
Ex Monacho Pirnensi excerpta.	349	centri gravitatis communis	
Moneta signata apud Etruscos.	147	in conspectu corporum.	509
Monetae parvae cupreae cudenda jus		corporum perfecta elasticitate	
quando in Anglia liberum?	195	destitutorum regula.	516
De Monglat laudatus.	222.223	Motuuum explicandorum principia.	
Montani (Franc.) nomen verum.	136		507. 516
Montis Sreni Chron. recusum.	323	regulae generales.	510. 517
Moralis Philosophiae theoria & praxi		Mundus quo anni tempore conditus?	
demonstrativa.	523.525.526		17
Philosophia Wolfiana ut orationibus		Munfingerus (Jo.) testis veritatis.	545
sacris utilis evadat?	525	De Mureto (M. Ant.) varia.	287
Moralitatis principium Wolfianum an		Musculus Cerato-Staphilinus.	134
Confusio fuerit cognitum?	133	Musculi intercostales.	134
Morbi unde oriuntur?	56	interossei.	134
a glandulis oriundi.	59	Musculorum motus causa.	57
ex morbo generatio.	372	Musica unde in sacra Judaeorum	
Morborum ratio.	53	translata?	205
causa.	56. 370. 371	De Musica (Ant.) Comm. de rebus a	
bifloria ut concinnanda?		Carolo V ad S. Digerium gestis.	263
	370	Mussatus (Albertinus) unde dictus?	538
malignitas in quo consistat?	425	quando natus & mortuus?	538
De Morbis vesicae & venum Tr.	152	Mussati (Albertini) de gestis Henrici	
Mores hominum conjectandi ars ubi		VII Imp. & Italicorum post ejus mortem.	537
tradatur?	525	Ludovicus & Tragedia Eccerinis.	537
Morientium divinationes.	109	De Mysteriis philosophicis Tr.	27/9.
Mors quid sit?	53	Mythica Theologia defensa.	307
Mortis voluntaria antidotum.	234	pura & impura	
causa quae?	373	quanam?	308
Moshemii & Heumannii controversia.	119	<b>N</b> Obonasser, conditor Regni Baby-	
Motus musculorum causa.	57	lonici.	45
Telluris num sit causa aestus		E Naribus ductus ad palatum.	134
maris?	128	Nasturtium unde dictum?	35
causa irriti conatu quaesita.	292/9.	Naturae leges cur ita dictae?	67
notio absurda.	294	ut a positivis differant?	67
horologii aquabilis ut in mari		motus ut promovendi?	373
conservetur?	294	Juris principium ultimum.	
compositio demonstrata.	378		524. Natu-
horologiorum aquabilis in di-			

NOTABILIORUM.

Naturalium rerum cause ut investi- ganda? 423	Numerorum potentia ut expriman- tur figuris Geometricis? 288
Navigatio circa Orbem instituta. 140.	Numismata Musei Farnesiani expli- cata. 415
Navis in nummo Heraclea quid? 417	Nummi Davici unde dicti? 35
De Nebucadnezare varia. 46	Nummarie rei lexicon MS. commen- datum. 339.340
Necessarii notio evoluta. 132	
Nehemie liber a veteri genuino ho- die diversus. 120	<b>O</b> pro An scriptum veteribus. 254
Nero sub Trimalcione latet. 170	Obboth, quinam? 209
Neronis historia secreta. 170	Obligatio naturalis quanam? 524
Nerva an adoptato Trajano se omni potestate exuerit? 416	divina quanam? 524.525
Nervi quo liquido repleantur? intercostales. 134	Obliquæ percussiois locus determi- nus. 518
Nervorum ortus incertus. par decimum. 134	Occasionalium causarum systema im- pugnatum. 294
Neumannus (Caspar) laudatus. 465	Odysea carmine Angl. reddita. 188
Nicolaitæ quinam fuerint? 283	defensa. 189
Nicotiana quanam in Angliam im- portanda? 194	cum Iliade comparata. 189-- 191
Nigelli (Ermoldi) Carmen de gestis Ludovici Pii recensum. 261	Oeconomia salutis evangelica. 382/9.
Nimrodus sub Bacchi nomine latet. 45	Oesophagi situs verus. 134
Nimrodi nomen quid notet? 45	Officiales hereditarii in Saxonia. 412.
Nini Imperium. 44	liberi & mini- steriales quales? 412
De Nino Dissertatio. 45	unde repetendi? 413
Noachus typus Christi. 18	Olearius (Gottfrid.) emendatus. 36.37
De Noachi arca varia. 19	Oldislebiensia diplom. edita. 260
Nobiles Angli cur ex urbe in rus redi- re iussi? 197	Oliverii (Clandii Matth.) in Critiam Platonis Diss. 166
Nobilitium Saxonie Sup. historia ge- neal. 112	Omenti apertura naturalis. 134
Austria ultra Anisum Hi- storia. 113	De Omni & nullo dicti prestantia. 549
tituli vetusti. 115	Opii modus operandi. 61
Nomenclimissi quid in diplomate? 489	Orandi manibus supinis mos apud E- truscos. 147
Noricii (Henr.) Opera promissa. 240	Oratorii S. Philippi Neri descriptio. 52
Nothus ad Diaconatum admissus. 196	Oratoris moderni elogium. 186
Notiones adæquatæ ut obtineantur? 526	Orazon, scriptor suppositivus. 310
Notionum deceptivum origo. 461	Circa Orbem instituta navigatio. 140.
Novellæ politica hebdomadales quan- do primum publicatæ? 38	142
Novellarem Jus quando cæperit? 313	Ordo, vox, an dignitatem involvat? 184
	Ornatus muliebris Diis Etruscis pro- prius. 148. Orpha-

## INDEX RERUM

Orphanotrophii <i>Glauchenfis institutio, prodromus destructionis Antichristi</i> &c.	217	Paragii & Apanagii <i>Juris corpus.</i>	49
Orpheus <i>emendatus.</i>	34	Parkerus <i>an autor libri de Antiqu. Britannia?</i>	135
Orthographicum <i>Lexicon Angl.</i>	447	Parochi <i>diff. iis conditio.</i>	199
Os <i>vomeris depictum.</i>	135	Parochia <i>a parocia ut differat?</i>	200
Ofci <i>cur dicti Capuani?</i>	273	Parochorum <i>vita ac monumenta.</i>	199sq.
Oscillationis <i>centrum nova ratione determinatum.</i>	515	<i>crigo &amp; dignitas.</i>	200
Oscillatoria <i>horologia quam exacta fieri possint?</i>	294	De <i>Particulis lingua Germ. Diff.</i>	12
Osius <i>Aurelius, vero nomine Franc. Ory.</i>	388	Parvi <i>statura, doctrina magni.</i>	38
Osterwald ( <i>J. F.</i> ) <i>contra edit. compendii sui Esbica Christ. protestatur.</i>	192	Passionum <i>animi in corpore mechanismus.</i>	61
De <i>Ossibus Tractatus.</i>	39	<i>causa in anima.</i>	60
Ottonis <i>I Imp. vita &amp; epochæ.</i>	500	Patritii <i>titulus in Diplom. Caroli M. ante Imperium adeptum.</i>	497
Ottonis <i>II Imp. vita &amp; in Fuldenfes beneficentia.</i>	500	S. <i>Pauli Epistola ad Titum, Theologia Compendium.</i>	503
Ottonis <i>III Imp. pro Herbipol. diploma impugnatum.</i>	412	In <i>S. Pauli Epistolas ad Corinthios Comment. promissus.</i>	14
<i>mors.</i>	500	Peccatam <i>Adami an posteris imputetur?</i>	91
<i>constitutio adversus Ecclesiam suspecta.</i>	537	<i>in Spiritum S. quid?</i>	175
Ovidius <i>emendatus.</i>	4	Pechlinus <i>quando mortuus?</i>	188
Ovula <i>humana examinata.</i>	134	Pedilavium <i>usus eximius.</i>	374
Owenus ( <i>Jo.</i> ) <i>refutatus.</i>	252	Pegaviente <i>Calendarium.</i>	322
		De <i>Pegavientis Eccl. fundat. liber.</i>	322
		Pegavientium <i>Abbatum series.</i>	322
		<i>diplom.</i>	323
De <i>Pædobaptismo Diff.</i>	305	De <i>Pelagianismo in Eccl. Rom. triumphantæ Diff.</i>	504
Palæstina <i>cum Atlantica Pælonis comparata.</i>	167	Peimphlingerus ( <i>Marcus</i> ) <i>Reformator.</i>	226
Palthenii ( <i>Jo. Phil.</i> ) <i>mors.</i>	340	Penduli <i>regularitas in motu unde pendeat?</i>	294-295
Pandectæ <i>ante Gratianum citatæ.</i>	317	Penis <i>ligamenta lateralia.</i>	134
Pandectarum <i>usus Pisis quando fuerit?</i>	312	<i>vasa Mercurio repleta.</i>	134
Pantke ( <i>Ad.</i> ) <i>de Nobilitate Vratislav. erudita Diff.</i>	408	Pentateuchum <i>cur solum e F. T. receperint Samaritani?</i>	532
Papam <i>quinam eligant mortuis Cardinalibus omnibus?</i>	201	Percussionis <i>obliquæ locus determinatus.</i>	518
In <i>Paracenthesi omnes aque simul possunt educi.</i>	280	Pertica <i>quid?</i>	269
Paraditus <i>ubi situs?</i>	405	Pelchwiz ( <i>Gottfr.</i> ) <i>de familia Cesarum Augusta.</i>	140
Paræneses <i>veteres German. editæ.</i>	340	Petavius ( <i>Dion.</i> ) <i>Arianis accensendus.</i>	
		<i>Petii</i>	

## NOTABILIORUM

Petiti (Petri) pater sine literis doctus.	Pirnenſis monachus ut dictus fuerit?
vitam & ſcripta quis deſcri-	349
pſerit?	317
Petronii fragm. de cœna Trimalcionis	Piſani quo jure utantur?
genuinum.	189
Petrus & Paulus, Principes Rom. in	Piſcibus veſci ſtato tempore cur juſſe
nummo.	Angli?
Petri I Imp. Ruſſiæ bellum Turcicum	Piſis uſus Pandect. quando fuerit?
& expeditio in Perſiam a Daniele	curia legis & uſus.
prædicta.	communia legis & uſus qua-
Pfannerus autor libri: Pufendorſius	nam?
modestix admonitus.	316
Pfeſſeri (Aug.) Critica S. commenta-	Πιſis unde derivetur?
ta.	174
Phænomena in montibus viſa.	Pithometrix theoria & praxis.
De Pharamundo R. Fr. incerta.	214
In Pharynge ductus mucosus.	Pithometrica virga quanam ceteris
Philippus Imp. ceſſit Ottoni IV Re-	praſtiet?
gnum Arelatenſe.	215
Philosophia electica per Tabular.	Planetarum lumina ad numeros & ex-
Philosophiæ Wolfiana utilitas & ſe-	perimenta revocata.
cunditas comprobata.	In Planetis materia denſitates deter-
definitio.	minata.
defectus.	55
partium ordo.	Planimetria promota.
moralis theoria & pra-	336
xis demonstrativa.	Plato Solonis diſcipulus.
523.525.526	unde cognoverit res Judaicas?
In Philosophiam Introductio nova.	167
26 ſq.	Platonis de origine lingu. ſententia.
Philosophici ſtyli leges.	Atlantica cum Paleſtina
Phryges unde dicti?	comparata.
De Phylactoriorum Judaicorum na-	idea cum numeris Pythagogo-
tura & origine Diſſ.	ra comparata.
207	544
Phyſicæ caeleſtis Newtoniana compen-	In Platonis Critiam Comment.
dium.	166
55	Plebanus ut a Parocho differat?
Phyſicus bonus quinam ſit?	201
54	Plethonis (Gemisti) Compendium do-
Pignorius (Laur.) illustratus.	gmatum Zoroaſtris & Platonis.
332	310
Pii II Pont. penitentiæ.	Plethora, morborum cauſa.
202	56
Pilea Corybantum.	Pneumaticæ Sectæ autor.
77	98
Pipini diploma impugnatum.	Poemata epica Germanica.
488	43
epocha qualiſ conſuetæ?	Pœnæ infernales an æterna?
488	87 ſq.
ſigilla cum inſcriptione dan-	Pœnitentiæ deſcriptio.
iur.	70
496	Poetæ Latini ævi Auguſti recenſiti.
	47 ſq.
	Polentoni (Xiconis ſeu Sicconis) Co-
	dex MS. de ſcriptoribus Latin. lau-
	datus.
	538
	Pommeraye notatus.
	264
	Pontificum familiæ enodata.
	328 ſq.
	Postophorium quid?
	6
	E e e e
	Poten-

## INDEX RERUM.

- |   |   |
|---|---|
| <p>Potentia numerorum ut figuris Geometricis exprimantur? 288</p> <p>Potentiarum mechanicarum demonstratio. 377sq.</p> <p>Poujeti Epistola de conversione Fontani. 169</p> <p>Præcipitancia in iudicando ut evitentur? 466</p> <p>Prædicandi modi diversi. 469</p> <p>Præfecti medio ævo dignitas. 497</p> <p>Præfectorum Prætorio Catalogus Fabri auctus. 35</p> <p>Præfectura quid? 269</p> <p>Præmia ab Academia Scient. Parisina distribui solita. 291</p> <p>Prateji (Pandulfi) Jurisprud. media. 387</p> <p>Precum formularum forma &amp; usus. 525</p> <p>Presbyteri quousque fuerint Parochi? 200</p> <p>Principis cura circa ædificia. 101</p> <p>Prisciani in marmore. 3</p> <p>Privilegia in Anglia cujusque Regis sigillo denuo munienda. 196</p> <p>Probabilitas poetica qualis? 190</p> <p>Probabilitatis principia intrinseca. 462</p> <p>Problema Geometris propositum. 523</p> <p>Processus vermiformis monstruosus. 135</p> <p>Professionum Mediol. autor quis? 247</p> <p>Prognosis ut formanda? 373</p> <p>Propositio quanam probabilis? 462</p> <p style="padding-left: 2em;">absoluta qua fit? 469</p> <p>Propositiones quot sint in syllogismo? 469</p> <p>Propositionum in syllogismo ordo. 470</p> <p>Protei fabula unde orta? 189</p> <p>Providentia Dei quid ex mente Stoicorum? 545</p> <p>Psalmus CLI cum vers. &amp; notis editus. 311</p> <p>Psychologia rationalis Wolfiana a systemate harmonia præstabilita independentens. 131</p> | <p>Psychologia Wolfiana usus in demonstranda immortalitate anime. 131</p> <p>Pucheleri (Jo.) res Misnica &amp;c. 326</p> <p>Pufendorius (Sam.) latet sub Nic. Becmanni nomine. 187</p> <p>De Pulchro in Theologia Diss. 305</p> <p>Pulmo num sit musculus? 57.58</p> <p>Pulmonalis arteria cur amplior venana? 134</p> <p>Pulsus ubi explorandus? 372</p> <p style="padding-left: 2em;">vigilantis ad pulsum dormientis ratio. 58</p> <p>Pulsuum classes quatuor. 372</p> <p style="padding-left: 2em;">mutatio. 372</p> <p>Pulvis pyrius Sinensum. 433</p> <p>Puncta Hebraica literis coæva. 531</p> <p>Purgantia ut operentur? 279</p> <p style="padding-left: 2em;">De Purgantibus Tract. 152</p> <p>Purgatorium descriptum. 83</p> <p>Pythagoræ inventa. 147</p> <p style="padding-left: 2em;">numeri cum ideis Platonis comparati. 544</p> <p><b>Q</b>uantitates materia in Planetis determinata. 55</p> <p>Quantitas directionis quid sit? 510</p> <p style="padding-left: 2em;">quomodo sese habeat in conflictu corporum? 510</p> <p>Don Quixote, fabula, sublime in quo consistat? 191</p> <p><b>R</b>achelii (Sam.) vita &amp; scripta. 37</p> <p>Radeckii (Mart.) Carmen in insignia Vratislav. 408</p> <p style="padding-left: 2em;">de ludorum literar. Vratisl. initiis. 408</p> <p>De Radicibus Hebr. bilateris sententia notata. 531</p> <p>Rakotzius (Franc.) multatus. 231</p> <p>Ramorum gestatio apud Judæos unde? 206</p> <p>Raspo cur dictus Henricus? 38</p> <p>Rathhalter (Jo.) Tr. de Alberti D. Sax. meritis in Burgundos. 354</p> <p style="text-align: right;">Ratio-</p> |
|---|---|



NOTABILIORUM.

Ratiociniorum fundamentum genuinum.	460	Rhenus in triumpho visus.	357.
Rationum intrinsecarum & extrinsecarum discrimen.	466	Rhodogast, Deaster, quis?	361
Ravii (Chr.) Bibliotheca Or. Græca MS.	431	Richeonius est Franc. Montanus.	136
<i>Disp. de Origine &amp; Origenismo.</i>	431	Rigidum corpus quodnam dicatur?	507
Reactionis & actionis æqualitas in quo consistat?	507	Rohde (Jo.) Chronicon Thur.	350
Rectores dicti Parochi.	201	Rolandinæ statuæ quænam?	542
Refutatio ut ab impugnatione differat?	467	Romulus per ludibrium Imp.	366
Refutationis species.	467	Roncaliorum situs.	450
Regressus in Syllogismo quid sit?	472	<i>nominis origo.</i>	450
<i>per cunctas figuras deducitur.</i>	472.473	Rothmannus (Bern.) apostata.	430
Regulæ heuristica ex historia literaria eruenda.	465	Rufus Ephesus quando vixerit?	152
Reimii (J. H.) Consultatio de Grammat. Gr.	136	<i>qua dialecto scripserit?</i>	153
Reinesius (Th.) notatur.	2	<i>num archiater Cleopatæ?</i>	153
Reiseri (Ant.) fata.	430	<i>emendatus.</i>	154
Religio Gallorum vet. qualis fuerit?	243	Sabbatharii in Transylvania quænam?	251
<i>Christi delineata.</i>	66	Sabbatum ante Moysen nullum.	88
Religionis naturalis præstantia.	89	<i>De Sabbathi apud vet. cultu Diff.</i>	166
<i>Mosaicæ vindiciæ.</i>	89	Sabellianorum de Trinitate error unde?	391
<i>Christianæ prerogativæ.</i>	87.70. 90	Sacræ res consecrata, sanctæ dedicate fuerunt.	271
<i>licentia impugnata.</i>	252	Sacrificiorum origo.	18
Remmia lex sub nullo Imp. valuit.	389	Sagittarii (Casp.) conatus pro Lindaviensibus.	187 sq.
Reines succenturiati.	34	<i>(Pauli Mart.) Diff. de Rochlitio.</i>	328
Resistentia mediis qualis?	515	<i>de nummis Ducum Sax.</i>	328
Resurrectio prima qualis?	86	<i>Diff. Syllabus monetæ cupræ Sax.</i>	329
<i>mortuorum probata.</i>	85	<i>de Comitibus Pal. dignitate in Frider. El. Sax. collata Diff.</i>	329
<i>corporis ejusdem probata.</i>	396	<i>de locis sepulchral. familiæ Witek. Diff.</i>	329
Rete mirabile.	154	De Salengre (Henr.) obitus.	166
Revelationis necessitas & modus.	529	Salia plantarum non sunt fixa, sed alcalifata.	425
Reyheri (Sam.) Monumenta Landgrav. Thur. & March. Misn.	329	Salicæ legis historia.	363
Rhediger (Ad.) supellex nummar. laudata.	409	<i>leges recusa.</i>	337
		<i>unde dicta?</i>	338
		<i>a quo lata?</i>	338
		E e e e 2	Salicæ,

## INDEX RERUM

Salicæ leges ubi lata?	338	Saturni nomen impositum Abrahamo.	244
Salivæ quantitas.	154	Saxii (Petri) Pontificium Arclatenſe.	258
Salivales ductus novi.	155	Saxones ut in Angliam venerint?	304
Salmafii (Cl.) ſpectrum uxori moleſtum.	162	Saxonice hiftoria Bibliotheca portatilis.	411 ſq.
Saltatio unde in ſacra Jud. translata?		Saxonicorum Scriptorum Collectio nova.	254-221-347
Saltatrices tres in gemma. 2.	(205)	Scala, Jacobi typus agni Paſchalis.	20.21
Salus in nummo repræſentata.	419	Scaligeri (Joſ.) emendationes autorum rei venaticæ.	343-344 manuſcriptæ.
Samaritani cur ſolum Pentateuchum e V.T. receperint?	532	( J. C. ) faſtus ſcholæſticus.	545
Pentateuchi origo & a-tas.	532 ſq.	De Schachinah Tractatio.	86
	navi. 533	Schannat (Jo. Frid.) laudatus.	112
	autoritas. 533-534	Schelhamneri (Guntb. Chriſtoph.) vita.	185
Sanctæ res dedicata, ſacra conſecrata.	271	uxor erudita.	186
Sancti prænomen quando ortum?	151	Scherzii (Jo. Ge.) morbus.	339
Sanctorum vitæ quem uſum habeant?	199	Schilteri (Jo.) vita.	341
De Sanctis Pontificiorum non ſanctis Diff.	429	Schwarzii (Chr. Gottl.) elogium.	552
Sanguinis anatomia.	57	Orat. & Programmata promiſſa.	553
circulatio ut promovenda?	424	Schrederi (Jo. Caſp.) in Duckerum calumnia.	452
& fetum.	134	in J. F. Gronovium cenſura.	452 ſq.
velocitas ut ex pulſu dijudicanda?	62	Seneca caſtigatus.	453 ſq.
proprietates.	64	in Jac. Gronovium acribitas.	455
qualitates ſpecificæ.	64	Scientia ut ab arte differat?	435
motus unde procedat?	64	Scientiarum Lexicon univerſale.	433
copiæ noxæ.	371	Scientificorum Scriptorum leges.	463
circulationis æquilibrum ut promoveatur?	63	Scriptura Etruſcorum a dextra in levam.	148
Ex Sanguine judicium.	372	tremula quando cæperit in diplomatibus?	499
Sanitatis notio.	53	Scriptura S. an eruditione profana illuſtranda?	26
cauſa.	58	Scripturæ S. autoritas per miracula probata.	28. Scri
Sapiehana familia illuſtrata.	321		
Sartorius (Matth.) an autor Onomaſtici?	349		
Sattleri (Jo. Bern.) de Bibliotheca Jur. Univ. merita.	421		
Saturni & Lunæ conjunctio obſervata.	375		

NOTABILIORUM.

Scripturæ S. sensus ut eruendus? 465	Deut. XXIII, 2.	208
loca non omnia literaliter accipienda. 88. 89	XXV, 4.	554
sensus typicus impugnatus. 116 sq.	XXXI, 26.	426
versio Hungarica. 229	1 Sam. VII, 6.	205
V. T. autoritas probata. 530	XXIII, 16.	205
integritas probata. 530 sq.	XXVIII.	211
partitio. 531	2 Sam. XII, 31.	554
Canonis conservandi studium in Eccl. veteri. 426	1 Reg. X, 1 sq.	74
autoritas an ab Ecclesia? 427	Psal. L, 11.	508
cessaria. 427	LI, 9.	555
Scripturæ S. loca explicata aut illustrata:	CX, 3.	503
Gen. II, 24.	Jes. VII, VIII, IX.	120
IV, 22.	XXI, 10.	554
V, 29.	XXVIII, 23--29.	554
VI, 3.	Ezech. XX, 12, 20.	88
X, 11.	XXVII, 10; 11.	209
XI, 2.	Dan. IX, 25.	120
XIII, 26.	XI, 1--10.	117
XV, 2.	44.	117
5.	Hof. X, 11.	554
XVI, 4.	XI, 1, 2.	117
XIX, 4.	Zach. XIV, 16.	22
XX, 16.	Malach. II, 10.	16
XXXVI, 24.	Matth. II, 1.	24
XLIX, 11.	III, 12.	554
Exod. III, 8.	VI, 7.	74
14.	16, 17.	75
X, 22.	VIII, 28.	75
XXII, 25. 26. 27.	XIV, 2.	25
31.	XVI, 14.	25
XXXI, 13.	XXIV.	84
XXXII, 1.	Marc. VII, 9.	75
XXXVIII.	Luc. I, 3.	75
Levit. XIX, 28.	vill, 3.	4
31.	XVI, 22.	25
XXVI, 1.	Job. I, 1.	25
Num. XIII, 33.	16.	75
	52.	20
	VII, 37, 38.	205
	VIII, 38.	25
	IX, 12.	25
	XII, 2.	4
	32.	305
	XVIII, 39.	206
	Job.	37

## INDEX RERUM

<i>Job.</i> XX, 25.	14	<i>De Scripturæ S. lectione concedenda</i>	
<i>Act.</i> II, 5.	73	<i>Diff.</i>	305
44, 45.	25	<i>interprete idoneo</i>	
IV, 32.	25	<i>Diff.</i>	305
VII, 22.	25	<i>Scriptorum dogmaticorum genera &amp; fines.</i>	463
IX, 36.	3	<i>scientificorum leges.</i>	463
XII, 15.	25	<i>Sculteti (Severini) scriptum.</i>	226
XIII, 16-41.	283	<i>Scythæ Germanorum majores.</i>	9.10
20.	285	<i>populi Septentrionales.</i>	10
XVII, 18.	25	<i>unde dicti?</i>	9
22.	38	<i>Secretio ut fiat?</i>	65
XVIII, 23.	75	<i>Secretionis animalis ratio.</i>	58
XIX, 19.	25	<i>Secretiones imminuta, morborum causa.</i>	56
XXII, 3.	38	<i>Secta Medicorum methodica.</i>	99
<i>Rom.</i> I, 21.	25	<i>Sectæ Judæorum cum sectis Philosophorum Græc. comparata.</i>	24
V, 15.	16.18	<i>pneumatica autor.</i>	98
<i>1 Cor.</i> I, 20.	14	<i>nomen unde?</i>	98
23.	25	<i>Seideli (Sam.) Oda Germ. laudata.</i>	553
26-30.	187	<i>De Sem (Deodati) mina ridicula.</i>	404
III, 13.	84	<i>Sub Senatus Rom. capite representatus Imperator.</i>	418
V, 8.	83	<i>Senecæ (L. Ann.) Ἀποκαλογόντως Gallice versa &amp; emendata.</i>	168
VI, 2.	175	<i>Sensus verborum Autoris ut eruendus?</i>	465
XIII, 1.	77	<i>Scriptura S. ut eruendus?</i>	465
XV, 29.	75	<i>typicus impugnat.</i>	116 sq.
45.	18	<i>Prophetarum typicus a quo primum in formam artis redactus?</i>	120
<i>2 Cor.</i> II, 16, 17.	76	<i>Sepeliendi cum thesauris mos apud Germanos.</i>	150
<i>Phil.</i> I, 23.	83	<i>Septuagintaviralis versionis Editio nova promissa.</i>	92 sq.
II, 6, 7, 8.	76	<i>autores</i>	
<i>Col.</i> III, 11.	224	<i>quinam?</i>	532
<i>1 Thess.</i> V, 23.	26	<i>nevi &amp; editiones.</i>	532
<i>Tit.</i> I, 1.	503	<i>versio an corrupta?</i>	534
III, 8.	76	<i>notata.</i>	35
10, 11.	76	<i>Servus diaconus quis?</i>	4. Sethus
<i>2 Petr.</i> II, 11, 12.	86		
III, 15.	427		
<i>1 Job.</i> V, 7.	393		
<i>Ebr.</i> I, 13.	76		
VII, 3.	35		
XI, 5.	14		
XII, 22.	18		
24.	19		
<i>Jac.</i> II, 8.	37		
IV, 5.	46		
<i>Apoc.</i> IX.	22		
XVIII, 17.	34		

## NOTABILIORUM.

Sethus, <i>typus Christi.</i>	19	De Spectris <i>judicium.</i>	211
Sibyllina <i>oracula genuina.</i>	120	Speculum <i>Suevicum recusum.</i>	338
<i>cum Ecloga IV Virgilii</i>		Spencerus <i>refutatus.</i>	16
<i>comparata.</i>	120	Sperlingii (Chr.) <i>Vratislavia contra Tartaros defensa.</i>	409
Siciliæ <i>Chron. ab A. 820 ad 1328.</i>	538	Spermatice <i>vasa arte resoluta.</i>	134
Sigillis <i>uti non nisi nobilibus in Angl. licuit.</i>	399	Spinetenſis <i>familia illustrata.</i>	321
Sigismundi <i>Imp. vita.</i>	262	Spinosa (Ben.) <i>notatus.</i>	29
<i>in uxorem indignatio.</i>	263	<i>confutatus.</i>	31
<i>veneno corrupti cura ridicula</i>	263	Spiritus <i>animales rejecti.</i>	57
De <i>Silentio Theologico Or.</i>	126	In <i>Spiritum S. peccatum quid?</i>	175
Sileſiaca <i>Miscellanea.</i>	498	Springsfeldii (Ge. Henr.) <i>vita.</i>	51
Sileſiacarum <i>rerum scriptores promiſſi.</i>	409	<i>ſcripta de Jure Ap. recuſa.</i>	51
Silius <i>Italicus emendatus.</i>	36	Spurius <i>ad Diaconatum admiſſus.</i>	196
Simonius (Rich.) <i>refutatus.</i>	529	Stancarus (Franc.) <i>incentor ſchiſmatis in Hungaria.</i>	227
Sinceritatis <i>animi notio.</i>	152	Statua <i>Ciceronis.</i>	268
Slavi <i>quotuplices?</i>	179	Statuas <i>Deorum Galli non habuere.</i>	143 ſq.
Slevogtii (Jo. Phil.) <i>ſcripta et vita.</i>	238, 235 ſq.	Ad <i>Statuas tegendas exſtructa templa.</i>	148
Snabelius (H.G.) <i>notatus.</i>	16, 17, 20	Stephani III <i>Pont. Bulla impugnata.</i>	488
Snabelii (Hier. Guil.) <i>vita.</i>	13	Stoicorum <i>ſententia de fato.</i>	545
De <i>Socinianismi origine ab Eccleſia emendatione non repetenda Diff.</i>	305	<i>de Dei providentia opinio.</i>	545
Societatis <i>Germ. Lipſ. hiſtoria.</i>	527	Stramina <i>integra in aream conjiciendi mos apud Judæos.</i>	554
<i>promiſſa.</i>	527	Struma <i>a Rege Angliæ ſanandi ut ſe gerere debeant?</i>	195
<i>premiuſ.</i>	527	Stryckeri <i>Carolus M. editus.</i>	339
<i>Ode.</i>	533	Sturmius, <i>Saxonum Apoſtolus.</i>	489
De <i>Societate Germ. Lipſ. Relatio.</i>	526	Sturmius (Leonb. Chriſtoph.) <i>refutatus.</i>	304
Sol, <i>Deus, ut Gallis dictus?</i>	244	Stylus <i>ſublimis faciliſor fluido.</i>	191
Solidarum <i>partium proprietates.</i>	64	Styli <i>philophici leges.</i>	458
Solis <i>influxus in ſanguinem hominis. cælo ſereno pallescentis cauſa.</i>	55	Succi <i>nutritii aſcenſus in plantis cauſa.</i>	56
A <i>Sommersberg (Frid. Guil.) Scriptores rerum Sileſ. promiſſi.</i>	409	De <i>Sudore judicium.</i>	373
Somni <i>phenomena explicata.</i>	61	Suevicum <i>Speculum recusum.</i>	338
Sophocles <i>emendatus.</i>	35	Suiceri (Jo Henr.) <i>merita.</i>	502
Soraborum <i>ſedes.</i>	179	Syllogismus <i>perfectus &amp; regularis qualis ſit?</i>	469, 470
Sorbigæ <i>urbis hiſtoria.</i>	178 ſq.	Syllogismi <i>prima, ſecunda &amp; tertia figura quales ſint?</i>	461
Sortes <i>Vandalicæ unde dictæ?</i>	363	<i>quinam evidentes?</i>	547 ſq.
Spalatin (Gr.) <i>Annales editi.</i>	327	<i>Figure.</i>	470
<i>præceptor Nic. Mareſchallus Thurius.</i>	327	<i>Modus quis ſit?</i>	471
<i>vita aliquot Sax. Electorum.</i>	350	Syllogismus <i>formare, quid ſit?</i>	468
<i>de liberis Alberti D. Sax. Tr.</i>	355	In <i>Syllogismo formando quid obſervandum?</i>	
Specialis (Nic.) <i>Hiſt. Sicula.</i>	538	<i>quot ſint propoſitiones?</i>	469
<i>non fuit Sicilia Pro-Rex.</i>	539	<i>reſreſſus quid ſit?</i>	472
Species <i>ut determinentur?</i>	459	<i>Fiſſe</i>	In Syl.
Spectrum <i>Salmaſii, uxori moleſtum.</i>	162		

## INDEX RERUM

<p>in Syllogismo propositionum variatio quem  <i>usum praestet?</i> 472  <i>variationes</i></p> <p><i>quot sint?</i> 471  <i>concludendi ordo.</i> 480</p> <p>Synagoga an mater Christi dicenda?  <i>systematis definitio.</i> 17      467</p> <p>Tacitus emendatus. 158      Targumim quid? 532</p> <p>Fatiani Syri Harmonia Evang. Germ. 340      Per Taurum eueum foedera facientes  <i>varunt.</i> 357</p> <p>Telemachus, poema novum Germ. 42      Tellerii (Mick.) character. 220      Teluris figura determinata. 55  <i>motus num sit causa aestus maris?</i>  <i>circa Lemam assertus.</i> 128</p> <p>Templa cur exigua veteres extraxerint? 148  <i>Patriarchis nulla.</i> 244  <i>circumcundi ritus Jud. unde?</i> 206  <i>versus orandi mos Jud. unde?</i> 206  <i>Galli nulla habere.</i> 143 sq.</p> <p>Temporum contemptores in Anglia ut pu-  <i>niantur?</i> 194</p> <p>Temporis observatio superstitiosa prohibi-  <i>ta.</i> 209  <i>ratio cur non sit habenda in viri-      um. vivarum mensura?</i> 512</p> <p>Tentzelii (W.E.) Fridericus fortis redivi-  <i>uus.</i> 330</p> <p>Teplicensium aquarum elogium. 374      Terminus Minor in Syllogismo qualis? 469  <i>Major qualis?</i> 469  <i>Medius qualis?</i> 469</p> <p>Testamenti Vet. &amp; Novi Historia per tabu-  <i>las aeneas promissa.</i> 528  <i>versiones examinatae.</i> 532 sq.  <i>versio Lat. vulgata notata.</i> 533  <i>exemplaria non aliter lecta</i>  <i>nunc ac tempore Christi &amp; Apostolorum.</i> 534</p> <p>Testiculi conformatio. 134      Teutates, Gallorum Mercurius. 244      Teutobochi R. Tenton. ossa nam reperta? 357      Thamii (Abr.) Chron. Coldicensis. 328      De Theodicea Leibnisi iudicium. 126, 127</p> <p>Theodoricus in Thuringia quis fuerit? 353</p>	<p>Theodoricus II R. Visigoth. elogium. 365      Theologia mythica defensa. 307  <i>pura &amp; impura que-      rum?</i> 308</p> <p>De Theologiae typica regulis Diff. 14  <i>praesentia Or.</i> 16</p> <p>De Theologia Mythica gentiliunum &amp; Ju-  <i>deorum Diff.</i> 307</p> <p>Theologorum Eccl. Luth. vita promissa. 381      Theophrasti <i>Sci. etas.</i> 139      Therapiae fundamenta. 369      Cum Thesauris sepeliri mos apud Germ. 150</p> <p>Thökölii (Huney.) in Hungaria comatus. 232      Thomae (Godofr.) laudatus. 552      Thorax quanta musculorum vi dilatetur? 58  <i>nomen quid denotaverit?</i> 151</p> <p>Thuringi unde oriundi? 364      In Thuringia decima num Fuldensibus com-  <i>petant?</i> 488</p> <p>Thymi vasa excretoria. 134      Tiguri inventae antiquitates explicatae. 544      Tivi pro Tibi in inscriptione. 254      Tolosa sedes regia Wallia. 363      Torgaviense Chronicon. 327      Tractationis solida ratio. 463  <i>superficiarum ratio.</i> 463</p> <p>Transpiratio insensibilis ut se habeat? 58      Transpirationis insensibilis cohibita noxae.      371</p> <p>Tremoris a mercurio contracti cura. 425      Treviris excisis praefectura Arelatum trans-  <i>lata.</i> 361</p> <p>Tribulum quid? 554      Trigonometriae theoria &amp; praxis explicata.      235  <i>usus.</i> 235  <i>Compendium in usum Maj.</i>      Imper. Russiae. 290  <i>plane &amp; sphaer. doctrina.</i> 235</p> <p>Sub Trimalcione quis lateat? 170, 172      De S. Trinitate doctrina defensa. 197 sq. 390</p> <p>Trinitatis notio clara non datur. 392      Trinitatis personarum aequalitas probata. 393      Tristanus (Jo.) notatus. 416      Trituræ Antiquitates. 554  <i>locus, area.</i> 554</p> <p>Turpethi vis purgans alcalicis non augetur.      Tyli. 426</p>
--	---

## NOTABILIORUM.

Tyllichii (Jo.) Chron. cum Vetero-; Cellenfi idem.	325	Vermes infernales descripti.	407
Tympanitidis causa & cura.	280	Vesalkanæ figuræ Anatom. laudatæ.	39
Typus unus sæpe res varias adumbrat.	15	De Vesicantium usu Tr.	154
Typi definitio.	14	Vesicularum seminalium textura.	134
genus duplex.	15	Vesperæ Vadsenses.	72
& umbræ convenientia.	14	Vestes florida apud Etruscos.	147
probabiles quinam?	15	Vestibus albis Judæi & gentiles ditiores usi.	557
in Novo Test. nulli.	16	De Vestibus albis Judæorum Tr.	503
Christi varii in V. T.	18 sq.	Ughellus (Ferd.) emendatus.	253
Typicum studium laudatum.	14	suppletus.	252
nimium vitandum.	14	Vice-Cancellarii Romani Eccl. origo.	495
sensum Prophetarum quis primus in formam artis redegerit?	120	Victor emendatus.	416
Typicus Script. S. sensus impugnatus.	116 sq.	Vigilantis status qualis?	61
Typographi in Anglia frænati.	249	A Vino abstinendi mos vetustus.	37
Tyrolis Reg. Scot. parænesis Germ.	340	Viperæ anatome.	217
<b>U</b> pro B positum.	254	Vires vivæ a quibus fuerint impugnatae?	506
Vaccæ rufa, typus Christi.	21	a Bernoullio demonstrata.	506 sq.
Vacuum assertum.	54	quomodo conserventur?	512
Valvula Eustachii.	134	vivæ an per altitudines mensurari possint, ad quas graviora projecta ascendunt?	513
Vandalicæ sortes unde dicta?	363	impugnata.	517
Vannii Regnum.	359	Virga pitbometrica quænam ceteris præstet?	215
Vaporum ascensus causa.	56	Virgilii Ecloga IV cum Sibyllinis oraculis comparata.	120
Variana clades.	358	De Virgilio tractatio.	47
De Varila, Pincernæ, illustrati.	260	Virginicæ colonia Præfidi Regio Angl. commendata.	194
In Variolis venæ sectio sine purgantibus commendata.	187	Virium centralium theoria.	54
Vasa Judæorum quis Romani abstulerit?	365	vivarum & mortuar. differentia.	511
Vasorum munus quodnam?	542. 543	mensura Leibnitiana demonstrata.	508. 512. 513. 514
Venæ sectio ut instituenda?	374	vulgaris asserta.	517
in manu a quo primum memorata?	99	Vis attractiva particularum asserta.	56
in variolis commendata, sed absque purgantibus.	187	elastica unde oriatur?	56
Veneticæ rei Poetæ Latini.	341 sq.	attractiva effectus.	56
Venedorum sedes antiquæ.	179	vivæ definitio.	508
Venetorum initia.	364	mortuæ descriptio.	508
Venti in expansam ollam effectus.	380	vivæ quomodo producat?	512
Ventriculi fibræ carneæ & papillæ consensus.	371	Vilus organum primum.	134
C. Vergilius in marmore.	3	Vita quid sit?	53
Veritas Logica in quo consistat?	461	sobria ut ad sanitatem conducat?	63
ut defendatur?	467	alia cur expectanda?	82
Veritatis criterium.	461	Vitæ sanctorum quem usum habeant?	199
Veritatum universalium a posteriori investigatio.	462	Theologorum Luther. promissa.	381
a priori investigandarum modus.	462	Vitruvids emendatus.	34
		Ulphila, autor literaturæ Gothicæ.	361. Ulyf.

## INDEX RERUM NOTABILIORUM.

<i>Ulysses &amp; Circe in gemma.</i>	2	<i>Wolfius (Christianus) defensus.</i>	31. 132
<i>Uniformitatis lex qualis apud Anglos?</i>	249	<i>laudatus.</i>	130
<i>Unionis anima cum corpore ratio ignota.</i>	61	<i>a necessitate absoluta alienus.</i>	132
<i>Volatilia qua roktionem ferant?</i>	425	<i>Leibnitium non sectatur.</i>	549
<i>Vomitoria quibus morbis conveniant?</i>	99	<i>numquam de rebus philosophicis</i>	
<i>Vomitus an a musculis abdominis depende-</i>		<i>at?</i>	550
	133-134	<i>cum Leibnitio consultis.</i>	550
<i>Urania, Musa, in gemma.</i>	3	<i>Wolffii (Chr.) adversarii notati.</i>	31. 32. 133
<i>Uratislaviensium rerum Scriptores varii.</i>	408	<i>Philosophia utilitas &amp; secunditas.</i>	
<i>Urbes ejusdem nominis in Gallia plures.</i>	445		130. 131. 132
<i>Urinæ ex stomacho in vesicam descensus</i>		<i>metodus, principia, usus &amp; fata.</i>	524
<i>probatas.</i>	58. 59	<i>Psychologia usus in demonstranda im-</i>	
<i>quantitas major quam sudoris.</i>	572	<i>mortalitate anima.</i>	131
<i>examen chymicum.</i>	372	<i>Psychologia rationalis a systemate</i>	
<i>Urinaræ vesicæ tunica musculoza.</i>	217	<i>harmonia præstabiliza independens.</i>	131
<i>figura.</i>	217	<i>principium moralitatis an Confutio</i>	
<i>Uroscopiz usus.</i>	373	<i>fuerit cognitum?</i>	133
<i>Ursini (Ad.) Chron. Tur. promissum.</i>	351	<i>Elementa Math. scos laudata.</i>	456
<i>Ufus curia Pisana.</i>	316	<i>modus philosophandi.</i>	456
<i>Utere felix, formula olim solennis.</i>	151	<i>adversariorum modus controverten-</i>	
<i>Uteri crassities in gravidis.</i>	134	<i>di.</i>	51. 32. 133. 456
<i>musculus Ruysebiana.</i>	134	<i>philosophandi ratio &amp; finis.</i>	549-551
<b>W</b> <i>Agencilii supplementa Bibliothecæ</i>		<i>modestia.</i>	550
<i>Rabbinnica promissa.</i>	309	<i>opus morale quale futurum?</i>	524
<i>Wagnerus (Frid.) monitus.</i>	31	<i>Philosophia moralis quomodo Orato-</i>	
<i>Walpoliorum gentis historia.</i>	399 sq.	<i>ribus sacris utilis evadat?</i>	525
<i>In Walpolium (Rob.) collati Baronatus di-</i>		<i>De Wolffii (Christ.) Philosophia quinam præ-</i>	
<i>ploma.</i>	403	<i>clare sentiant?</i>	526
<i>A Weidmühl (Beniffi) vita Caroli IV defi-</i>		<i>Wollastonus notatus.</i>	66
<i>derata.</i>	266	<i>vindicatus.</i>	66 sq.
<i>Whistonus (Guil.) refutatus.</i>	533 sq.	<i>Wolfeji (Thomæ) vesana ambitio.</i>	398
<i>Whitby (Dan.) castigatus.</i>	392	<b>Z</b> <i>Achariz Pont. privilegium Fuldense num</i>	
<i>Wicelius vindicatus.</i>	260	<i>genuinum?</i>	487
<i>Wicperti consanguinei &amp; affines.</i>	323	<i>unde confictum?</i>	489
<i>Windeckü (Eberb.) Historia Sigismundi</i>		<i>defensum.</i>	493
<i>Imp.</i>	262	<i>Zeckelii unde deriventur?</i>	365
<i>pro Sigism. Imp. gesta.</i>	263	<i>Zieglerus (Casp.) incendium Londinense</i>	
<i>Winsbeckii &amp; Wiasbeckiz Paræneses Germ.</i>		<i>prædixit.</i>	250
	340	<i>Ziegenhainensis Comitatus ratio Feudalis.</i>	81
<i>Wittebergenses Crypto-Calviniani.</i>	431	<i>Zoroastris compendium.</i>	310
<i>Wolfius (Jo. Christoph.) laudatus.</i>	311. 529	<i>Zurbici Burggravi.</i>	181

### E R R A T A.

Pag. 169 lin. 31 lege *Lavaar*; p. 186 lin. 5 in *Gallo - Belgium* dele in medio signum connexionis;  
 p. 189 lin. 9 l. *Shakespeare*; p. 191 lin. 1 *Lantiquissimo*; lin. 2 pro *genus esse* lege *generis*; p. 254 lin. 18  
 pro *cum c & v* lege *cum v & vice versa*; p. 256 lin. 11 pro *notas l. natas*; p. 260 lin. 14 l. *Academie*;  
 p. 264 lin. 18 l. *eadem*; p. 268 lin. 2 pro *Comanos l. Romanos*; p. 334 lin. 2 l. *nominibus*; p. 349 lin. 34  
 pro *Sandlorium l. Sartorium*; p. 513 & 515 in margine pro *TAB. VI* lege *TAB. V*.